6
9-b
15

III. 118.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
9 B
49

6-9-b-15

PETRI VICTORII

*

Explicationes ſuarum in Ciceronem Caſtigationum.

S. Ma. Magdalena Rom.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,
Apud Ioannem Frellonium.

1560

PETRVS VICTO-RIVS BARTHOLOMAEO CAVALCANTI SVO SAL.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VERAM ſemper putaui nobiliſsimi tragici ſententiam illam, πόνος πόνῳ πόνον φέρει, nunc uerò etiam expertus ſum. Poſtquam enim negare non potui rogantibus ſatis multis, ut quædam, quæ ex antiquiſsimis exemplaribus ſyncerè (ut arbitror) reſtitueram in epiſtolis Ciceronis, diuulgarem: cupiens omni ratione, qua poteram, uoluntati illorum morem gerere, & eruditis hominibus ſtudium meum probare, in magnam turbam incidi moleſtiarum: nam & dum ea colligerem, non parum laboraui, & cùm mihi uiſus eſſem nonnihil utilitatis libris illis adtuliſſe, me quaſi teneri arbitratus ſum, eos etiam, quibus idem autor philoſophiam explicauit, & quibus oratorum præcepta elegantiſsimè perſecutus eſt, ſi poſſem, meliores reddere. Quare multis priſcis exemplaribus comparatis, id opus, magnum ſanè & arduum, adgreſſus ſum, & quàm accuratiſsimè potui abſolui, atque ad exitum perduxi. Sed cùm poſtea animaduerterem multa eſſe loca, maximè in epiſtolis, quæ niſi aperirentur, obſcura futura eſſent, cùm aut hiſtoria illarum rerum à multis ignoratur, aut uerſus reconditi aliquorum poëtarum citantur, nõnulla etiam parum certa, & in uariis libris uariè ſcripta, quædam ſuſpecta, alia autem prorſus mendoſa, quæ omnino oporteret indicare, neceſſe eſſe duxi quaſdam adnotationes conficere, quæ obſcura illuſtrarent, incerta & ſuſpecta oſtenderent, deprauata & manca, ne quempiam nulla utilitate èxer-

ceant, denotarent. Verùm in prioribus adhuc negotiis implicatus, aliud commodius tempus expectare cogitabam, cùm ſtatim quibuſdam impreſſorum impedimentis hoc opere intermiſſo, ſatis idoneum tempus nactus ſum, ut quæcunq; mihi declaratione aliqua indigere uiderentur, colligerem, & breuiter explicata in paruum hoc uolumen conferrem. Ea autē ſine fucis (ut natura mea fert) expoſui: nec enim meum conſilium unquam fuit, hac occaſione doctrinam aliquam (quæ in me nulla eſt) aut multarum rerum ſcientiam oſtentare: tantùm conatus ſum, quæ in his libris maioris alicuius momēti immutaui, tueri: rationes, quibus ductus id fecerim, adferendo, & teſtimonia priſcorum codicum adducendo. Suſpiciones etiam multas, quæ mihi occurrerunt, & aliquantulum uiſæ ſunt poſſe ſtudioſos adiuuare, liberè protuli: nec in ulla re ueritus ſum ſimplicitatem mei ingenij aperire, dum quæcumque mihi in mentem ueniunt, narro: tanta cupiditate exarſi clariſſimum hunc ſcriptorem fœdiſſimis maculis inquinatum purgandi. Quantum autem in hoc profecerim, alij iudicabunt: ſtudium quidem certè & egregia quædam uoluntas non defuit. Sed quia fieri poteſt, imò potius neceſſe eſt, ut in quibuſdam decepti ſimus (cognoſcimus enim ingenij noſtri infirmitatem, & lubricam periculoſamq; harum rerum tractationem) petimus ab eruditis, ut errores noſtros, ſi quos animaduertent, non paucorum locorum non ineleganter illuſtratorum meritis compenſent, nec me arrogantiæ condemnent, quòd hoc onus minime mearum uirium in me receperim: nec enim id unquam expetiui, ſed potius ab aliis mihi impoſitum, ualde cupiens, ſubterfugere non potui, ut ſiquid in hoc à me peccatum ſit, facilitate potius quadam, & naturæ bonitate peccatum ſit, quòd ea quæ iuſtè repudiare poteram, onera ſubierim. nam

(ut ſup

(ut ſuprà à me expoſitum eſt) paulatim, & non uno conſilio hoc munus ſuſcepi: à primo enim ex occaſione quadam tibi nota cœpi ſummo ſtudio epiſtolas ad Atticum ſcriptas ad meum & amicorum uſum mendis purgare. Quum enim domi tuæ antiquum illud ab Angelo Politiano laudatum illarum epiſtolarum exemplar uidiſſem (quod diſparem ſortem ab ea quam ille ei tributam dicit, multos ſanè annos expertum fuerat: eripueras enim tu illud è manibus ignobilis Grammatici, apud quem diu latuerat) à te ſumpſi illud, & ſumma cura, quæ in eo à uulgari lectione diſcrepabãt, notaui: ex quo tempore cùm eam iam, quæ à me cæpi poterat, utilitatem ab eo accepiſſem, & nonnihil quoque illud ſuæ dignitatis ac nominis per me recepiſſet, citò priſtinam fortunam recuperauit: in manus enim clariſsimorum & doctiſsimorum uirorum, poſtquam à me exiit, peruenit. Cum igitur à te ortum ſit huius mei laboris initium, non uacare omnino culpa mihi uiſus eſſem, niſi paruo hoc munere tibi grati animi memoriam oſtendiſſem: quare ſemper cogitaui ad te hunc libellum, quemadmodum nunc facio, mittere: quãuis (ut uerum fatear) maiora fuerint ea quæ me ad hoc impulerunt. Cum enim à teneris (ut aiunt) unguiculis, ætatibus noſtris non multum differentibus iocundiſsima familiaritate coniuncti inter nos fuerimus, nec unquam noſtræ beneuolentiæ iter interruptum ſit, ſed cotidie potius aliquid acceſſerit ad amorem, nunquamq́; ego excellens ingenium tuum, incredibilem doctrinam, ſuauiſsimos mores, ſingularem probitatem, admirari & amare deſtiterim, cur non debui primos tibi ingenij mei fructus largiri? ſimulq́;, cùm noſtra amicitia ciuibus noſtris notiſsima, & (ut ſpero) probatiſsima ſit, quantum per me fieri poteſt, eniti ut externis etiam gentibus non incognita eſſet? Quòd ſi multi opibus

potentiaq́; illuſtres perſonas quærunt, quibus labores ſuos commendent, rectius ego eſſe putaui, eum cum quo familiariſsime uiuo, cunctis animi & ingenij muneribus clarum non præterire, & cui fortuna potius defuiſſe uideatur, ad præclaras & honeſtas res gerendas, quàm aut ea quæ ipſi ſibi ſummo ſtudio & diligentia homines ad laudem & gloriam nati parare ſolent, aut illis à natura (ut ampliſsimi uiri euadant, tribui. Accipies igitur hoc, qualecumque eſt, læto animo munuſculum, & quæ à te ingenij tui monimenta expectantur, ne patiare diutius ea ingenuis artibus deditos deſyderare. Vale.

PETRI VICTORII EXPLICATIONES SVARVM IN CICERONEM CASTIGATIONVM.

*

EXponenda primùm à nobis cauſa eſt, cur titulum XVI. *primorum librorum mutauerimus, qui uulgò ab omnibus* Familiarium *epiſtolarum appellabantur: ne forte aliquis nos id temere feciſſe ſuſpicetur: ob idq́; malit uſitatum, & receptum iam errorem ſequi, quàm uetus & legitimum nomen harum epiſtolarum comprobare.* Nam *cum nihil ſit in his libris immutatum, cuius non poßimus ſi non ueram, probabilem tamen aliquam cauſam reddere: uidemur quoque nobis huius rei argumenta & rationes non contemnendas poſſe adducere, quæ falſo nomine has diu appellatas eſſe oſtendant, & conſilium noſtrum non reprehendi ſinant, qui id induxerimus: non autem id nouandi cupiditate capti fecimus, ſed potius ſinceræ, & incorruptæ uetuſtatis deſyderio moti, quam cotidie magis à nouis quibuſdam inquinari, & ludibrio haberi pati non poſſumus.* Exiſtimo *autem hos, ut hæc uolumina ab alijs* Ciceronis, *& maximè ab his, quæ ad* Atticum *ſcripta ſunt, diſtinguerent, nomen illud excogitauiſſe: quod quàm ſapienter fecerint, alij maioris autoritatis uiri iudicabunt.* Scimus *ſanè quoddam epiſtolarum genus familiare rectè appellari & dici, cuius etiam generis nonnullæ hoc uolumine epiſtolæ continentur:*

tur: non tamen ob id omnes ita appellandæ, cùm plurimæ ſint de grauibus & magnis rebus ſummo artificio ſcriptæ. Quòd ſi ullis epiſtolarũ uoluminibus hic titulus conueniret, uerius hoc nomine appellari poſſent illæ, quæ ad Atticũ familiariter ſcriptæ ſunt: quæ licet & ipſæ ſæpe de publicis rebus agant, remiſsiore tamẽ & ſolutiore genere dicẽdi utũtur, & minore arte & ſtudio ſcriptæ ſunt, quomodo familiares inter ſe homines ſcribere conſueuerunt. Hoc autem ab alijs diſertis & elegantibus uiris animaduerſum eſſe (quibus merito ſemper hoc nomen ſuſpectum fuit) compertum habemus. Mouit autem nos maximè ut id repudiaremus, quod in nullis manu ſcriptis paulo antiquioribus codicibus illud inuenimus, ut omnino nouum eſſe & nuper ortum cõfiteri neceſſe ſit. Nam in egregiæ & probatæ uetuſtatis exemplari, quod merito ſemper ſummæ autoritatis apud nos fuit, nullum eſt huius uocis ueſtigium. Animaduertimus etiam, quod rem penitus cõfirmare uidetur, à nullo unquam ueterum autorum, & non ignobilium Grammaticorum, qui crebro teſtimonium harum epiſtolarum adducunt, illas familiares appellari, ſed eo quem nos reſtituimus titulo & nomine. Hi ſunt A. Gellius, Nonius Marcellus, Priſcianus, qui non has ſolum, uerùm etiam multos alios libros epiſtolarum à M. Tullio ſcriptarũ citãt, qui ab eo ſemper ad quem miſſæ ſunt, cognomen accipiunt. Hoc autem tam notum uni[illegible] eſſe potest, & tam facilè ab illis qui nõ obſeruarint, [illegible]it perſpici, ut exemplis adducendis, id comprobari neceſſe eſſe non putem. Vnum tamen notandum fuit, cum liber ab eo ad quem primæ epiſtolæ ſcriptæ ſint, appelletur, contineãtq; ferè ſemper ad alios etiam miſſas literas, quomodo illæ poſteriores citandæ ſint: quod etiam ab illis diligenter obſeruatũ eſt. quod maxime eo loco declaratur, qui à Nonio

Mar.

Mar. adducitur è libro qui antè nonus appellabatur, Sed cu ra ut ualeas, ne ego te iacente bona tua comedi. ſic enim, inquit Nonius, *Cicero ad* Varronẽ *epiſtola* Pæti: *ſunt enim hæc uerba in epiſtola* Pæti, *id eſt quæ ad* Pætum *miſſa eſt. epiſtolæ autem ad* Pætũ *miſſæ continentur in uolumine ad* Varronem, *ſic appellato, quia primæ eius libri epiſtolæ ad* M. Varronem *ſcriptæ ſunt: ut hoc præcipuè loco, & multis etiam alijs (quæ nunc ne longiores nulla neceßitate ſimus, omittemus) ſcrupulum hunc quemadmodum ueteres uitare ſoliti eſſent, appareat, & legitimum hunc eſſe titulum horum librorum amplius dubitari nõ debeat, cùm ab optimis autoribus ita citentur. nec debent nomine, in quo omnes comprehenduntur, ſublato, numeri notari librorum: tunc enim neceſſarij ſunt, cum ad eundem plures libri mittuntur, ut in multis ex his qui uetuſtate amißi ſunt, accidit. nã non pauci fuere ad quos multa epiſtolarum uolumina ſcripſerit, ut ad* Cn. Pompeium, *Cæſarem* Dictatorem, *Cæſarem* Iuniorem: *ſiquidem ex lib.* IX. *epiſtolarum ad* A. Hirtium *à* Nonio Marcello *Ciceronis teſtimonium adducitur, & ex his qui reſtant,* III. *ad* Q. *fratrẽ,* XVI. *ad* T. Pomponium Atticum. *in hoc etiam fidem priſcorum codicũ noſcũ habemus. His igitur ego & rationibus, & autoritatibus motus, inueteratum & receptum iam errorem tollere non dubitaui.*

E LIBRO AD P. LENTULUM. I.

Quod cõmode facere poßis:) *Sic olim in prima ad* Lentulum *epiſtola locus hic legebatur: emendarunt poſtea nonnulli,* COMODO REIP. *non omnino ineptè aut longè à uetere lectione, nec tamen penitus cum ea con-* Pagina. 10. noſtræ editionis.

cordantes: partem enim uetuſtæ lectionis receperunt, partem reprobarunt. ſiquidem: QVOD COMMODO REM FACERE POSSIS, uetuſtiores habent, Quòd ſi (commodo) aptè & opportunè ſignificaret, nos hanc ualdè probaremus, ut diceret, ideo quoſdam ipſi Lentulo decernere ut regem deduceret, quòd id ille maxime propter loci uicinitatem & opportunitatem commodè & aptè facere poſſet. nam Lentulus in iis locis erat, ut ipſi propè in conſpectu Aegyptus eſſet. Arbitramur enim in hac re ſpectaſſe potius quoſdam, ut id negotium alicui committeretur qui id commodè conficere poſſet, quàm ullum reipublicæ commodum aut utilitatem. Non tamen negauerimus, poſſe etiam locum eſſe reſtitutæ ab aliis lectioni, quanuis ueterem magis ueram exiſtimemus, ſi modo paruo illo mendo purgetur. Nam COMMODE potius quàm COMMODO ſcribendum eſſe puto. Paulo etiam poſt initium huius epiſtolæ, QVI, pro QVONIAM ſcriptum eſt in cunctis ueteribus exemplaribus, quod à nobis præteritum (quanuis tenuis animaduerſio ſit) hìc tamen adnotare uiſum eſt. Qui tritas habent aures notandis huius autoris uerbis, diiudicare poterunt utra ſincerior ſit, & magis huius loci propria lectio.

Epiſtola prima, numero 3.

19 Septima ad Lentulum epiſtola, reddenda à nobis ratio eſt cur locum, qui antea in omnibus impreſſis codicibus nulla mendi ſuſpicione legebatur, ut mutilum notauerimus, duabus ſubtractis dictionibus. Noſtrum conſilium fuit optime lector (quod omnibus probari cupio) ut quantum per nos fieri poſſit, ſinceram Ciceronis ſcripturam reſtitueremus. quòd ſicubi in locos mancos incidimus, tutius nobis uiſum eſt, eos ut in antiquis, & probatis exemplarib

pluribus inuenimus, ſcribere, quàm ut à quibuſdam(mea quidē ſententia, parū in alienis ſcriptis modeſtis) ſuppleti ſunt, qui operam dabant ut nullus locus eſſet è quo non ali quis ſenſus eliceretur, putabantq́; hoc eſſe officium correctoris, nihil iacere pati. à quorum opinione, iam pridem à doctis uiris damnata, & eiecta, nos longè diſſentimus, diuerſumq́; penitus inſtitutum ſecuti ſumus: omnes enim locos, qui contra ueterum codicum fidem à recentioribus grammaticis ſuppleti ſunt, quos nos ueteribus ueſtigijs hærentes corrigere non potuimus, in antiquam lectionem retraximus, nequis uerba illa pro legitimis Ciceronis *accipiens fallatur, & ut induſtria ſtudioſorum habeat in quo ſe exerceat, quærantur q́; antiquiora & integriora exemplaria, ſi ulla fortaſſe adhuc latent, quæ ueram lectionem re tineant.* Hic *autem locus de quo nunc loquimur. ut uides, le gitur in melioribus codicibus: deſyderetur ne aliud præter uerbum, quo ſuperiores dictiones necti debent, doctiores diligentius animaduertent. ſcimus autem nonnullos pro* PRAEFVISTI, *legere* FAVISTI: *quæ res auget etiam ſuſpicionem, uel potius me in hac opinione cōfirmat, ut ea quæ nos deleuimus uerba, noua ſint, & ab aliquo ſup pleta. cum enim non ſatis bene firma ſcriptura eſt, aliquid ferè ſemper uitij ſubeſt.*

Eadem *epiſtola,* Te *uerò moneo cum beneficijs tuis:)* 19
Nos *receptam lectionem hoc loco conſeruauimus: ueterem autem (quamuis eam non probemus) uolumus tamen teſtatam relinquere: in antiquioribus enim & melioribus libris, beneficentijs pro beneficijs legimus.* Eſt *autem apud hunc autorem hoc nomen: uerum* Beneficentia *potius illi eſt (niſi fallimur) animi uirtus & quedam bonitas naturæ, quæ opibus ſuis alios iuuare, & beneficia in homines*

nes conferre delectantur. Beneſicientias ab eo beneficia collata appellari, non memini me legiſſe.

23 Epiſtola nona, Qui tibi ex me fructus debẽtur, eos uberiores & præſtantiores præſens capere potuiſſes.) Veteres codices (præſentiores) habent, ut nos ſcripſimus. Mirum eſt quàm multis locis hanc uocẽ PRAESENTEM in (præſtantem) mutauerint: credo nõ putantes Latine hoc ſignificatu dici: ſed (ut opinio mea eſt) peccarunt, ſæpe enim eam apud hunc legimus, ut in epiſto. ad Catonem, 4.13. Vir cũ beneuolentia, & fide erga populum Ro. ſingulari, tum præſenti magnitudine & animi & conſilij. etſi in eum etiã locum idem error inuaſerat quem nos ſuſtulimus: uulgati enim codices (præſtanti) habebãt. In proœmio quoque Oratoris, Et in præſentibus rebus magna ſunt ea quæ ſunt optimis proxima. etſi ibi etiam uulgati, & communes codices præſtantibus. Videtur præterea non parum elegantiæ retinere geminatio illa eiuſdem dictionis, alio, & alio ſignificatu poſitæ.

28 Quo in diſcrimine cum mirifica Senatus, incredibilis Italiæ totius, ſingularis bonorũ omnium conſenſus:) Verba illa, MIRIFICA, & CONSENSVS non cohærent inter ſe, ut patet: omnes tamen uetuſti codices hanc lectionem retinent, quam etiam in impreßis quibuſdam inuenias: etſi in alijs qui facilitatem, & claritatem, ſecuti ſunt, CONSENSIO repoſuerunt, pro conſenſus: proculdubio planam, & apertam lectionẽ, niſi uetuſtorum codicum autoritas repugnet. Videant igitur eruditi uiri quomodo hunc locum tueantur. Scimus nos quandoque ueteres grammaticos in libris Ciceronis quoſdam locos notaſſe, in quibus ſolœciſmus ineſſe uideretur: in orationis enim curſu ea quandoque uox erit, quæ parum reſpondet ſuperiori

ſtructu

ſtructuræ. an huiuſmodi ſit hic locus. accuratè animaduer=
tendum eſt.

Si ij pro me ſtante, pugna nõ deſtitiſſent:) Emẽdauimus 28
ex uetuſtis codicibus, Si ijs pro me ſtante, pugnare licuiſſet Quo loco Mediceus codex, ille inquam omniũ probatiſſimus, & integerrimus (liquiſſet,) per q ſcribit. ſæpe enim inuenias in antiquis exemplaribus has literas inter ſe cõmutari, & uiciſſim alterã pro altera capi, ut in hoc ad Memmium epiſt. Q. Valerij ſic locus ille legitur, Quare Cuſpianorum omnium cõmendationis cauſam hac tibi epiſtola exponendam putaui: relicuis epiſtolis tantum faciam, & cætera. Et eodem libro, in epiſtola ad Seruium, Quod relicũ eſt, uelim augeas tua in eũ beneficia, & cætera. Eſt autem hæc omnino commodior, & uerior lectio: non enim pugnarunt, quamuis parati eſſent, & uellent pugnare pro ſalute Ciceronis: duces enim defuerunt. Vtitur etiam hac eadem locutione in Libro ad Senatũ, epiſtola ad Catonẽ, cum eandẽ ferè ſententiã exponeret, Mitto quòd inuidiã, q, pericula, quòd omnes meas tempeſtates & ſubieris, & multo etiã magis, ſi per me licuiſſet, ſubire paratiſſimus fueris.

Recreatis enim bonis uiris, &c.) Nos quia horum codi
cum probitatem multis nobis perſpectam habemus, nihil 29
ferè in illis inuenimus quod penitus contemnamus. Quæ tamen non tutò niſi ſumus poſſe recipere, & tamen digna putauimus ut de his lectorem admoneremus, conſeruata priore ſcriptura, huc conferemus, quemadmodum hunc locum: ſic enim in antiquis legitur, RECREATI ENIM BONI VIRI CONSVLATV TVO, ET CONSTANTISSIMIS, ATQVE OPTIMIS ACTIONIBVS TVIS EXCITATI, *&c. ut poſſint alij maioris ingenij & eruditionis*

uiri

uiri rem diligenter conſyderare. Quod ſi negligentiæ librariorum tribuendum ſit, mirum profectò eſt accuratum alioquin hominem, qualis fuit qui librum Mediceum ſcripſit, ut alios taceam) quater in eodem tractu peccaſſe, & cum ſemper ſeptimo caſu quatuor nomina ſcribere debuiſſet: ne ſemel quidem recte reddidiſſe.

29 Primum illa furta muliebrium religionum:) Nos furia legimus: non tamē in hac parte ab ātiquis codicibus adiuti ſumus: eſt in illo etiam probatiſſimo idem error. ſed cum ſit unius tantum literæ faciēda parua immutatio, ſententiaq; huius loci ualde illuſtretur, cum ante nullus commodus ſenſus eliceretur, ſperauimus, ſi peruerſionem illam correxiſſemus, in reprehenſionem non caſuros. cùm enim hîc manifeſto de Clodio agatur, quem ſæpe furiam appellat, digno illius flagitijs nomine, cur non hîc quoque ita appellet? In epiſtola ad Q. fratrem de Claudio agens ſic inquit, Aut ullum ad illam furiam uerbum reſcriberet. Quòd autem dicit furia religionum, ut generandi caſum hæc uox furia ſuſtineat, idem facit in oratione in L. Piſonem, cum illum furiam ſociorum appellat. Nam quod ſequitur, IMPVNITATEM SCELERVM EORVM SENTENTIIS, uetuſti codices habent, IMPVNITATEM, ST ILLORVM SENTENTIIS, pro IMPVNITATEM EST: quæ ſcriptura ſemper eſt in Mediceo, ut in melioribus Plauti, & Terentij codicibus ſupreſſa E litera: quod cum nõnulli fortaſſe nō intellexiſſent, ex illis uerbis STILLORVM (ſcelerum) fecerunt, de ſuoq; EORVM [illegible]diderūt, & alia quædam quæ mirifice hunc locū perturbarunt. quibus ſublatis locoq; omnibus maculis diligēter purgato, ſententia eius, quanuis occultior, ignota eſſe nō poterit ſtudio

ſis

ſis, & his præcipuè qui adcurate hiſtoriam illorum tempo=rum & earum maximè rerum quæ ad ſe pertinebant, à Cicerone ſæpius ſcriptus ſuis explicatam didicerint.

Scripſi etiam carmina quædam, nã, & c.) Hæc duo uerba, CARMINA QVAEDAM, *in nullis reperiuntur antiquis exẽplaribus: in illoq́; probatiſſimo alia noua manu à recẽtiori aliquo, & audaci (ut puto) repoſita ſunt qui cum longum hunc ſententiæ tractum non perciperet, putauit ea uerba deeſſe, & parum conſyderatè inculcauit. Eſt autem locus* κατὰ παρένθεσιν *legendus ab illa dictione* ETIAM, *uſque ad* SCRIPSI, *poſt quam uocem, quod ſequitur* ETIAM, *in* IGITVR *commutandum eſt: ſicq́; nihil diſcrepabit locus ab optimis codicibus: elegantemq́; admodum ſententiam præ ſe feret. Similis huic locutio eſt in ultimo libro ad Atticum, Tu uerò ſapiẽter (nunc demum enim reſcribo his literis quas mihi miſiſti conuento Antonio Tyburti) ſapiẽter igitur, quod manus dediſti. Poſſem huius ſtructuræ plura exẽpla adferre, præcipueq́; apud Ariſtotelem, quæ ſæpe adeo conturbant noſtros expoſitores, qui hæc nec diligenter curant, nec poſſunt, etiam ſi uelint, cũ ſint in barbaris illis interpretationibus corrupta & confuſa, ut dolendum ſit tam bona ingenia in tam deprauatis libris eſſe uerſata, quæ tamen Græci enarratores diligenter notant. Fortaſſe etiam eum qui hunc cõtaminare auſus eſt, fefellit uox ea* MVSAS, *cum non crederet ille niſi de poëmatibus dici: quod adeo falſum eſt, ut id longius confutare non oporteat ſed quia ſemper Cicero in uerſibus faciendis ſe libenter exercuit, infrà narrat quid eo tempore numeris ſcripſerit: dicit enim ſe* III. *libros ſcripſiſſe de temporibus ſuis. nam illud* CARMINA QVAEDAM *tam otioſe dictum non dignum uidebatur elegantia*

Ciceron

Ciceronis, nec tam accurata ſuarum rerum expoſitione, qua in epiſtola utitur.

36 *Si Curiata lex non eſſet, e paraturũ cum collega:) Cum hic nonnihil mendi appareret, alij alijs modis corrigere adgreſſi ſunt. Quidam pro* SEPARATVRVM, PARTITVRVM *legunt. nã ſæpe apud* Liuium *dicuntur Conſules inter ſe prouincias partiri. Alij* SEPACTVRVM, *longius adhuc à uetere ſcriptura & audacius.* Nos *cum in priſcis omnibus exemplaribus* SEPARATVRVM *inuenerimus, diligentius re conſiderata,* SEPATVRVM *legi debere iudicauimus: nulla alia re antiquam lectionẽ uariãtes, niſi quòd ex una duas dictiones fecimus, primã ſyllabam quæ male ſequenti hæſerat, & per ſe ſtare debebat, ab illa abſcindentes* Quàm *frequens ſit apud* Liuium *hic modus dicendi, cum de diuiſione prouinciarum agitur, ſeu de alia re quam* Senatus *arbitrio conſulum permittit, nihil neceſſe eſt dicere, cum facile ſit cuilibet plurima exempla inuenire.* Vt *tamen qui hoc non animaduertit, hoc onere leuetur; ex multis quædam hic adponemus. lib.* XXIIII. *Quo die magiſtratum inierunt Coſſ. ſenatus in Capitolio eſt habitus: decretumq; omnium primum, ut Coſſ. ſortirentur, compararentq; inter ſe, ut Claudius comitia perficeret.* Lib. XXVI. *Inter ſe compararent Claudius, Fuluiusq;, utri obſidenda Capua, utri ad prohibẽdam obſidione patriã,* Romã *ueniendũ eſſet.* In *initio li.* XXX. *Cn. Seruilius Cæpio & Cn. Seruilius Geminus Coſſ. (ſextus decimus is annus belli Punici erat) quum de* Rep. *belloq; & prouincijs ad Senatum retuliſſent, cenſuerunt patres ut Coſſ. inter ſe compararent, ſortirenturue uter* Bruttios *aduerſus* Annibalem, *uter* Etruriam *ac* Liguriam *prouinciam haberet.* In *eodem libro iuxta finem,* Patres *igitur*

iurati

iurati (ita conuenerat) cenſuerunt, uti Coß. prouincias inter ſe compararent, ſortirenturue uter Italiam, uter claſſem nauium L. haberet. Mandabat igitur Senatus ut prouincias Coß. uel in ſortem conijcerent, uel inter illos conueniret, & ſua uoluntate ipſi conſtituerent uter utram haberet: utique illos ſolitos hoc uerbo in ea re, infinitis autoritatibus certum eſt. Quin etiam in antiquis quibuſdam libris ita locus hic Salluſtij in Iugurt. legitur, Poſt A. fœdus exercitúſque noſtri fugam fœdam Metellus & Silanus Coß: declarati prouincias inter ſe parauerant: Metellóque Numidia euenerat. ut omnino SE PARATVRVM *ueram legitimámque eſſe huius loci lectionem putẽ. Quamuis autem in ſuperioribus Liuij exemplis (comparare) ſit, Cicero uerò hic (parare) dixerit, non tamen dubitandum eſt quin eandem rem ambo intelligant, quam enim præpoſitionem Liuius cum uerbo coniunxit, Cicero nomini attribuit. Infert enim cum collega: ut idem profecto ſignificet, parum uariato ſermone dicere, Conſules inter ſe comparare, & Conſulem parare cum collega.*

Ad tuam ſummam amplitudinem, dignitatem, liberalitatem, qua te ſcio libentiſſime frui ſolere:) Vetuſti codices LIBERTATEM *habent melius omnino meo iudicio. Puto autem hic libertatẽ ſignificare, uacare moleſtijs prouincialibus, poſſéque pro ſuo arbitrio quicquid commodum fuerit agere: quod facere nequeunt qui in oculis tot populorum uiuunt. quòd ſi uoluiſſet retinere prouinciam, nec ſucceſſori tradere, opus ei fuiſſet multis inſeruire, ad multáque deſcendere, quæ ſeruitutis nonnihil illi attuliſſe. Præterea ob hoc etiam uulgata lectio mihi diſplicet. frui liberalitate mihi is uidetur in quem liberalitas e... tur, non qui ea ſtudioſe utitur. Vt non ſatis aptè di...* 31

tuerit Lentulum liberalitate libentiſsimè frui ſolere, cū antea liberalitatem in eo eſſe dixiſſet: nam qui ea præditus eſt, eam in alios exercet.

37 *Facilitate quidē quid uellem:)* Hic locus nonnihil mendi continet. Quidam ſic caſtigarunt, FACILITATE AVTEM QVOD VELLEM, &c. hac ſententia, ut puto, Potuiſſes conſequi facilitate tua (quod uellem ſcilicet feciſſes) ne eius ordinis, quem ſemper ornaſti, rem aut uoluntatem offenderes. id eſt, ſi facilis in publicanos fuiſſes. eorúmque cōmodis indulſiſſes, profectò non ordinem illum à te alienaſſes. Nos antiquam ſcripturam ſecuti ſumus, cuius elegantior eſt etiam (ut puto) ſententia: eſt autem hæc, Dolet ſanè Lentulum aliquid aduerſus commoda publicanorum egiſſe, ſed quaſi eum excuſat. quod enim fecerat contra illos, quaſi coactum feciſſe oſtendit, cum ſemper antè (ut ait) ordinem eum ornare conſueſſet: caſus autem fecit, ut illorum uoluntatem offenderet, quem uitare non potuit: docet: enim ipſum iure feciſſe quod in illos decreuerat, cū laudet æquitatem eius: uoluiſſet autem Cicero felicitate aliqua Lentulus conſequi potuiſſet, ne accidiſſet ut illorum uoluntas offendenda eſſet. Hæc eſt noſtra huius loci opinio, & omnium meliorum codicum lectio; id ſequatur quod ſibi rectum uidebitur unuſquiſque.

37 *Cur enim tibi hoc non gratificer neſcio.)* Cogitandum eſt accuratius, an huius paruæ epiſtolæ principium deſit; nam uidetur omnino, ſi diligenter prima uerba examines, aliquid deſyderari: arguunt enim quædam dicta eſſe, quibus ...la reſpondeant: per ſe autem parum apta ſunt initio lite...rum. quod ſi nonnullis coniecturis quæ ex paucorum ho...uerſuum ſententijs, & aliunde etiā non importunè du...ſunt, fides habenda eſt, iudices maiorem partem eius

amiſſam

amiſſam eſſe,& eam quæ conſeruata eſt,magis extremo quàm principio literarum propinquam fuiſſe. Non me ta*men latet multos credere nihil deſyderari,à uerbóque* IVRISCONSVLTO, *quod in epiſtolæ inſcriptione eſt, regi ſenſum & ſtructuram conſequentium uerborum,ut familiariter cum eo iocetur,facetéque hominem irrideat,qui ſe iuriſconſultum haberi & appellari uellet,cum non eſſet fortaſſe ualde iuriſconſultus.quia tamẽ hoc mihi parum ſatisfacit,nolui quin meam de hac re ſententiam notam facerem,prætermittere.eſt enim opinio illa cõmentitia & nulla autoritate,aut teſtimonio cõfirmata:& prima illa uerba,in quibus iocus ineſſe debebat,nullam in ſe lepôris rationem,aut ſpeciem habere uidentur.*

AD CVRIONEM. II. 38

Etenim quis eſt tam in ſcribendo impiger,quàm ego? à te uerò bis,térue ad ſummum:) Veteres codices ambas has *dictiones* SCRIBENDO & SVMMVM *ſine præpoſitionibus habent,ut etiam ad* Appium, *Committere ut negligens ſcribendo fuiſſe uidear.(Summum) ſæpe inuenias aduerbialiter ſine præpoſitione,ut in epiſtola ad Meſcinium in bonis codicibus,Excepto uno,aut ſummum altero.Ad Atticum lib.* XII. *etiam in uulgatis rectè, Scies igitur fortaſſe cras,ſummum perendie. Itẽ lib.* XIII. *Exſpectabam hodie,aut ſummum cras ab eo tabellarios.*

Nempe ſtudium non defuit:) Sic ferè in omnibus excuſis 39
libris:Alij prius adhuc, STVDIVM MEVM *legunt. Quomodo enim poteſt ſtudium ſuum in eo negotio nõ defuiſſe dicere,cum id ſibi non placuiſſe oſtendat,ſéque cum alijs autorem fuiſſe ne fieret? Erat hic certe locus ualde obſcurus:ego tamen mihi uideor in antiquo Mediceo codice ueram lectionem reperiſſe. Deleta erat in eo prima huius*

epiſtolæ dictio, ut nullum omnino ueſtigium eius ſupereſſet, aliáque manu repoſitum NEMPE. *Sed quia in ueteribus codicibus ante ſingulos libros notata ſunt initia omnia epiſtolarum, quæ eo uolumine cõtinentur, cũ titulis etiam & eorum qui ſcribunt, & ad quos miſſæ ſunt, ut facilius, credo, lector inuenire poſſet quas uellet, indicem illum aſpexi, in quo ſic eſt,* M. CICERO SAL. DICIT CVRIONI. RVPAE STVDIVM: *Quam puto eſſe ſynceram, & incorruptam lectionem.* Rupa *enim nomen eſſe arbitror liberti ipſius Curionis, quem ille cũ mandatis* Romam *miſerat: quorum unum fuerat, ut declararet munera ſuo nomine: quod cum ab eo factum non fuiſſet, excuſat illum nunc Cicero. docétque per* Rupam *non ſtetiſſe quo minus quod imperatum erat, faceret: ſummum enim in illo ſtudium fuiſſe, ut id negotium conficeretur, ſe tamen alióſq; ſuos cõſulto impediuiſſe, ut poſtea accuraté exponit.*

42 *In quo omnia mea ſtudia poſita eſſe decreui:) Nos dictionem illam* STVDIA *ex uetuſtis codicibus, & re ipſa, uacare iudicauimus, ideóque deleuimus.* Dicit *autem omnia ſua ſe in* Milone *decreuiſſe poſita eſſe, id eſt, omnes ſuas fortunas, & omnẽ uitæ ſuæ ſtatum ita uoluiſſe in illo poſita eſſe, ut ex illo penderent, quemadmodum in* Tuſculanarum *lib.* V. Q*uî autem poteſt eſſe celſus & erectus, & ea quæ homini accidere poſſunt, omnia parua ducens (qualem ſapientem eſſe uolumus) niſi omnia ſibi in ſe poſita eſſe cenſebit?* Eadem *ratio eſt uocis illius* BENEFICIA, *quam paucis ſuprà uerſibus non neceſſario in oratione ſitam, intelligebatur enim) omiſimus: ſed nec ea etiã in ueteribus libris erat: uerum multa his ſimilia, quæ per ſe patebunt, ſiquis acutè attendere uolet, tranſibimus, ne uideamur ex minutis omnibus animaduerſionibus ambitioſe laudem*

dem

dem uelle aucupari, & lectorum ingenijs penitus diffidere, quorum ſperamus maiorem partem, indicata tantum antiqua, & incorrupta lectione, reliqua per ſe cognituram, ambarum ſaltem lectionum conlatione facta.

Ego uoluptatem homini nimiam.) Hic locus uariè legi- 46
tur: alij enim pro HOMINI, HABVI legunt: alij etiã alijs modis, quos non neceſſe eſt omnes enumerare. In antiquis exemplaribus ſanè HOMINI eſt: (animi) tamẽ legendum puto. eſt autem uerſiculus nõ totus Trabeæ poëtæ comici. In Tuſcul. ferè integer eſt, ſententia certè eius non deſyderatur, Vt ille, qui uoluptatem animi nimiã ſummum errorem eſſe arbitratur. Item lib. II. de finibus, Nam & ille apud Trabeam uoluptatem animi nimiam lætitiam dicit: eandem quam ille Cæcilianus, qui omnibus lætitijs lætum eſſe ſe narrat. Exiſtimo autẽ hoc loco uerſiculum Cæcilij intelligere, quem Cicero in hac ipſa epiſtola integrum ponit, hunc ſcilicet: Repente uerò inceßi omnibus lætitijs. Hæc autem tota penè uerſibus epiſtola contexta eſt: nã illa etiam uerbã, Non ædepol quantam egeris rem, neque quantum facinus feceris, arbitror eſſe ex aliquo poëta: ſed quia confuſa citantur, non facile numeros in illis inuenias: uerba tamen ipſa diuerſa à pedeſtri ſermone uidentur.

Vide quàm timide, quàm ad me literæ non præferantur:) Quidam emendarunt, Tu uide quàm temere, cum ad me literæ non perferantur: ſecus prorſus quàm in antiquis exemplaribus eſt. Cum autem lectionem illam uulgatã contemnerent, aliam commenti ſunt, ut ſibi uidebantur, commodiorẽ. Nos nihil ab optimus libris declinauimus: eſt autem in illis, Tu uide quàm ad me literæ non perferantur. quam lectionem cenſeo ſequendam eſſe. Vide quàm nõ perferantur literæ, negligentia ſcilicet tabellariorum, aut ali-

BIBLIOTECA NAZ.

quo caſu.non enim perſuaderi ſe poſſe dicit nullas à Cœlio literas datas,poſtquam ædilis declaratus eſt:docétque interim tempus quod ſine eius literis egit.Miratur igitur non mediocriter cur hoc accidat,quaſiq́; attentiorem & diligentiorem uult facere Cœlium in dandis literis,cum nullæ ad eum perferantur.

47 *Quia quod ſperabam de nihilo:)Hic locus ualde mihi ſemper obſcurus uiſus eſt:quare fieri etiam poteſt ut mendo non uacet:id ego neque negare neque affirmare auſim.cum tamen omnes ferè impreſſos codices,cunctos certe manuſcriptos eandem lectionem retinere uideam,nolui aliquid contra tot librorum conſenſum ſtatuere: alijsq́; eruditioribus de hoc decernendum relinquere ſatius eſſe duxi. Qui nuper Venetijs has epiſtolas ediderunt,de Hillo,emendarunt,hanc ſecuti rationem & coniecturam,ut puto,ut de Hirri repulſa agat,qui cum Ciceronis quondam competior fuiſſet,graues cum illo poſtea inimicitias geßit,de quo eſt in epiſtolis Cœlij,ut magnam lætitiam Cicero ceperit,illum etiam à Cœlio uictum,& ædilitate deiectũ eſſe,appellétque nunc eum Hillum more balborum,qui linguæ uitio* R *literam exprimere nequeunt,& pro illa ,* L *proferunt,quemadmodum apud Ariſtophanem Alcibiades inducitur,qui naturæ uitio in hoc peccabat:adiungit enim ſtatim Cicero,Balbus ſum,quod non putabam. Lepidum ſanè commentum , nec ineptè excogitatum.quibus placuerit,poterunt ita intelligere & emendare. Nobis magis acute quam uere expoſitum uidetur:fit enim nimis multarum literarum immutatione,uel potius totius uocis peruerſione. Quod ſi liceret tantum ſibi in corrigendis libris permittere,nihil tam deprauatum eſſet quod non ita poſſet concinnari,ut ex eo aliquid commodæ ſententiæ eliceretur.ſed id parum tutum*

eſt,

eſt,ſæpiúſque in malum uertit. Nonnullas quoque coniecturas,quæ hanc emendationẽ,ut uiolentã,ita etiam nõ ueram eſſe arguerent,adferre poſſem:quas tamen omittam,ne uidear aliorum induſtriam uelle inſectari,cum nihil ego quod magis ſenſum huius loci illuſtret,maculáſque,ſi quæ ſunt, abluat,adferam.

Ita tumultuoſæ conciones,ita moleſtæ quinquatrijs ad- 49
ferebantur) Vetuſti codices quinquatrus,generandi caſu:ſi enim QVINQVATRIIS eſſet,ſignificaret(ut puto) diem quo adlatæ eſſent ad ſe,non quo geſtæ illæ res. Intelligere autem eum diem quo conciones illæ tumultuoſæ habitæ ſunt,declarat uox illa CITERIORA: dicit enim ſe nondum audiſſe quæ poſt eum diem in urbe geſta ſunt. Præterea potius apud bonos autores quinquatrus inuenias, quàm quinquatria:ſic enim ſemper apud Sex. Pompeium, & Nonium Marcellum,qui hanc uocẽ diligenter interpretantur,ſcriptum eſt. Nonius etiam de forma uocabuli accuratè diſputat. Nam quod apud Tacitum lib. XIIII. Miro tamen certamine procerũ decernuntur ſupplicationes apud omnia puluinaria,utq; Quinquatria,quibus apertæ inſidiæ eſſent,ludis annuis celebrarentur:mendum eſt:nam in uetuſto codice,qui in Diui Marci bibliotheca eſt, Quinquatrus eſt,nõ Quinquatria. Idẽ quoque non multò antè etiam in uulgatis libris, Placuit ſolertia tẽpore etiã adiuta,quando Quinquatruum feſtos dies apud Baias frequentabant.

Vrbem mi Rufe cole:) In antiquis exemplaribus repeti- 49
ta uox illa VRBEM, eleganter profectò,maiore eorum uerborum ui,quam figurã,cum multis locis ea Cicero uſus ſit,imperitia librariorum ſæpe ſuſtulit: alteram enim earum dictionum uacare arbitrantes,errorémque priorum(ut putabam)corrigere ſtudentes,grauiter ipſi peccarunt.

30 *Quoniā κωμικὸς μάρτυς, ut opinor, accidit Phania.) Eraſmus uir doctiſsimus noſtris tēporibus, & πολυγραφώτατος, locum hunc corruptum eſſe cenſet, corrigitque οἰκικὸς μάρτυς, uel οἴκοθεν μάρτυς, id eſt domeſticus teſtis, cum nullibi apud Græcos autores (ut uidetur) hoc prouerbium legiſſet. Nos in antiquis exemplaribus Græcas has uoces nulla uarietate ſcriptas animaduertimus, ſed recte admodum & integerrimè, quod rarò accidit in Latinis uetuſtis codicibus: uix enim poterant, qui linguæ illius rudes eſſent, ut erant illarum ætatum librarij, tam accuratè characteras illos effingere, ut non aliquid peccarent. prouerbiūmque hoc apud Suidam reperimus in dictione ἔμφασις. cum enim locum ex hiſtoria Polybij adduceret, hæc uerba ipſius ponit: καὶ προσκατέψευσαι τ' ἀνδρὸς κωμικόν τινα μάρτυρα προσεπισπάσαμενος ἀνώνυμον. Nihil igitur amplius de horum uerborum integritate dubitandū eſt, cum apud Græcos etiam autores hoc prouerbium inueniatur: potius quærenda eſt ſententia, & uis ipſius: etſi ex uerbis Polybij, quæ à Suida accepimus (nec enim integram hiſtoriam præclariſsimi illius uiri habemus) uidetur de his proferri ſolitum, qui aliquod mendacium ficto aliquo teſte confirmare uolebant. Nam quòd alij comicum teſtem opportunum intelligunt, & in tempore aduenientem: alij autem aliter exponunt, cum nullo hæc autore dicant, mirari non debent, ſi paucos admodum ſuæ ſententiæ comites habent.*

32 *Cæſari honeſtiſsimè cupio:) Vetuſti codices* CAESAREM HONESTVM ESSE CVPIO, *ut nos emendauimus, eadem ſententia & ſignificatione, qua Brutus, & Caſsius de Antonio in epiſtola ad eum miſſa dicunt: Nos in hac ſententia ſumus, ut te cupiamus in libera Repub. magnum & honeſtum eſſe.*

At quæſtorem, at nobilem adoleſcentem, at omnium ferè exemplum:)Emendauimus EXEMPLO, ut eſt in antiquis codicibus. Ad Atti. lib. VII. de hac eadem re agens ſic inquit: Hoc melius, & huius rei plura exempla. Item in eadem hac epiſtola: Poſtremo non tam mea ſponte quàm potentiſſimorum duorum exemplo. Intelligit autẽ Pompeium & Cæſarem, ut ex epiſtola ad Atticum ſuprà citata declaratur: Pompeius eo robore uir, his radicibus Q. Caſſium ſine ſorte delegit, Cæſar Antonium. Quod autem hîc AT QVAESTOREM, &c. in uetuſto codice Ad quæſtorem, ad nobilem, ad omnium, &c. legitur ſecundum ueterem ſcripturam propter affinitatem harũ literarum: ſic enim in hoc exẽplari pluribus locis reperias, ut contrà AT pro AD in epiſtola ad Salluſtiũ, in hoc codẽ uolumine, At quẽ intelligebat eius belli periculum ſpectare. & alijs infinitis locis. 52

De matrimonio:) Vetuſti codices omnes, de Matrinio, 52 quam lectionem magis probo: præter enim uetuſtorum codicum autoritatem, quomodo poteſt coniugium inter res geſtas numerari? Quòd ſi de nuptijs illius ageret, non tam frigide hãc rem tetigiſſet: nam & clarius totam rem narraſſet, & quod moris erat, ei gratulatus fuiſſet. Innuit autem (ut puto) negotium ipſius quoddam: de quo, etſi tunc aliquis ſermo fuit: poſtea tamen cito obſcuratum eſt, cum dignum non eſſet quod in hiſtorijs traderetur. De C. Matrinio quodam equite Ro. meminit Cicero in oratione VII. in Verrem.

Equitibus auxiliarijs egere ſe inquit·) In nullis uidi anti- 57 quis codicibus duas has dictiones EGERE SE, quæ in excuſis omnibus uiſuntur: & ſane puto additas eſſe temere ab aliquo, qui non intelligeret uerba eſſe ex epiſtola Bibuli ad Senatum: eæ autem totum hunc locum peruertunt, ſi accuratè, attentéque legas. Hæc enim ſunt illa uerba, quibus

quod ſuum erat cum Cicerone ille communicauerat, de quo nũc Cicero queritur. cum ſcripſiſſet enim Bibulus POSTVLAREMVS, *indicabat ſe in eo deſyderio non ſolum fuiſſe: uox autem illa,* INQVIT, *declarat eſſe quæ circà ſunt uerba, Bibuli: quæ maioribus literis ſcripſimus, ut diſtincta à ſermone Ciceronis facilius intelligeretur, nec amplius quemquam fallerent.*

59 *A me ornamenta in te proficiſcentur, elaborabo ut omnes:)* Nos *à ueteribus codicibus noſtram accepimus ſcripturam, quam caſtiorem putans ſine* ELABORABO, *ut ſi intellexeris quæcunque, id eſt, omnia, nullus ſcrupulus reſtet: pollicetur enim Cicero uniuerſa ſe in illum effuſurum eſſe ornamenta, ſic enim poſtulare & illius, & maiorum ſuorum dignitatem.*

EX LIBRO AD APPIVM PVLCHRVM. III.

62 *Verum, quod uidi, etiam curioſus)* Nos *ex uetuſtis codicibus,* VERVMETIAM (QVOD IVVET) CVRIOSVS, *legimus: ſæpe enim malum ingenium indicat curioſitas: non igitur ſic curioſum* Phaniam *uult accipi, ſed ea curioſitate præditum quæ delectet, & ametur.* Puto *autem huius erroris quaſi anſam dediſſe antiquam ſcripturam: hic enim & ferè omnibus locis hoc uerbum per unum tantum* V *ſcriptum eſt in ueteribus his codicibus: quod cum* Librarij *non intelligerent, mendum ineſſe ſuſpicantes, locum hunc inquinarunt: legitur autem in epiſtola ad* Meſcinium *in* Mediceo *codice ſic etiam locus ille:* Iuitque *me tibi cum ſummam humanitatem, tum etiam tuas literas profuiſſe.* Item *ad* A. Torquatum, Nec *eos quos adiuiſti. ſicq; infinitis alijs locis.* Ne *longior ſim, rationem huius orthogra-*

phiæ

phiæ nunc non eſt operæpretium perquirere, & fortaſſe totum hoc culpæ librariorum aßignandum eſt: tantum admonere placuit, ne ea quenquam amplius falleret, in erroremque induceret, qui hoc non animaduertiſſet. Sed quodnam huius loci factum eſt? nunc enim uidimus in noſtro etiam, uitio librariorum corruptam dictionẽ eſſe quam reſtituimus, & VIVET eius loco temere poſitum. Quis igitur poſſet amplius perditam horum negligentiam ferre?

Pro noſtra conſtantißima uoluntate erga te:) Diuerſam 62
ab hac lectionem habent ueteres codices: quam ſcilicet in noſtris libris uides elegantiorem profecto, & ueriorem: neſcio enim quomodo conſtantißimam meam uoluntatem erga Appium dicere poßit, quæ magnis ſimultatibus interrupta ſit. Nam conſociatas eorum inter ſe uoluntates poſt reconciliatam gratiam recte poteſt appellare. Quidam totum hunc locum immutarunt, rati fortaſſe parum Latinam uocem eſſe CONSOCIATAS: qui quantum decepti ſint, nihil attinet dicere.

Vtriuſque noſtrũ magni intereſt, prius uti te conueniam 65
quàm decedas:) Locus in antiquis omnibus, quos uidi codicibus mancus eſt: ſic enim in illis legitur, MAGNI IN TE QVAM DECEDAS. nos tamen, quia ſatis commode reſtitutus eſt (etſi fortaſſe non uerè) nihil à uulgatis permutauimus: officio tamen noſtro conuenire putauimus rem ſilentio non præterire ſuſpiciones quibus ducti non eſſe hanc legitimã huius loci lectionem putauimus (præter antiquorum exemplariorũ fidem, & autoritatem) quia minutæ ſunt, ſilebimus: unuſquiſque in hoc ſuum iudicium ſequatur.

Legati Appiani mihi uolumen, &c.) Magna ſemper ua- 65
rietate ſcriptus eſt hic locus, cum nonnulli Apameani pro Appiani legerent: ſed falsò, ut puto: nam & Appiani ubique

habent

habent ueteres codices: & hos populos eſſe prouinciæ cui Cicero præerat, docet Plinius lib. V. *cap.* XXIX. *his uerbis: Alter conuentus à Synnada accipit nomen: conueniunt Lycaones, Appiani, Cercopeni, Dorylæi, Midæi, Iulienſes, & reliqui ignobiles populi* XV. *Cum igitur uetuſtißimorum codicum lectio ratione, & optimorum autorum teſtimonio confirmetur, non uideo cur temere mutanda ſit.*

69 A Pauſania Lentuli liberto, ac Cæſonio audiui) *Nos ſcripſimus* ACCENSO: *non tamen ſic penitus eſt in antiquis: nonnihil enim mendi hunc locum occupauit: ibi enim* A PAVSANIA LENTVLI LIBERTO ACCESSO MEO *ſcriptum eſt: uulgata lectio omnino deprauata eſt*, AC CÆSONIO. *de uno enim tantum loquitur, ut ex ſequentibus uerbis manifeſtò colligitur. uolui antiquam ſcripturã omnibus proponere, ut ſiquis noſtram non probaret, comminiſcatur aliam, ſi poteſt, meliorem: nullius enim induſtriæ inuidemus: pollicemurq́; ſemper notum facturos ſi quando ab antiqua ſcriptura diſceſſerimus: cupio enim ſi minus ingenium, at fidem, & ingenuitatem noſtram commendari. Alij, in acceſſu meo legunt: quod minus placet. niſi enim Pauſanias aliquo Ciceroni miniſterio coniunctus eſſet, uix mihi uериſimile uidetur Appium cum eo tam libere queſtum eſſe de Ciceronis iniurijs: ſed quia hæ tenues coniecturæ ſunt, totam hanc rem eruditiori iudicio relinquemus. Quod autem Accenſi, Conſules, & Prætores ſequi ſoliti eſſent in caſtra, & cur ſic appellati, quia ab antiquis grammaticis doctè & diligenter declaratum eſt, nihil attinet repetere.*

69 Vt mihi nihil, neq; ad honorem, neq; ad gloriam acquirendam deeſſe putarem:) *Noſtrã lectionem magis probatum iri puto eandem cum antiqua:* NIHIL ESSE ADQVI-

REND

RENDVM,id eſt,me omnia iam adeptũ eſſe,& cõſecutũ, ut nihil amplius ad honorẽ,& gloriã acquirere debeam. Illis enim aliquid ad honorẽ,& gloriã adhuc acquirendũ eſt,qui nondũ plenè & honorẽ,& gloriã adepti ſunt, quãuis multum in eis proceſſerint. Cõmunis lectio durior,& cõfuſior.

Si paulò diligentius, & quid ſit ἐξοχὴ, quid ſit εὐγένεια 70
intelligas,&c.) Nos noſtram lectionem à ueteribus libris acceptimus, ne parua quidem immutatione facta: exiſtimamus autem hanc eſſe non paulo meliorem: certè locus planus eſt, & clarus,cum antè obſcuriſsimus plurimis mendis eſſet. Vocis illius Græcæ ἐξοχὴ nullum ueſtigium eſt in antiquis codicibus. uſurpat eam ſanè Cicero ad Atticũ lib. IIII. ἐξοχὴ in nullo eſt: pecunia omniũ dignitatem exæquat. Non tamen nobilitatem intelligit, dicit enim candidatos ita inter ſe pares,ut nulla re alij alios excedant: ſi enim ulla erat generis inæqualitas,eam pecunia adæquabat. Credebat Appius nobilitatem eſſe non poſſe,ubi eſſet εὐγένεια, qui familiæ ſuæ antiquitatem, & ſplendorem iactaret in contemptum Ciceronis nouitatis. Aliter ſentit Cicero,qui ſibi licet obſcuris parentibus orto, poſtquam honorificè adeptus eſſet & geſsiſſet ſumma imperia, nihil neque ad honorem, neque ad gloriam deeſſe putabat, ut nobiliſsimis hominibus par eſſet dignitate: de qua re ſi ille aliter exiſtimet, rectè facturum illum dicit, ſi paulo diligentius animaduerterit quid Athenodorus Stoicus de his rebus iudicet. poteſt enim aliquis εὐγένειαν habere, nec tamen nobilis eſſe, cum plerique ex bonis & illuſtribus parentibus nati, inertiſsimi, flagitioſiſsimique reperiantur, quos uerè nemo nobiles appellare poſſet. Qui enim rectè intelligunt, & non uulgi opinionibus ducuntur, uirtutem eſſe, quæ ueram nobilitatem faciat, & non claros natales putant: multitudo autẽ decipitur, quæ credat omnes ex

clariſsim

clariſſimis familijs ortos debere nobiles dici, cum potius εὐγενεῖς appellandi ſint: nobiles autem ſolum illos eſſe exiſtimandum eſt, qui egregijs ſuis factis dignitatē, gloriámque ſibi parauiſſent, etiam ſi eorum maiores ignoti fuiſſent. Meminit autem Athenodori Sandonis Plutarchus in uita Publicolæ his uerbis : τοῦτον δὴ ἄνδρα μάλιον ὁμοῦτι πάντων σκαιόλαν ἀθηνόδωρος ὁ σάνδων ἐν τῷ πρὸς ὀκταβίαν τὴν καίσαρος ἀδελφὴν ϗ ὀψίγονον ὠνομάσθαι φησί, quem puto eundem eſſe cum hoc: de quo hic Cicero. Præterea Strabo lib. XIIII. *qui Athenodoros duos Tarſenſes fuiſſe tradit in Stoicorum diſciplina claros, quorum unus Cordylion appellatus ſit, qui cum M. Catone uixit, domíque eius obijt, alter uerò Sandonis, quem etiam Cananitam uocatum eſſe docet à pago quodam : Hunc autem Cæſarem Auguſtum erudiuiſſe, magnóſque honores apud eum conſecutum eſſe : uixit autem ad extremam uſque ſenectutem. Plura autem de hoc narrat, quæ cum ad hunc locum nihil faciant, omittemus.*

74 *Limitauit aliquid poſterior annus:) Alij climabit. Vetuſti hic codices nonnihil mēdi continēt: quod tamē, ut puto, facile tolli poteſt: ſic enim in illis legitur,* LIMAVIT ABIT *&c. Sunt autē (ni fallor) quatuor ultimæ literæ bis repetitæ: cum fortaſſe librarius eandē dictionē ut diuerſam imperitè bis ſcripſiſſet: credo enim in aliquo exemplari* LIMABIT *ſcriptum fuiſſe olim autem (nam ſæpe* B *pro* V *ponebant, ut ex uetuſtis lapidibus colligitur) quēpiā fortaſſe, ne id aliquē falleret, putaretq́; eſſe futuri tēporis ſupra extremā partem illius dictionis* LIMABIT, AVIT *ſcripſiſſe: quod librarius qui inde deſcripſit, ut reſtitutum, & neceſſariū uerbū accepit, prioremq́; dictionem integrā ſcripſit: ita nimia, & curioſa diligētia nō parū peccati admiſit. Limitauit autē omnino puto mēdoſum eſſe. Limitare enim eſſe exi-*

ſtimo

ſtimo limites & terminos collocare: limitauit autem hic minuit μεταφορικῶς *omnes inutiles ſumptus quaſi cōterendo.*

In agro Moſheſtiæ) Græci hanc urbem μόψου ἑστίαν *appellant: hanc intelligit Cicero libro primo de Diuinatione, Amphilochus & Mopſus Argiuorum Reges fuerunt, ſed ijdem augures: ijq; urbes in ora maritima Ciciliæ Græcas condiderunt. Appianus in Syriacis* ἑστίαν μόψου *appellat,* ἀλλὰ καὶ τόνδε σέλευκος ὁ ἀντιόχου τοῦ γρυποῦ παῖς ἐπιστρατεύσας ἔτι περιθέω παρείλετο τὴν ἀρχήν. βίαιος δὲ καὶ τυραννικώτατος ὢν ἐν ἑστίᾳ μόψου τῆς κιλικίας κατεπρήσθη κατὰ τὸ γυμνάσιον. *nos quia ſcimus ſæpe Romanos Græca nomina locorum aliquantulum diuerſe à Græca uoce appellaſſe, & cum ſic in antiquis codicibus inuenerimus: ne tantulum quidem ab illis deflectere uoluimus.* 74

Ego enim planè uideo fore neruis opus, ſapientiáque tua:) Noſtra lectio accepta eſt ex uetuſtis codicibus, quam nos longe meliorem putamus: id enim uulgata uerba mihi uidentur ſignificare, quod non eſſe ſatis accommodatum ſenſui arbitror, Video tibi opus fore neruis ſapientiáque tua: id eſt, iudico te omne ſtudium tuum, & laborem ponere debere, ut inimici tui doleant ſe tibi moleſtos fuiſſe. quaſi dicat, niſi enim omnibus uiribus conareris, non eos pœniteret, id eſt, non poſſes illos ulciſci: quod nullo modo mihi placet. Nos ſic hunc locum intelligimus: Ego planè & perſpicuè uideo fore ut uehementer doleant inimici tui, ſe in re tam petulantes fuiſſe: atque id quidem exiſtimo fretus potentia, copijs & ſapientia tua: eos enim in te neruos & opes uideo, ut poßis dignitatem tuam tueri, & illos, quòd tibi moleſti fuerint, facile ad pœnitentiã reducere. Nam quod paulò pòſt eſt: CONTESTANS DEOS OMNES, *è uetuſtis pariter exemplaribus eruimus, meliore profectò ſententia.* 77

metaphora à litibus ſumpta, quæ conteſtatæ dicebatur, cum uerba illa pronunciata eſſent: TESTES ESTOTE, *conteſtans citánſque teſtes cunctos deos: nec enim deos orare, ſed potius in teſtimonium uocare oportebat.*

79 *Ad me adire quoſdã memini (*NIMIRVM EX EPICTETO, *qui dicerent:) Tres hæ dictiones, quas nos repoſuimus, in omnibus ſunt antiquis exẽplaribus, etſi eas nonnulli conati ſunt delere linea circunducta, tanquam uacent: quod ſemper nonnulli facere conſueuerũt, ut omnia à ſe non intellecta improbent, & expungant, homines parua eruditione, & nullo iudicio præditi. Verba omnino hæc incorrupta ſunt, & ſententiam etiam Ciceronis non parum adiuuant. cum enim totam rem diligentius explicet, & locum etiam ipſum, unde ad ſe uenerant, narret: maiorẽ fidem uerbis ſuis comparat: & cum tam longe domo ueniſſe oſtendit, arguit rem, de qua queſtum uenerant, non paruum ipſis detrimentum adtuliſſe, quæ coëgerit eos tam longe à ſuis finibus ad proconſulem adire. Eſt autem epictetus Phrygia minor, quaſi poſterius iuſto & antiquo regno adnexa. Strabo lib.* XII. φρυγίαι τε γὰρ ἡ μὲν καλεῖται μεγάλη ἧς ὁ μίδας ἐβασίλευσε, ἧς μέρος οἱ γαλάται κατέσχον, ἡ δὲ μικρὰ ἡ ἐφ' ἑλλησπόντῳ καὶ ἡ περὶ ὄλυμπον ἡ καὶ ἐπίκτητος καλουμένη. *quo nomine alibi etiã idem autor, eandem prouinciã appellat: ſed certã rem non oportet pluribus teſtibus cõfirmare.*

81 *Atque hæc agimus:) Ante hæc uerba* MVLTA DESVNT *ſcripſimus: quis enim non uideat hunc locum eſſe mutilum, & decurtatum: deſiderarique explicationem eorum omnium beneficiorum quæ Cicero in Appium contulerit, quæque conferre inſtituiſſet? Non erimus in hoc longiores, ſatis enim rem ſignificaſſe fuit: ſiquis nobis felicior locum hunc ex antiquiore, & minus lacero exem-*

plari

plari reſtituere potuerit, is à me, & ſtudioſis omnibus magnam gratiam inierit.

E LIBRO AD SER. SVLPITIVM. IIII.

In tantis tenebris, & quaſi perpetuis Reip.) *Nos emendauimus* PARIETINIS: *ſunt autem parietinæ, parietum ruinæ, muri ſemiconſumpti, ut in epiſtola ad* C. Memmium, *Peterémque ut neſcio quid illud Epicuri parietinarum ſibi concederes.* In *tertio lib.* Tuſcul. *Magiſque me mouerant* Corinthi *ſubito aſpectæ parietinæ, quàm ipſos* Corinthios. *Etſi eo quoque loco mendoſi ſunt uulgati codices: habent enim parietum ruinæ. pro parietinæ: manu tamen ſcripti antiquiores ueram lectionẽ retinent.* Nonius *Marcellus* Siſennæ *hunc locum adducit ex hiſt. lib. tertio,* Poſt *uillarum macerias, ac parietinas quinque cohortes in inſidijs reliquit.* Appellat *autem parietinas* Cicero Reip. μεταφορικῶς *quaſi ruinas, & reliquias. quæ ne uideretur dura, & parum uerecunda tranſlatio, particula illa* QVASI *mitigat. uerecundior eſt certè ea ipſa, quam protulit* Seruius, *qui dixit cadauera oppidũm. Eſt autẽ in antiquo illo, quem omnium optimum inuenimus* PARTETINIS: *ut ſi* T *in* I *permutes, nihil deſideretur: quia rarior eſt uox, ideo tam facilem lapſum, & tam paruum erratum nulli hactenus animaduerterũt. Quidã autem* PARRICIDIIS *reponere auſi ſunt: quàm rectè, iudicent doctiores.* 90

In epiſtola priore Sulpitij, *Etſi genus hoc conſolationis minimum, atque acerbum eſt:*) *Nos,* MISERVM *ſcripſimus, nonnihil à uetuſto codice adiuti: ſed tamen in illo hæc uox luxata eſt:* MIRVM *enim legitur: nos mediam ſyllabam à librarijs relictam putamus. Hanc etiam lectionẽ aut* 93

inuenerunt in antiquo exēplari, aut certe excogitauerunt Germani: habent enim eam illorum codices Baſileæ anno M. D. XXVIII. *impreſſi. ut enim apparet ex multis lectionibus quas in margine libri collocauerūt, unū quoddam egregium omnium epiſtolarum exemplar uidentur illi habuiſſe, quódque plurimis locis cum noſtro concordet: & ut rem ut eſt exponamus, à nullo ferè alio formis excuſo, eo excepto, ullam opem accepimus. Cum autem eius ſæpe caſtigationes cum noſtra antiqua lectione congruere animaduertimus, fidentius ita emendare auſi ſumus: eo autem ſtudio & diligentia illi optimis libris perquirendis ſe multos annos dediderunt, ut è tenebris non paucos eruerint. eáque liberalitate eruditos & ingenioſos uiros, quorum opera in corrigendis libris uterentur, proſecuti ſunt, ut magnam utilitatem* Latinæ *linguæ attulerint, & ſi uerum fateri uolunt humaniorum ſtudiorum amatores, non aliunde tantum auxilij ipſorum ſtudijs ſuppeditatum eſt. quicquid enim ferè his temporibus aut emendatum exijt, aut reconditum laténſque in lucem prodijt, inde profectū eſt. Alij* DVRVM *emendarunt: quod quia tam longe ab antiquis exemplaribus diſcedit, negligimus. Noſtra lectio ualde ſententiæ congruit, Eſt enim miſerum ſanè, cum ipſe conſolatione egeas, paríque in luctu uerſeris, officio quaſi cogi, aliorum lacrymas abſtergere. Quod autem nos emendaueramus,* CONFIERI, *librariorum incuria in* CONFITERI *turpiter commutauit: ſed hic, & huiuſcemodi errores, quæſo ne nobis uitio dentur, nec enim præſentes impreſſioni adfuimus, & tanta eſt horum operariorum negligentia, ut nulla ſedulitas ſatis eſſe poſſit ad eorum peccata corrigenda.*

Hem nos homunculi indignamur:) *Non pigebit rem parui momenti notare: unuſquiſque ut uult, accipiat. Scias*

optime

optime lector in illo Mediceo codice, quem omnium proba=tiſſimum iudicamus eſſe, HOMVNICVLI: *quod fortaſ=ſe erratum librarij putaremus, niſi in alijs antiquiſſimis exemplaribus uocem hanc legi accepiſſemus. uidimus nos Terentianum codicẽ Angeli Politiani, illum inquam quem ipſe olim Venetijs cum Petri Bembi codice contulit, ſuáque manu accuratiſſimè emendauit, qui locum hunc in Eunucho ſic legit, Ego homunicio non facerem? exemplar ſanè ipſum non uidi, fidẽ tamen habeo diligentiæ Politiani. manu enim ſua ſumma cura, & ſtudioſe id opus peregiſſe narrat. Mi=rificè autem laudat antiquitatem eius codicis Politianus, literíſque ſimilimis earum, quibus quondam Piſanæ, nunc uerò Florentinæ Pandectæ ſcriptæ ſunt, exaratum dicit: iam túmque optimæ Bembi indoli blanditur, & fauet, quẽ etiam ſibi diligenter operam ſuam in ea collatione, quamuis pene puerum præſtitiſſe dicit: eáque de illo auguratur, quæ poſt=ea uberrime præſtitit. eſt enim uir is qui propter egregias ſuas, & admirabiles ingenij, & animi dotes, & ab omni=bus laudatur, & citra ullam aſſentationis ſuſpicionem lau-dari poteſt: ſed non capiunt hæ contractiores paginæ debi=tas tanto uiro laudes. Si igitur ſic etiam optimus ille codex habet, diligentius res animaduertenda eſt: à grammaticis enim etiam hæ res conſideratæ in corruptis codicibus non inueniuntur, ut his duobus locis deleta erat hæc uox, niſi ex uetuſtis exemplaribus eruta eſſet. Sunt autem nonnulla in hac epiſtola aliquanto antiquiora, ut* CONFIERI, *etſi Vergilius etiam ea uoce uſus eſt, &* OPPIDVM *pro oppidorum, quod item ab antiquo codice acceptum eſt: & infrà* APISCI *pro adipiſci, quam uocem ſæpe & Lu=cretius, & Tacitus uſurpant.*

Iis temporibus fuerũt, ut eos tum ipſorum dignitas con= 27

*ſolaretur:)*Nos *emendauimus*, EORVM LVCTVM. *nec tamen hæc integra eſt lectio in antiquo exemplari,etſi eius non parua ueſtigia ſint.ſic enim ibi ſcriptum reperias,* VT EORVMLVM, IPSORVM DIGNITAS CONSOLARETVR, *omnino corruptè,niſi eam aliquantulum adiuues.* Nos *hanc ueram eſſe huius loci lectionem arbitrati ſumus.quia tamen parua quadam licentia uſi ſumus,rectum nobis uiſum eſt lectorem admonere,ut ſi hāc noſtram opinionem non probauerit,poßit ipſe meliorem excogitare.* Nos *raró admodum tantum nobis tribuimus, ut aliquid quod non in uetuſtis codicibus inuenerimus,receperimus:ſiquando tamen id accidet,ut aliquantulum,non longè tamen à uetuſtis ueſtigijs diſceſſerimus,ſemper ingenuè fatebimur:ſæpe autem in optimis etiam,& uetuſtißimis exemplaribus,dictiones nonnullæ luxatæ,& debilitatæ reperiuntur,ut infrà etiã in hac ipſa epiſtola locus hic, quem nos non tamen ſoli ſic legimus,*Maior *mihi leuatio adferri nulla poteſt.prior ſyllaba dictionis illius* LEVATIO *defecerat, ut* VATIO *tantum eſſet in bonis codicibus:hìncque fortaſſe natus erat error,ut ferè in omnibus impreßis codicibus* RATIO *legeretur.ſed quia hæc clara exiſtimauimus,rationémque omnem noſtram,qua uſi ſumus,expoſuimus,non erimus longiores.*

97 *Nunc autem hoc tam graui uulnere etiam illa quæ conſenuiſſe uidebantur,recrudeſcunt:)*Nos *ſcripſimus cum antiquis exemplaribus* CONSANVISSE, *que omnino elegantior eſt locutio,ut maneat in tranſlatione uulnerum, quod facit etiam in uerbo recrudeſcunt.*

99 *Se uictos eſſe crediderunt:)*Nos *legimus* VICTORI SESE CREDIDERVNT, *alio uerbi illius ſignificatu,& à grammaticis notato,& ab optimis autoribus uſurpato.*

uſurpato. Eſt enim,inquiunt,credere,fidei ſe committere: credunt enim ſe alicui,qui in illius poteſtatem ſe tradunt,& in ea loca deueniunt,ut in eorum arbitrio ſint: ſicut ij,qui aut in Italiam *redierant,aut in ijs locis manſerāt,quæ* Cæ*ſaris præſidijs tenerentur.* Simili,*uel eadem potius ſententia uſus eſt ad* Marium *ſcribens: quamuis ibi committere, non credere dixerit,* Certè *nihil fuit præterea,ſi te uictori nolles,aut non auderes committere.* Nam *eundem ferè ſignificatum eſſe utriuſque uerbi hoc præcipuè* Terentij *loco in* Eun.*declaratur:* Cum *enim* Pythias *dixiſſet de uirgine uitiata,* Quid *facerem? ita ut iuſti,ſoli credita eſt: reſpondet* Thais, Sceleſta,*ouem lupo commiſiſti.* Eſt *autem hoc loco unius tantum literæ peccatum in antiquis codicibus:* VICTORE *enim,cum* VICTORI *legi debeat,in illis eſt.ſæpe autem hæ uocales immutatæ in antiquis exemplaribus inueniuntur,ut nos alibi accuratius notabimus.*

Illud tamen multum me monuiſſe:) Ego *non longe ab* 100
antiquis codicibus,pro MVLTVM (*uel tu*)*ſcripſi:non enim eſt,ne in illis quidē integra,& incorrupta hæc lectio: in una enim litera lapſus eſt librarius:duóque monoſyllaba in unam dictionem coniunxit,* VVLTV *enim ſcripſit, cum* VEL TV *foret ſcribendum.ſed hæc minuta, quæ tamen reſtituta,in tanto ſcriptore nō ingrata fore arbitror.*

An *qui in bello cum omnium noſtrum coniunctum eſſet* 101
periculum ſuo:) Nonnulli *emēdarunt,* CONIVNCTVM ESSE PERICVLVM SVO CERNERET. Nos *quamuis hanc lectionem ſecuti ſimus,fatemur tamen, etſi quædam eius ueſtigia ſint in antiquiſsimo,& probatiſſimo illo codice,non tamen ſic omnino ibi legi.* Vt *autem eruditi poſsint,huicne,an uulgatæ magis credendum ſit,ſta-*

tuere:hic cum fide antiquam exponemus. Sciant igitur è duabus dictionibus quæ immutatæ ſunt,priorem ESSE inquam,ita in antiquis legi:poſteriorem autem,CERNERET non integram in illis eſſe,ſed eius tãtum poſtremam ſyllabam,ſcilicet ET. debeátne igitur ex hac ſyllaba diuinari totam illam dictionem deeſſe,an hanc particulã abundare exiſtimandum ſit ſuum unuſquiſque iudicium conſulat. Nos,etſi hãc magis probauerimus(nec enim illam recepiſſemus,niſi meliorem credidiſſemus)non tamen eam pertinaciter defendimus:in rebus enim incertis,nihil pro certo affirmus,quod autem in antiquis ESSE legitur,non ESSET, adiuuat hanc recentem lectionem.

104 Inſcriptio poſterioris epiſtolæ Sulpitij hæc eſt in priſco illo codice,SERVIVS CICERONI SALVTEM PLVRIBVS VERRIS:) Cõſiderent eruditi,& ingenioſi uiri,uacéntne hæc uerba,quæ ipſi non accepimus, & ut parui omnino momenti,& ut ſuſpecta,quia in nullis alijs epiſtolis huiuſcemodi aliquid uidimus: adnotauimus tamen,ut ſi quis ea probarit,poßit in ſuum codicem reſtituere. Quod autem ſtatim legitur in initio epiſtolæ, QVONIAM CASVS ET NATVRA(quæ ſe rectè habent uerba,& ferè in omnibus impreßis codẽ modo leguntur)quia nonnulli labefactare & peruertere auſi ſunt,non potuimus dißimulare:hi enim pro NATVRA (fortuna)repoſuerunt,& cõtra ueterum codicum fidem facientes,& nulla neceßitate receptam lectionem immutantes.loquitur enim ex opinione illorum,qui naturam non alicuius gratia, & certo propoſito ſibi fine,neque quòd melius ita ſit.ſed temerè,& fortuitò agere putabant:quam Ariſtoteles lib. II. naturalis auſcultationis diligenter oppugnat.Qui fuerint huius opinionis autores,& defenſores,

res, Simplicius eo loco his uerbis docet, ταύτης δὲ δοκοῦσι τῆς δόξης τῶν μὲν ἀρχαίων φυσικῶν ὅσοι τὴν ὑλικὴν ἀνάγκην αἰτίαν εἶναι τῶν γινομένον φασὶν καὶ τῶν ὑστέρων οἱ Ἐπικούρειοι. Sic etiam loquitur autor Rhetoricorum ad Herennium, quiſquis fuerit, libro tertio, In uituperatione ſi erunt hæc corporis commoda, malè his uſum dicemus, quæ caſu, & natura tanquam quilibet gladiator habuerit. etſi illinc quoque eam dictionem delere conati ſunt, & in eius locum FORTVNA ponere: ueruntamen in antiquis, & in Aldinis etiam codicibus NATVRA legas.

Supra Maias Italiam uerſus:) Locus hic ſemper corru- 104
ptus eſt habitus, multique multis modis eum corrigere adgreſſi ſunt: nos tantopere in hac re dubij ſumus, ut nihil aſſerere audeamus, faciliúſque quid nobis nō placeat, quàm quid probemus, pronuntiare poſſumus: in tanta autem obſcuritate, & ueri ignoratione, uulgatam lectionem retinere, tutius nobis uiſum eſt, quàm nouā aliquam, & eam parum firmam reponere. In omnibus enim manuſcriptis nulla uarietate (ſupra Maias) ſcriptum eſſe animaduertimus: quod quamuis non probemus (quid enim ſignificent ea uerba, non intelligimus) tamen niſi ueriorem ſcripturam reſtitueremus, cur mutaremus cauſa non fuit. Nonnulli nuper ita caſtigationem illā peruulgatam SVPRA MALEAS amauerunt, ut ita ſcribere in libris, quos formis excuderunt, non dubitarint: nec eos ſanè reprehēdimus, quamuis imitati non ſimus, audimus enim doctis uiris hanc emendationem ualde probari: in cauſa autem fuit, quòd ſingulari potius numero animaduertimus locum illum appellari, promontoriúmque Maleæ dici, & à Græcis, & à Latinis autoribus. Nauigationem autem fuiſſe quampiam ualde cele-

brem quam ὑπὲρ μαλέας *appellabant, plures autores tradunt: ſic autem (niſi fallor) eam uocabant, quia ſi è* Piræeo, *exempli cauſa, in Italiam nauigandum erat, duo erant curſus, unus quem* ὑπὲρ μαλέας *dicebant, quia neceſſe eſſet id promontorium nauibus ſuperare, qui erat ſanè breuior, ſed pericula quædam continebat propter anguſtias illas.* Tunc enim *dicitur quis ſupra promontorium tranſmittere, quum non longinquum ab eo curſum tenet, ſed prope illud nauigat:* Alter *autem, cum per pelagus aliquis nauigat, & longè ſe remouet à terra. Sunt autem inſulæ quædam è regione Maleæ promontorij non ualde ab eo diſtantes, inter quas & promontorium qui tranſibant,* ὑπὲρ μαλέας *nauigare dicebantur: quem curſum fortaſſe* Marcellus *tenere in ſua nauigatione conſtituerat.* Plut. *in* Arato *ualde hanc rem aperit:* ἀνήχθη μὲν οὖν ἀπὸ μεθώνης ὑπὲρ μαλέας ὡς τῷ διὰ τοῦ πόρου διερόμῳ χρησόμενος πρὸς τὸ μέγα πνεῦμα καὶ πολλὴν θάλασσαν ἐκ πελάγους κατιοῦσαν ἐνδόντος τοῦ κυβερνήτου παρεισφερόμενος μόλις ἥψατο τῆς ἀδείας πολεμίας οὔσης. Præterea Plinius *iunior in epiſtola ad* Traianum *ſic de ea nauigatione loquitur,* Nuntio tibi me Epheſum cum omnibus meis ὑπὲρ μαλέας *nauigaſſe, quamuis contrarijs uentis retentus. Auunculus item eius in hiſtoriæ naturalis libro* IIII. *cap.* XII. *hanc eandem rem uidetur innuere de inſula* Cythera *loquens,* Hæc *ſita eſt à* Maleæ *promontorio,* V. *mil. paſ. ancipiti propter anguſtias ibi nauium ambitu. Cum autem Latini etiam homines Græcis uerbis hanc nauigationem appellare ſint ſoliti, quod teſtimonio* Plinij *in epiſtolis probatur, ſuſpicari poſſet aliquis etiam* Sulpitium ὑπὲρ μαλέας *ſcripſiſſe, ſed imperitos poſtea librarios locum deprauaſſe, cum in aliquo*

fortaſſe

ſortaſſe exemplari præpoſitionem illam Latina uoce quam ſignificat, declaratam legiſſent, unde poſtea creditum ſit MALEAS *numero multitudinis accuſandi caſu, ut præpoſitio illa requirit, dictum: & ſic locum tantopere paulatim contaminatum eſſe, ut nihil inquinatius fuerit. Hæc autem leuis quædam eſt coniectura. negari non poteſt locum ualde perturbatum fuiſſe, ideóque nihil ſtatuere de eo tutum exiſtimauimus. Strabo tamē numero multitudinis* MALEAS *appellat, ſed neſcio an potius urbem aliquam in ea regione eodem nomine appellatam intelligat. hæc eius è libro* VIII. *uerba ſunt*, εἶτα ὄνου γνάθος λιμένα ἔχουσα: εἶτα βοῖα πόλις, εἶτα μαλέαι: στάδιοι δ᾽ εἰς αὐλὰς ἀπὸ τοῦ ὄνου γνάθου πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν ἐστὶ δὲ καὶ πόλις ἄσωπος ἐν τῇ λακωνικῇ. *Præpoſitionem autem* IN *ante uocem illam* ITALIAM *repoſuimus, quia eam in uetuſtioribus codicibus inuenimus, & ita etiam locutum Hirtium obſeruauimus de bello ciuili cum ſcripſit* Ad Cordubam *uerſus: quare non mirandum eſt etiam Sulpitium* in Italiā *uerſus dixiſſe.*

Et rogaret uti cogerem medicos: coëgi, &c.) Mediceus *& quique optimi codices* COGEREM *non habent: quare cum hanc uocem retinuerim, uiſum eſt mihi nunc antiquam lectionem notam facere, ſi fortè ea melior eſſet, ut uerbum illud potius intelligi bis debeat, quam ſcribi.* Animaduerti *enim alijs locis, cum idem uerbum repetitur, quemadmodum hic (coëgi) ſemel tantum poni: & quamuis prior ſententia ſine uerbo imperfecta uideatur, tamen abſolutam eſſe: intelligi enim idem uerbum quod ſequitur eo tempore & perſona conformatum, quod conueniat ſuperiorum nominum ſtructuræ. Huius ſermonis elegantis, ut arbitror, & familiaris plura exempla ſuppeterent, niſi ut deminutus, manciſque à recentioribus improbatus eſſet,* 104

& addito quod deſiderari credebant, ſuppletus atque corruptus: niſi tamen ueteres libri & hic & alijs non paucis locis deprauati ſunt, integer eſt ſermo & uſitatus. nam ſi ipſis fides habenda eſt, ſic locus ille libri XVI.*epiſt. ad* At*ticum dictus fuit*, De *duobus primis præclarè diſſeruit, de tertio pollicetur ſe deinceps, ſed nihil ſcripſit.* Necnon *ille etiam in lib.* XIII.*Varroni ſcribis te ſimulac uenerit: dati igitur iam ſunt. & non ut uulgò leguntur in excuſis: prior enim ita ſuppletus eſt*, De *tertio pollicetur ſe deinceps ſcripturum, ſed nihil ſcripſit. alter uerò ſic*, Simul *ac uenerit ei daturum: dati igitur iam ſunt.* Qui *hunc modum dicendi probarint, poterunt otioſam illam uocem delere, & ad fidem ueterum codicum hunc etiam locum reuocare: qui recepta lectione contenti ſunt, eam etiam in noſtro codice inuenient.*

106 T*amen nihilominus eis conficior curis:*) D*ictio illa* NIHILOMINVS *in antiquis diminuta eſt: pro* NIHILOMINVS EIS, *ibi* NIHILEIS *ſcriptum. unde ridiculè nonnulli* ACHILEIS *legi debere putarunt.* N*os communem, & receptam lectionem ſecuti ſumus, quia meliorem ipſi ex illis uerbis excogitare non potuimus: rem tamen notare placuit, ut ſiquis uelit, laboret in ueritate requirenda, nec miretur quare hic locus diuerſis modis legatur.*

108 V*t te horter & obſecrem:*) N*os emendauimus* OREM ET OBSECREM: *ſic enim ferè eſt in antiquis exemplaribus, & eſt hæc Ciceronis familiaris locutio.*

AD Q. METELLVM. V.

112 I*mmutata eſt:*) N*os* IMMINVTA EST: *uetuſtus enim codex* I*mminutáſt: & hic enim, & multis locis prima lit*

ma litera huius monoſyllabi E S T, *uocali præcedente elidi-tur, ut in hac ipſa epiſtola infrà, Si humanitas appellanda'ſt in aceruiβima iniuria. Vbi etiam* V *pro* B *ſcriptum eſt, quod ex multis antiquorum monimentis colligitur ſæpe priſcos uſurpaſſe. & paulò pòſt, Nulla'ſt à me unquam ſententia.*

In annuo magiſtratu.) *Nonnulli* IN ALIQVO MAGISTRATV *legunt. Nos cum meliores codices hoc loco corruptos inuenerimus, uulgatam lectionem immutare, etſi nobis parum probatam, noluimus. Quid enim prodeſt, ſi non ſinceriorem, & clariorem reponas, receptam quamuis parum firmam repudiare? Vetus ille codex, quem omnium longè optimum cognouimus,* IN ANIMO *habet, quam ſcripturam uolui hic notare, etſi proculdubio deprauatam, ut poßint ex his ueſtigijs ſtudioſi ueram lectionem indagare, & ſuo loco inuentam reponere. Vnuſquiſque igitur nunc in ueritate peruestiganda ſe exerceat. In eodem etiam codice, & altero pari ferè bonitate paulò ante hunc locum, dictio illa* CREDO *uariata eſt, & fortaſſe corrupta: illic enim* QVOD TE AVDISSE CERTO *legitur. Quare niſi deſit* SCIO *aut alia uox, quæ ſenſum eius loci perficiat, proculdubio peccatum fuiſſe librarij dicendum eſt: etſi ille quomodocunque negligens fuit, aut aliquam dictionem omittendo, aut* CERTO *pro* CREDO *ſcribendo.* 113

Emi eam ipſam domum millibus nummûm XXXV.) *Nos antiquam ſcripturam repoſuimus, ſed ſuſpicamur hunc locum non uacare mendo: nec enim eſt hoc pretium domus illius quæ inuidiam Ciceroni faciebat. In codice qui eſt in Diui Marci bibliotheca, aliquantum ſpatij inane relictum eſt, ubi uulgares codices* MILIBVS NVMMVM *habent, ille Mediceus contractius ſpatium habet, & anguſtius. Sed etiam dubitari poteſt, quia* DOMVM *eſt extrema* 117

dictio

dictio lineæ, etſi non tam producta ſit linea illa, ut æqualis ſit alijs an fortaſſe relictum ſit à librario, non quia deſit, ſed quia numerum illum integrum locus ille non caperet: quem cùm ipſe interrumpere & frangere nollet, citius ad initium alterius lineæ properarit. Cupio hunc locum diligentius animaduerti à peritioribus: nos ut in antiquo præcipuè illo ſcriptum inuenimus, ſic & ipſi locum deſcripſimus, & quæcunque ſuſpiciones ortæ ſunt ſignificamus: exiſtimamus enim aliquam notam deeſſe, & eam aut antè, aut ſuprà collocatam numerum hunc augendi uim habuiſſe: nam etiam uulgata lectio non idoneum pretium illius domus ſignificat. Budæus etiam, cuius iudicium in his rebus magni apud omnes eſſe debet (is enim hæc cautè, & perdiligenter tractauit) numerum hunc inquinatum eſſe cenſet, legique debere arbitratur Tricies quinque ſeſtertiûm. Eius opinionem confirmant noſtri uetuſtiores codices, qui duabus illis dictionibus uacant, in quibus maximè uitium eſſe putat, ut aliqua fortaſſe (ut diximus) nota deſideretur, quæ his numeris appoſita pecuniam eam redderet: aut per hos numeros (quod uix uerisſimile eſt) ſumma illa ingens pecuniæ ſignificetur. Ipſe quid ſentiat de hoc loco, lib. III. De aſſe & part. expoſuit.

117 Homini ſemiſsis magna copia eſt:) Et hic locus diligenter etiam conſiderandus eſt. alij legunt OMNINO SEMISSIVM. Vetuſti codices, OMNI SEMISSIBVS. Nos lectionem eam ſecuti ſumus quæ parum à priſcis exemplaribus diſcederet, & ſententiam eandem retineret. in SEMISSIBVS enim clari ſunt & certi uetuſti codices: Vox illa OMNINO quam reſtituimus, non integra in illis legitur, ut nonnihil ſcrupuli etiam reſtet. Mentionem facit huius loci Hermolaus II. editione Plinianarũ caſtigationum

tionum lib. IIII. *cap.* IIII. *qui eandem ferè, quam nos, emendationem probat. Quæ ſit in ueteribus exemplaribus ſcriptura, uoluimus nos notum facere, cum uideamus ad huc hunc locum titubare.*

Qui tot ingenuas matres familias:) Vetus *omnino co*= 122
dex elegantiorem & ſinceriorem lectionem habet, quam nos accepimus. Non *enim ingenuas matresfamilias appellat. Matres enim familias & probatas mulieres, & nobiles intelligimus, ſed* INGENVOS, MATRESFAMILIAS, *ſeparatim de diuerſis generibus: ut* Ora. VI. *in* Verrem: *Mitto adhibitam uim ingenuis, matresfamilias uiolatas.*Pueros *enim ingenuos & honeſto loco natos nefas erat & illis ſtuprare. nam in mancipijs, & libertinis quaſi impunè libidinem ſuam exercebant. Quòd autem addit ciues* Romanos, *tribúſque uerbis tria hæc nefaria ſcelera exaggerat, oratoriè eſt & grauiſsimè dictum. cuius tam elegantis locutionis nullum in uulgatis codicibus ueſtigium inerat.*

Simul uerò ſemiſsis homo:) Longe *alia eſt in antiquis* 122
codicibus lectio, quam libenter arripuimus, SIMIVS NON SEMISSIS: *Simiolum etiam Cicero quem irridet appellat, & qui ſuis inimicitijs propter humilitatem eius & ſordes indignus eſſet.* Græci *quoque quos contemnunt ita uocant, ut* Ariſtophanes *in* Ranis οὐ δῆτ' ὁ πίθηκος οὗτος γ' ὁνυνὶ ἐνοχλῶν κλειγένης ὁ μικρὸς *: ut duobus hic modis* Catilium *ignomuniosè appellet, & uocando ipſum ſimium, & ne uiliſsimo quidem pretio illum dignum eſſe dicendo.*

A *qua te affici non magis potuiſſe demonſtras:)* Qui= 125
dam pro AFFICI, ALLICI *legunt: quæ uarietates oriuntur ex ambigua, & corrupta antiqua lectione: in melioribus enim codicibus* AFFECTI *ſcriptum eſt: quam*

uocem

uocem nos etiam diligenter conſiderauimus, cenſuimúſque tu tius legi poſſe F L E C T I, *non omnino nimis longè à priſcorum exemplariorum ueſtigijs, & fortaſſe ſententia non inepta. Exiſtimamus enim, ut fermè colligitur ex uerbis Ciceronis, Lucceium de gratia in quodam procemio ſuarum hiſtoriarum ſcripſiſſe, ut ſe diceret libere, & uere hiſtoriam explicaturum: nec unquam potuiſſe tantum alicuius in ſe gratiam, ut à ueritate, & fide rerum geſtarum diſcederet. quamuis enim ſæpe gratia hortata eſſet, ut amicorum rationem haberet in rebus exponendis, adſéque uocaſſet, ſe ut dixerit non magis potuiſſe flecti, & de uia recta deduci, quã Hercules à uoluptatis illecebris ſibi oſtenſis, & propoſitis flecti & arripi potuerit. Sicui noſtra lectio minus placebit, ipſe meliorem excogitet: ideo antiquæ lectionis omnibus copiam fecimus, ut quiuis iudicet, an nos coniectura fefellerit, & ſi queat ipſe meliorem inde eliciat.*

126 *Themiſtoclis fuga:)* *Vetera exemplaria* T H E M I S T O C L I, *ratione ueteris declinationis, qua dandi caſum in huiuſcemodi nominibus pro generandi ponebant, ut* Vlyßi *pro* Vlyßis, Achilli *pro* Achillis: *ſic etiam in noſtro probatiore codice epiſt. ad* Att. *lib.* X I I I. Non uides ipſum *illum* Ariſtoteli *diſcipulum, pro* Ariſtotelis. *Item ad* Atticum *lib.* I X. Et Luccei conſilia, ac Theophani perſequamur. *Et eodem libro etiam in uulgatis,* Ariarathes Ariobarzani *filius, pro* Ariobazanis. *Hanc rem priſci, & recentiores grammatici adnotarunt, plurimis ex* Vergilio, *& ex oratoribus etiam, & hiſtoricis exemplis adductis.*

130 *Quia poſtea non fuiſti quàm à me diſceſſeras:)* Sic o*mnes uulgati codices nulla mendi ſuſpicione. Ipſi antiquam lectionem ſecuti ſumus, quam & genuinam, & probam putamus, ut intelligat poſtquam* Roma *diſceſſerat,* Cæſar *ſcilicet, qua*

ſcet, quanquam nomen Cæſaris non ponit. Nihil autem mirum uideri debet: de magnis enim & principibus uiris ſic loquimur. Dicit igitur Lucceius Ciceronem Roma exiſſe, cum Cæſar diſceßit, nec poſtea rediiſſe, dum Cæſar abeſſet. Poſſemus infinita exempla ex epiſtolis ad Atticum citare, quæ nunc prætermittemus. Speramus tamen rem claram ſine tot exemplorum coaceruatione fore. In epiſtolis ad Varronem, Eſt igitur aduentus in expectatione. Sic enim olim locum illum ſolitum eſſe legi eo loco docebimus. Aliqui autem dum rem clariorem facere ſtudent, conſuetum dicendi modum corrumpunt: cum enim hanc loquendi rationem non alibi in ueteribus autoribus adnotaſſent, & noſtris etiam temporibus communem eſſe non cogitarent, locum Ciceronis deprauarunt. In eandémque culpam inciderunt eodem errore decepti, qui nuper has epiſtolas Venetijs ediderunt. cum enim antè in uulgatis omnibus libris recte hic locus legeretur in epiſtolis ad Pætum, Cum eſſem otioſius in Tuſculano, propterea quòd diſcipulos obuiam miſeram, ut ij me quàm maxime conciliarent familiari ſuo (ſermo enim proculdubio eſt de Cæſare: nec tamen nominatur, ſicque legitur in cunctis & antiquis, & ante hunc impreßis codicibus) hi, hìc etiam CÆSARI repoſuerunt. Nos cunctis his locis antiquam, & meliorem lectionem conſeruauimus.

Vetuſtus eſt amor, conſuetudo, ſtudia paria:) In antiquis 131
exemplaribus (uetuſtas, amor) ut nos etiam ſcripſimus. Hæc enim eſt uera huius loci lectio, & ſic ipſe etiam alibi loquitur, ut in epiſt. ad D. Brutum de L. Lamia loquens, Magna uetuſtas, magna conſuetudo intercedit.

Nam quod allatura eſt ipſa diuturnitas, quæ maximos 133
luctus netuſtate tollit, id nos præripere conſilio, prudentiáque

tiáque debemus) *Quiddam in his uerbis eſt, quod cum mutari iuſsiſſemus, in noſtros etiam codices incuria librariorum irrepſit.* PRÆCIPERE *enim: non* PRÆRIPERE *legendum eſt, ex autoritate, & fide priſcorum exemplariorum, & ratione ipſa id confirmante. Præcipere enim eſt antecapere: ut nos infinita exempla prætereamus huius ipſius autoris. pulcherrimum eſt in elegantiſsima illa M. Antonij epiſtola, quam Cicero in Philippicis exagitat, Sin autem aliud me fatum manet, præcipio gaudia ſuppliciorum ueſtrorum, &c.*

137 *In poſteriore epiſtola ad Rufum,* SI AD ME VENISSES:) *Quis non uideat, ſi diligenter conſideret, legendum eſſe cum antiquis codicibus* SI AD ME MISISSES? *id eſt, ſi mihi notum feciſſes, ſi miſiſſes qui mihi id nuntiarent. Ad D. Brutum, Mitte ad Lupum noſtrum, ut is eas centurias conficiat. Et huius ſignificationis huius uerbi plurima ſunt apud Ciceronem exempla, quæ nunc in re clara non proferemus. Terentius in Eun. Miſit porrò orare, ut uenirem ſeriò. Si enim Rufus ad Ciceronem ueniſſet, morem geſsiſſet ei Cicero nullo ſuo incommodo. Dicit autem ſe antè laturum fuiſſe illius uoluntatem ſuo commodo. quare penitus conuicta uulgata lectio explodatur.*

138 *Non habui cui potius id negotij darem, quàm Tullio Scribæ:*) *Sic omnes uulgati, & impreſsi: antiqui uerò cuncti codices hoc loco corrupti, & diminuti aliqua dictione ſunt. Nos autem & hic, & alijs multis locis rectius eſſe putauimus mutila, & imperfecta multa relinquere, ut in antiquis exemplaribus inueniuntur, quàm ut à nonnullis ſuppleta & reſtituta ſunt, legere: pauca autem admodum, & fortaſſe nomen Tullij tantum deſideratur.*

138 *Confectas & cõſolidatas:*) *Nos ut in antiquis* CONSO

LVTAS *legimus. Quòd autem paulò pòſt ad* Voluſium *transferri nomen: ueteres codices* TRAFERRI. *Qua ratione ad Atticum lib.* XVI. TRALATVM, *Hunc tu tralatum in Macrocolum: nec tamen ſic in noſtro ſcripſimus, ne omnia uelle immutare uideremur. tantum rem notaſſe antiquitatis cauſa placuit. Ille etiam locus in* IIII. *epiſtola ad Lentulum in ueteribus codicibus ita ſcriptus eſt, Cauſam enim frequenti Senatu nõ magna uarietate, magnáque inuidia eorum qui à te cauſam regiam aliò trãsferebant, obtinebamus. Quod etiam alijs non paucis locis obſeruauimus. Nam* TRALATIO *pro* TRANSLATIO *boni codices ſemper habent in libris oratorijs: Donatus etiam accuratißimus Terentij interpres ſic ueteres dixiſſe teſtatur, cum locũ hunc in prologo Phormionis exponeret,* ET TRANSDERE HOMINEM IN OTIVM. *Sic enim inquit, Tranſdere Veteres ſonantius, quod nos lenius dicimus Tradere, ut Tralatum, quod nos tranſlatum è contrario. Conſuetudinem autem ita pronunciandi ad ætatem uſque* M. *Tullij productam eſſe ueriſimile eſt: cum in uetuſtioribus cunctis eius libris ita ferè ſemper ſcriptum ſit. Nã Ciceronem inter ueteres à Donato poni non mirum uideri debet qui tot ſæculis poſt eum fuit. Retinuiſſe etiam quædam libẽter Ciceronem ab antiquioribus uſurpata notißimum eſt. ut poſtquam ita ferè ubique in integrioribus exemplaribus ſcriptum inuenitur, ita legendum omnino cenſeam: ſi autoribus ſermo qui eorum ætate uigèbat, conſeruandus eſt, & non ad poſteriorum normam & conſuetudinem conformandus.*

Non inſipienter actam, ne cogitatam quidem putes:) Lacera aliquantulum ſunt in his uerbis antiqua exemplaria. Quare uulgatam receptámque lectionem ſecutus ſum. Hic 139

tamen uiſum eſt diligentius hanc rem conſiderare, uidereque an ex uetere ſcriptura quamuis mutila & decurtata legitima lectio coniectura elici poßit: maximè cum alij etiã, qui Manutiorum nomine has epiſtolas nuper Venetijs caſtigarunt, id facere tentauerint. Eam igitur primo cũ fide proponam. Sic autem in melioribus cunctis legitur, CVM REM A ME NON INSIPIENTER EXCOGITATAM QVIDEM PVTES: *manifeſto defectu. Quod ſi licet liberè ſententiam ſuam proferre, ſic ego hunc locum reſtituendum putarim,* CVM REM A ME NON INSIPIENTER EXCOGITATAM, NE COGITATAM QVIDEM PVTES. *Vt ſimilitudine duarum illarum penè earundem uocum deceptus librarius, incuria alteram cum monoſyllabo, quod eam præcedebat omiſerit, qui lapſus frequens eſt & quandoque totius clauſulæ damno ſtetit. Senſus, ſi ita legas, meo iudicio optimus erit, ut queratur Cicero, mireturque Rufum illam rem, quæ non ſolum à ſe cogitata ſit, ſed etiam acutè & ſapienter excogitata, in mentem ſibi nõ ueniſſe, neque à ſe cogitatam eſſe crediſſe. Excogitare autem eſſe cogitando quod quærebatur inuenire, notißimum eſt. Sic autem caſtigarunt Veneti;* CVM REM A ME NE INSIPIENTER QVIDEM COGITATAM PVTES. *antiqua ſcriptura in duobus uerbis contaminata, & frigidiore ſanè ſenſu, niſi intelligas uoluiſſe Ciceronem oſtendere rem illam à ſe nõ tantum cogitatam, ſed perſpectam & animaduerſam fuiſſe. Quæ magis iudicium Rufi reprehendit, qui ab ipſo illam ne cogitatam quidem eſſe exiſtimauerit. Oſtendit autem infrà ſuo conſilio geſta eſſe omnia, & à ſe initam rationem eſſe quomodo ea rectè fieri poſſet. Quam etiam ſententiã recepta lectio con-*

tinet,

tinet, quamuis à uetere ſcriptura recedat, & (ut puto) ab aliquo ſuppleta ſit, qui ex ſuo arbitrio locum hunc reſtituere uoluerit.

Cum populum ſuum ſeruaret:) Alij *emendarunt* PO= 139
PVLIS. Nos *ut in antiquis libris inuenimus, & ut ratio ipſa docet,* POPVLVS: *hac ſententia,* Putaui *eſſe boni uiri cum poſſem, nullo populi damno, cõmodare ciuibus, & eorum fortunas ſuſtentare.*

Nam *de Luceio*) *Locus non nimium certus, & ſanè to=* 139
ta epiſtola obſcurior, & fortaſſe mendoſior: parum enim conſtans eſt ſcriptura etiam in melioribus exemplaribus. Nos, *ut in antiquo illo probatiore codice inuenimus, ſcripſimus. Luccei autem nomen in illo ſemper per duo* C, *ſcriptum eſt: hoc loco alij* LYCEO *repoſuerunt, neſcio quàm rectè.* Locus *autem qui infrà eſt,* QVVM DE LOGEIO PARVM GRATIOSVM EST, *uidendum an huic reſpondeat.* Fortaſſe *enim* λογεῖον *appellat locum ubi rationes deponuntur.* Quod *ſi ita ſit, dubito an hic etiam* DE LOGEIO *ſcribendum ſit: nihil tamen in dubia re certi aſſerimus: ſuſpiciones noſtras proponimus, quæ nobis ex parum firma ſcriptura oriuntur, quas cupimus eadem animi ſinceritate, qua proferimus, accipi, & examinari: totámque rem accuratius à peritioribus perpendi, & iudicari.* Nam *quod in poſteriore loco quidam legunt (de* Luceio*) parum prouiſum eſt,* LOGEIO *habent omnes præter hunc nuper* Venetijs *impreſſum excuſi codices: & uulgata lectio in uoce illa* PROVISVM, *quam ipſi reſtituerunt, magis mihi placet, etſi in ea etiam dictione titubat antiquus codex.* Totus *enim locus ſic eſt in illo melioris notæ, ne amplius lectorem ſuſpenſum teneam, & is noſtræ hæſitationi ueniam det, cum uideat quot diffi=*

cultatibus premamur QVCM DE LOGAEO PARVM GRAVISVM EST. *ſed & antiqua ſcriptura, & ſententia etiam magis conuenire mihi uidetur communi, & uulgatæ lectioni, quàm huic nouæ, & ab aliquo pro ſuo ingenio excogitatæ.* Nos *nihil quod in mediũ afferamus, certius habemus.*

139 *Quam tamen depoſuerat Sextius:)* In *ueteribus codicibus ſic ferè ut nos quoque ſcripſimus, locus hic legitur,* Quã *pecunia* Pompeius *eſt uſus, ut tua, quam tu depoſueras ex tuis.* Etſi *noſtri librarij pro* TV, TVM, *peruersè, ut eſt negligens hominum genus, ſcripſerunt.* Sextius *ſanè pro* EX TVIS *habet uetus ille codex, ſed puto eandem literam, ultimam ſcilicet antecedentis dictionis, & primam huius, ut ſæpe accidit, bis inutiliter eſſe repetitam.* Nã Seſtius *nomen uix unquam per* X. *ſcriptum inuenies in antiquis exemplaribus, de quo pauló pòſt.* Sed *tamen etſi nos antiquæ uiciniorem, & noſtro iudicio meliorem lectionem ſecuti ſumus, non adeo certa hæc eſſe iudicamus, ut non uelimus totam rem in arbitrio eruditorum relinquere.*

140 *Smyrna literas eſſe allatas:)* Vetuſti *codices omnes* Myrina, *quod nos rectum iudicamus: eſt autẽ* Myrina Vrbs *in inſula* Lemno, Stephano, Ptolemæo, & Strabone *li.* XIII. *autoribus.* Plinius *etiã lib.* IIII. *in deſcriptione* Lemni, Oppida, *inquit, habet* Epheſtiam, & Myrinam, *in cuius ſorum ſolſtitio* Athos *eiaculatur umbras.*

AD A. TORQVATVM. VI.

Si *enim bene ſentire, rectéque facere ſatis eſt ad bene, beatéque uiuendum, non uereor ne eum qui ſe optimorum conſiliorum cõſcientia ſuſtentare poßit, miſerum eſſe nefas ſit dicere:)* Negatiuam *particulam ante* VEREOR, *uetus ille*

ille codex non habet. Quæ tamen ſi non ſit, ſententiã non corrumpit. poteſt enim cum interrogatione locus legi, quaſi dixerit, uereri debeo? &c. Nos nihil immutauimus: ſiquis uetere lectione magis delectatur, eam reponat.

Si arma ualebunt, nec eos à quibus receſſeris uereri debes, nec eos quos adiuuiſti:) Etſi hic uulgatam lectionem conſeruauerimus, magis tamen antiquam probamus, quæ neſcio quomodo tunc nos ſubterfugit, pro RECESSERIS *enim, (reciperis) legendum eſt, ut intelligat nunc Cæſarianas partes. Si enim* RECESSERIS *legas, Pompeianas intelligas oportet: ab illis enim diſceſſerat poſt aduerſam eorum pugnam, quod ſententiæ nullo modo quadrabit. Eædem autem erant quas adiuuerat, & à quibus receſſerat, cum hic de ambabus loquatur. Aut enim armis inquit urgebitur reſp. ſempiternis, quo caſu nulla tua præcipua calamitas erit, ſed ut in malis res tuæ in tuto ſunt: nec enim Cæſarianos timere debes, à quibus reciperis (præſenti autem tempore utitur, quia nondum res confecta erat: nam ut ſuprà inquit, in magna uarietate eius cauſa uerſata eſt, de qua tamen bene ſperare licebat, propter animum Cæſaris mitigatum) nec eos quos adiuuiſti: hi autem erant Pompeiani. Durante igitur bello, inquit, malum à neutra parte expectare debes. Illi enim quibus fauiſti, & cum quibus in rebus gerendis fuiſti, propter priſtinam ſocietatem te incolumen uolent: hi autem te recipiunt, & ſuum iam numerant. Sæpe autem ueteres codices propter uariam, & aliquantulum inquinatam ſcripturam primo ita perturbant, ut non mirum ſit, ſiquæ quandoque prætereunt. nec enim facile eſt ſi quid boni lateat perſpicere. Nam parua quæque illuſio, & labes optimam lectionem occulere poteſt.* RECEPERIS *autem in illis ſcriptum eſt, cum* RECIPERIS 146

eſſe deberet. quod ſi ita ſcriptum fuiſſet, non alij fortaſſe, dum uerbum illud corrigere uellent, mendoſum eſſe arbitrantes, nec ſatis ſententiā huius loci intelligentes, deterius multo fecissent. Eſt autem pro I *ſæpe poſitum* E *in priſcis exemplaribus,* & I *pro* E. *Quin etiam hoc ipſum uerbum eadem ratione in ijſdem codicibus ſcriptum eſt in epiſtola ad* Brutum, Non recepi à Lepido Antonium, *pro recipi. Præterea quod in his uerbis eſt* ADIVVISTI, Mediceus *codex* ADIVISTI, *facili in aliam uocem lapſu, niſi obſeruatum eſſet hoc uerbū per unum tantum* V *in eo exemplari ſemper legi,* & *alijs etiam quos uidi uetuſtis codicibus.*

148 *Aut eorum qui diſceſſerint) Quia uno membro diminuti hic ſunt omnes non ſolum ueteres, ſed etiam recentiores manu ſcripti codices, ipſe meum eſſe arbitratus ſum rem notam facere, lectoréſque admonere notha eſſe hæc uerba (niſi fallor)* & *ſuppoſititia. Sic enim in melioribus cunctis nulla uarietate legitur,* AVT EORVM QVI DISCESSERINT ALTERI DIMICANT. *Puto autem librarium in particula* AVT *deceptum eſſe, tomque ſuperius membrum reliquiſſe.* Ego *uulgatam lectionem remouere nolui, ſiquis illa delectetur. mihi nō dubium eſt quin ab aliquo ſuppleta ſit eorum qui ſemper quæ deſiderari credunt pro ſuo arbitrio reponunt: quantum diſſentiam ab his, alibi dixi. Eſt autem* & *in ſequenti epiſtola alter locus, quem pariter mancum cum inuenerim, eodem iudicio ductus, eadem nota ſignaui. Sic autem ille proculdubio lacer,* & *decurtatus in antiquis codicibus legitur,* Equidem *cum hæc ſcribebam, aliquid iam actum putabam: non quo, ſed quód difficilis erat coniectura. Quot autem uerbis additis reſtitutus ſit* & *quàm aptis, quiuis*

nunc

nunc uidet. itaque ſuam ſententiam ſequatur: nos in his planè diuulſis, & fractis locis nihil habemus quod melius afferamus.

Ad pugnandum:) Veteres codices depugnandum, quos ſecuti ſumus. Eſt autẽ Depugnare, una pugna utróque prælio de tota re, & toto bello decernere. Ad Atticum lib. VII. Nec adhuc ferè inueni, qui non concedendum putaret Cæſari quod poſtularet, potius quàm depugnandum. In eodem libro, Depugnes oportet niſi concedis. Sæpe & alibi Cic. ne longiores ſimus in re aperta, hac utitur uoce. 148

Nec ex tripudijs ſoliſtimis, aut ſomnijs:) Ipſe priſcam quam reſtitui uocem ex priſcis erui exemplaribus. Poſſe autem fieri arbitror, ut in Augurali diſciplina quædam tripudia ſoniuia appellata ſint: ſed hæc tam obſoleta ſunt propter uetuſtatẽ, & diuerſos ritus, ut penitus incognita ſint. Vocem certè hanc Sex. Pompeius exponit, SONIVIO inquiens ſonanti. Nam uulgata lectio proculdubio falſa, & inepta eſt: nec enim hic de diuinatione per ſomnia agit, quæ etſi ſit (de ea enim Artemidorus Græcè copioſe ſcripſit) nõ tamen de hac intelligit: loquitur enim de Augurali diſciplina, & ut ipſe augur, & ut ad Etruſcum hominem, & Etruſcæ diſciplinæ peritum ſcribens. Ego alibi hanc uocem non inueni: nec mirum eſt rerum tam priſcarum ac ne unquam quidem uulgatarum, & cõmunium uocabula penitus ignorari. Quòd ſi etiã apud alios autores hoc nomen fuit, fortaſſe quia non intellectum, ut deprauatum, deletum eſt: nonnullæ enim huiuſmodi uoces niſi è ueteribus, & non contaminatis exemplaribus reſtituantur, obliteratæ ſunt, & è finibus Latinæ linguæ eiectæ, & expulſæ. Videndum tamen accuratius, an huius uocis certior ulla ratio, & ſignificatio haberi poſſit. nam quod paulo ſuprà nos ſcripſimus IN 153

VOLATV *pro* VOLATV *antiquo etiam codice ac-cepimus.*

159 *Quod tardius quàm eſt æquum, & quàm ego uellem receperis fortunam & dignitatem tuam:)* Nos RECVPERAS. *uetus codex* RECIPERAS *per* I, *quod fortaſſe fecit ut (receperis) iam ſcriberetur. Eſt ſanè & hic & ſequenti epiſtola hoc uerbum in* Mediceo *codice per* I, *ſcriptum,* Quid *reciperaris cogitare: & ſæpe eodem modo.* Quandoque *tamen, quod etiam in* Pandectis Florentinis *animaduertas, recuperare legas, quod hodie in uſu eſt, ſed tamẽ multo rarius quàm reciperare.*

167 *Simulac accepi:) In antiquis exemplaribus* SIMVL *ſine* AC. *quod alibi apud Ciceronem legimus, ſi uetuſtis codicibus fides habeatur. Ad Atticum lib.* VIII. *Simul aliquid audiero ſcribam ad te. non, ut uulgati, ſimul atque. Item lib.* IX. *in epiſtola* Balbi, & Oppij *ad* Ciceronem, Vt *ſimul* Romam *uenerit, agat de reconciliatione gratiæ ſuæ, &* Pompeij. Quamuis *hic etiam impreſſi omnes* SIMVLAC. Videnda *res diligentius: cum enim tot probati libri ſæpe eandem diuerſis locis locutionem habeant, non facile exiſtimandum eſt corruptos eſſe.* Rem *fortaſſe aliquorum iudicio parui momenti non neglex imus. nihil enim in hoc autore non accuratè quod ad ornatum ſermonis faciat, conſiderandum eſt.* Nam *quod hac ipſa epiſtola paulò inferius,* De Hiſpanis *noui nihil, error fuit librariorum:* DE HISPANIIS *enim legendum eſt, & ſic habet uetus codex.*

168 *Aedificia mea me delectant:)* Nos *ut in antiquis* DELECTABANT *ſcripſimus, longe diuerſo ſenſu, quàm ſi præſenti tempore legas:* Adfert *enim rationem cur non ſit tam peregrinator, quàm antea. ob id (inquit) peregrina-*

bar

bar libenter, quia ædificia mea me delectabant, & otium. magnificas enim uillas & ſumptuoſè ædificatas habebat, quas ipſe ocellos Italiæ ad Atticum ſcribens appellat. Nunc ea quæ quærebam in uillis, domi habeo. infert enim, Domus eſt quæ nulli mearum uillarum cedat, otium omni deſertißima regione maius. Quòd non quatuor integros Heſiodi uerſus, ſed primi partem ſcripſimus, in hoc etiam antiquorum codicum autoritatem ſecuti ſumus. Scimus prætereaſemper in his allegationibus Ciceronem breuem & conciſum admodum eſſe, ut trium etiam dictionum prouerbium non integrum quandoque adducat, nedum quatuor totos uerſus celebres, & uulgatißimos recitaret.

Sed tamen aliquid uidebimus, in quo ſit ſpes:) Nos cum 169
antiquis exemplaribus SPECIES legimus, id eſt dignitas, & honeſtas aliqua: ut ad Lentulum, Hic meæ uitæ curſus offendit eos fortaſſe, qui ſplendorem, & ſpeciem huius uitæ intuentur, &c. Huius uocis hoc ſignificatu plurima exempla adiungerem, niſi tam obuia eſſent ut quiuis per ſe facile inuenire poſſet. Potius conabor hiſtoriam huius epiſtolæ ex nonnullis locis ad Atticum collectam explanare. Inſtabant hoc tempore Ludi Romani, qui magnificè ſemper edi ſoliti erant. Iámque Cæſar è bello contra liberos Cn. Pompeij geſto reuertebatur, ſcripſeratq; ad Lamiam ſe ante diem ludorum Romæ futurum, nonnihilque ſe properaturum, ut ludis ipſis intereſſet: mandarátque ut ad ludos omnia pararent. Deſiderabat igitur Lepta ſibi horum ludorum aliquam curationem tradi: cum Oppióque & Balbo de ea re Ciceronem agere uolebat: iámque domum ad Balbum propter hoc negotium eum perduxerat. Rem totam ſibi diſplicere Cicero hac epiſtola ad Leptam ſcribit, nec laborandum eſſe in ea re docet: ſe tamen, quoniam tam ualde ille

cuperet, ei non defuturum pollicetur, operámque daturum ut ſi aliquid in ea curatione, quod aliquem ſplendorem habeat inueniri poßit, ab illis impetret ut Leptæ committatur. Quod autem hic de Hoſpitio loquitur: cogitabat obuiam ire Cæſari, & hoſpitia ſibi parabat. nam etiam lib. XIII. ad Atticum, dicit ſe ad Murenam de hoſpitio ſcripſiſſe, ſed tunc Romæ erat: nunc fortaſſe iam exierat: dicit enim ſe arbitrari Aſturæ ſibi diutius commorandum eſſe quoad ille quandoque ueniat. ille autem Cæſar, κατ᾽ ἐξοχὴν: ſic enim de magnis, & claris uiris loqui mos eſt, ut nos ſuprà adnotauimus: (ille) enim & (ipſe) pro nominibus proprijs ſumuntur, ut etiam Ariſtophanis interpres docet in Nubibus eo loco ἀλλ᾽ εἴσιθι ἵνα μὴ κεῖνος ἡμῖν ἐπιβλέχῃ. ſic etiam loquitur Thetis apud Homerum. τίπτε μ᾽ ἐκεῖνος ἄνωγε μέγας θεὸς: & apud Pythagoricos αὐτὸς ἔφη: id eſt Pythagoras, dicebatur.

169 Ne illud quidem negligendum quamuis:) NEGLIGENDVM in antiquis codicibus non eſt, ſed eius loco negatiua eſt particula NON. Ipſi legimus, non quantiuis. hoc ſenſu: Præter pericula & moleſtias quæ uitaris, commodum illud non paruum habendum eſt, ſed tale ut magnifaciendum ſit, ſubito cum certi aliquid audieris te iſthinc poſſe proficiſci.

169 Iſtinc poſſe proficiſci:) Hic ueteres codices & in fine huius epiſtolæ iterum pro iſtinc ISTIM habent, neque hac epiſtola ſolum, ſed multis etiam alijs locis, etſi nos nunquam ita ſcripſimus, ne antiquitatis nimis cupidi, & affectatores uideremur, rem tamen quin adnotaremus facere non potuimus. Sic etiam eſt in hoc codice locus ille ad Plancum, Ita erant omnia, quæ iſtim adſerebantur, incerta. Et ille ad Tironem, Is enim uentis iſtim nauigatur. Et alibi etiam

idem

idem aduerbium multis locis eſt in illo codice Epiſtolarum *ad* Atticum, *quem nos omnium optimum, atque integerrimum uidimus, ut ille locus in* VII. De malis noſtris tu prius audis quàm ego: iſtim enim emanant. Item illic, Quæ mihi iſtim adferuntur? quæ hic uideo? Item ille in II. Valde ego te iſtim excitarem. *Nam ſecundo* Aeneidos: Illi mea triſtia facta: *illi pro ibi aduerbium eſſe uelut* Donatus Terentij *interpres. Et etiam alibi,* Patet iſti ianua læto, *pro iſtic quidam intelligunt: nam* Petrus Bembus *in ſuo illo diſertiſſimo & elegantiſſimo de* Terentianis *fabulis dialogo, ſic hunc uerſum legit in* Phormione, Interea dum ſedemus illi, interuenit. *& illum item in* Hecyra, Itaque ineptus hodie dum illi ſedeo, ut quiſque uenerat. *Hæc igitur quæ rara admodum, & abſurda uidentur, uidemus ab optimis autoribus crebro eſſe uſurpata, & frequentius etiam inueniremus, niſi à iunioribus quibuſdam caſtigatoribus tanquam menda, & errata librariorum ex omnibus ferè libris ſublata eſſent.*

Cum Milone noſtro:) Nos Chilone, *ut ſit liberti nomen,* Milo *enim iam perierat. Vetus ſanè codex* Cilone *ſine aſpiratione, ut etiam in epiſtola* Sulpitij, A P. Magio Cilone. *Videndum igitur an ſic legi debeat ut eſt in antiquo codice* Cilo *enim ſine aſpiratione autore* Sex. Pompeio *appellabatur, cui frons eſſet eminentior, ac dextra, ſiniſtráque uelut reciſa uideretur: ſiue* Chilo, *qui à magnitudine labiorum ſic nominabatur. Alibi etiam nomina quædam quæ aſpirationem exigunt, ſine ea in illo ſcribuntur, ut in epiſtola ad* Lucceium Herculem Zenopontium. *& ad* Pætum, Pileros *tabellarius: pro* Zenophontium, *&* Phileros. 169

AD M. MARIVM. VII.

Stabianum perforaſti, & pateſeciſti Seianum:) Qui- 172

dam legunt Scianum, nos nihil immutauimus, etſi ueteres codices SENVM: *puto autem nomina eſſe locorum.* Nam *Stabiæ collis celebris in agro Campano, laudatus etiam à Galeno in* Therapeutica *propter caſei bonitatem. Stabias autem oppidum fuiſſe dicit* Plinius, *poſteáque deletum in uillas abijſſe.* Columella *etiam de eo agit in hortulo, Stabiæque uetuſtæ.*

173 Græcos uerò ita ames:) *Sic omnes uulgati, quaſi ironicè dictum ſit, ſed elegantius in antiquis,* ITA NON AMES. *id eſt tam infenſo odio perſequare: tam longe ſis, ut* φιλέλλην *iure dicaris. qua & alibi locutione utitur, ut in* II. *de finibus,* Atqui reperiemus *aſotos, primum ita non religioſos, ut edant de patella: deinde mortem ita non timentes, ut illud in ore habeant, &c.* Tantum, *inquit, longè es ut Græcos ames, ut omnia quæ eius gentis nomine appellantur, ferre non poßis, adeo ut ne ad uillam quidem tuam Græca uia ire uelis.*

173 *Sed quæ poteſt homini eſſe politico delectatio?)* Vetuſti *omnes codices, ut nos ſcripſimus* HOMINI ESSE POLITO Latina *uoce habent. frequens autem eſt apud hunc autorem hæc elegantes homines ſignificans elegans dictio, ut etiam apud* Lucretium *candidißimum, & facundißimum* Romanæ *linguæ ſcriptorem: quamuis doctrina politos* Conſtituat *pariter quoſdam, tamen &c.*

178 M. Furium, *quem mihi commendas:*) Ego *caſtigaui* M. ORFIVM. *Vetus codex in hoc nomine nonnihil mendi continet: potius enim* VRFIVIVM, *ibi legas.* Nos & *ex his ueſtigijs, & ex loco in epiſtola ad* Q. Fratrem Orſium *legendum eſſe cenſuimus: nam hunc eſſe apparet, quem cum literis ad* Fratrem *miſit, & quem illi commendat, &* Tribunum *militum eſſe dicit in* Cæſaris *exercitu.* Verba

autem

*autem hæc Cæſaris ita leguntur in omnibus antiquis exem=
plaribus, ut nos maioribus literis (ut facilius diſtinguan=
tur) ſcripſimus.*

Quod familiaritatem inducit:) Sic omnes uulgati co= 179
dices, omnino male. Ego ueterem lectionem reſtitui F A-
M I L I A M D V C I T. *Dicitur enim familia iuriſconſul=
torum, familia gladiatorum, familia philoſophorum, id eſt
ſecta.* Ad Atti. lib. I I. Puto enim me Dicearcho affatim ſa-
*tisfeciſſe: reſpicio nunc ad hanc familiam, quæ mihi non
modo ut requieſcam permittit, ſed reprehendit quia non ſem=
per quieuerim. Ille autem familiam ducere dicitur, quem cæ=
teri eiuſdem generis ſequuntur ut autorem & ducem, ut in*
V. Philippica, L. *quidem frater eius, ut peregrè depugna=
uerit familiam duclt.* In I I I I. *de* Finibus *dicit ſententiam
ducere familiam, quæ maiorem uim habet & maioris eſt
ponderis & quaſi caput aliarum. Sed primum illud uide
grauiſſimam illam ueſtram ſententiam, quæ familiam du=
cit,* Honeſtum *quod ſit, id eſſe ſolum bonum, honeſtéque
uiuere bonorum finem: communem fore uobis cum omni-
bus &c.* Non *paruæ igitur autoritatis eſſe dicit* Treba=
tium in iure ciuili, haberéque ſuos ſectatores. Nam *quod
paulo ſuprà erat,* P R V D E N T I O R E M E S S E N E-
M I N E M: *ego* P V D E N T I O R E M, *ut in meliori=
bus libris inueniri, ſcripſi: loquitur autem & in ſecunda
poſt hanc epiſtola de pudore* Trebatij. *Nam & in alia ſic
ait,* S*æpe autem etiam, quod à te alieniſſimum eſt, ſubim=
pudens uidebare.*

Sed ad eum propter eius occupationes nihil ſum auſus 181
ſcribere,) Ipſe *huic loco mendi notam adpoſui, quod for=
taſſe multi mirati ſunt, cum ſententia loci ſatis plana, &
aperta ſit: reprehenderent etiam, niſi quid me hoc ut face=*

rem

rem impulerit, explicaſſem. Primo ſcire debent omnes me uocem illam OCCVPATIONES *in nullis paulo antiquioribus libris nedum uetuſtiſsimis legiſſe, quod mihi originem attulit ſuſpicionis. Deinde cum accuratiſsime conſyderaſſem, non mihi uiſa eſt ſatis digna cauſa eſſe, quæ retraheret Ciceronem à ſcribendo, occupationes Cæſaris. nam ſæpe ad eum Cicero ſcribebat, cum ille mirifice Ciceronis literis delectaretur, & ipſas omni ratione eliceret: nec ea tempeſtate ullo maiore negotio impediebatur, ut cauere deberet ne ob id illi moleſtus eſſet: nec tamen tantum temporis in legendis amicorum literis collocatur ut non quiuis occupatiſsimus ſe ab illis de omnibus rebus certiorem fieri uelit. Maius igitur quiddam eſſe putaui quod Ciceronem ab inſtituto ſuo deduceret: & ut liberè omnem meam ſuſpicionem proferam, ſi aliquando coniectari datum eſt, putarim* PROPTER EIVS LVCTVM *legendum eſſe. Conſtat enim hoc tempore Cæſaris filiam mortuam eſſe, quæ Pompeio nupta erat, Iuliam ſcilicet: quodetſi ualde notum ſit, tamen uerba Dionis hiſtorici de hac re ponemus:* ἐν δὲ τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ καὶ ἡ τοῦ πομπηίου γυνὴ θυγάτηρ ὄντι τεκοῦσα ἀπέθανε καὶ αὐτὴν εἴτε διαπραξαμένων τῶν τε ἐκείνου καὶ τῶν τοῦ καίσαρος φίλων ἢ καὶ ἄλλως πῶς χαρίσασθαί τινες ἐθελήσαντες συνήρπασαν ἐπειδὴ τάχιστα τῆς ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐπαίνου ἔτυχε, καὶ ἐν τῷ ἀρείῳ πεδίῳ ἔθαψαν καὶ τοι δομιτίου ἀντιστάμενου καὶ λέγοντος ἀλλά τε καὶ ὅτι οὐχ ὁσίως ἐν τῷ ἱερῷ τόπῳ ἄνευ τινὸς ψηφίσματος θάπτοιτο. *Dicit etiam lib.* III. *ad Quintum: ſe ad Cæſarem nón reſcripſiſſe propter eius luctum: de obitu filiæ intelligens, Ex Britannia Cæſar ad me Calend. Septemb. dedit literas, quas ego accepi* IIII. *Cal. Octob. ſatis commodas de Britannicis rebus, quibus ne admirer, quòd à te*

nullas

nullas acceperim, ſcribit ſe ſine te fuiſſe, cum ad mare acceſſerit. Ad eas ego ei literas nihil reſcripſi, ne gratulandi quidem cauſa, propter eius luctum. De hac eadem re intelligit etiam illo loco ad Quintum, de uirtute, & grauitate Cæſaris, quam in ſummo dolore adhibuiſſet, *Magnam ex epiſtola tua accepi uoluptatem.* Nam & ipſe Cicero ad Dolabellam ſcribens de morte Tulliæ, nondum ſatis confirmatum ſe dicit ad ſcribendum, impedit enim officia mœror, & prouidi omnes homines, eos qui in dolore, & luctu ſunt propter chariſsimarum perſonarum interitum nolunt afflictos, & perturbatos, amplius perturbare, & in ulla re illis moleſti eſſe. Hæc eſt cauſa cur ſtellulam poſuerim, ut lector ſcilicet locum illum attentius, accuratiúſque examinet: nec tamen coniecturis fretus receptam lectionem delere uolui, etſi eam nullo modo probo. ſi enim ulla reponenda eſt uox, ut defectum illum ſuppleat, noſtram potiorem iudico. Sed tamen iudicio eruditorum ſtare uolo.

Cn. Octauius eſt tuus familiaris.) Hæc uerba addidimus 181
ex uetuſtis codicibus, AN CN. CORNELIVS QVIDEM: quæ ab Angelo olim Politiano dum hunc locum citaret, etiam reſtituta fuerãt cap. XVIII. ſuorũ Miſcellaneorum: habuimus enim & nos perueterem illum codicẽ, quem Philelphi fuiſſe dicit, qui etiam nunc in bibliotheca Medicea cum multis, nobiliſsimiſque librorum uoluminibus cuſtoditur: & illum item non adeo ueterem, qui in Diui Marci bibliotheca adhuc manet. Quorum ille maxime auxilio nonnulla corrigit: & quibus nos quæcunq; ferè in his caſtigauimus, accepta referimus. Non ſunt autem otioſa hæc uerba: oſtendunt enim illum ſibi adeo ignotũ eſſe, ut ne nomen quidem hominis recordetur, ut ſi uellet eum proprio nomine appellare, neſciret utro, cum diuerſa inter ſe ſint, nominaret.

Quem

182 *Quem antea ne andabatam quidem.*) Nos hîc commu̅nem, uulgatámque lectione̅ ſecutiſumus, nulla re ab antiqua diuerſam. alij NE ANABATA QVIDEM legendum putant, permutato uocabulo, & caſu. Nos tutius affirmare poſſumus de integritate huius uerbi, quàm de ſignificatu reſpondere. Nonius certe ſæpe Varronem Andabatis citat. Eraſmus putat hîc Andabatam uim prouerbij habere, quo etiam ſæpe Diuus Hieronymus uſus ſit, quos locos diligenter ille collegit, ut cum nihil amplius uiderim, malim ea ab eo peti quàm hîc nulla neceßitate deſcribere. Nec tamen uir ille eruditißimus potuit originem huius Prouerbij aperire: fuerint enim populi Anabatæ clauſis oculis pugnare ſoliti, an gladiatores quidam, qui ſic in aduerſarium tenderent, ſeu potius luſus genus, ſe non compertum habere ingenue fatetur, etſi in ultimam ſententiam potius inclinat.

184 *Non ex iure manu conſertum &c.*) Non totos duos hos Ennij uerſus ſcripſimus, reliquum enim poſterioris in nullis antiquis legitur. quidam minime neceſſariam partem repoſuerunt, eáque uerba omiſerunt quæ & in antiquis leguntur, & ſententiam integriorem, & concinniorem reddunt, cum ſtatim illum interroget an & ipſe ad uim faciendam adhiberi ſoleat. qui autem hæc uiderant, ij quoque parum caſtigata ſcripſerunt, NON enim incommodè importunéque de ſuo addiderunt. Nollem tamen ea cum Ennij uerbis coniuncta eſſe, quod uitio librariorum factum eſt in noſtris codicibus: ſeparentur igitur ab illis, cum uerbiſque Ciceronis coniunga̅tur. Quod etiam ſequitur, QVOD TV PRIOR VI HOMINIBVS ARMATIS NON VENERIS: de quo tot diuerſæ ſententiæ, concertationéſque fuerunt: ſcripſimus ut in Mediceo eſt. Nam lectionem eius libri ſinceram & integram eſſe credimus:

ut qui immutare aliquid uelint potius corrumpant, quàm corrigant: nam uerba eſſe interdicti patet. inueniuntur ea in oratione pro Cecinna multis locis, & in pandectis ſæpius. Hunc autem eorum ſenſum eſſe exiſtimamus, ut dicat Cicero non eſſe Trebatio pertimeſcendam exceptionem illam qua utuntur illi ad Prætorem, qui cum confeſſi ſint ſe deieciſſe, clamant tamen ſe non interdicto teneri, nec debere reſtituere, nam ſe prius ab aduerſarijs ui hominibus armatis deiectos eſſe. ſubiungit enim, Scio te non eſſe procacem in laceſſendo, ut iniuriarum origo à te orta eſſe poſſit. nam ut timidum, & parui animi hominem taxat, & qui libenter pugnas, turbáſque fugeret, & bello minime eſſet aptus: quibus enim ualebat armis, in prælio uti nō poterat: quum autem cum iuriſconſulto ſermo ſit, uerbis iuris frequenter utitur Cicero, ioci cauſa.

186 Tu tamen mi uetule:) *Hæc & uulgata, & antiqua huius loci lectio eſt: nos nihil mutauimus etſi nōnullos ſcimus pro uetule* βάκηλι *emendare conatos, cuius tamen Grecæ uocis nullo in antiquo exemplari ueſtigium ullum uidimus. ſcimus & nos* βακήλους *antiquo prouerbio appellatos eſſe languidos, & diſſoluto corpore homines, & potius mulieres, quàm uiros. non tamen recte facere exiſtimamus qui tam facile ueterem ſcripturam tollunt. appellat autem hunc uarijs ſæpe cognominibus, ut teſtam etiam. quorum rationem ſi uelis conerìſque, fortaſſe non facilè explicare poſſis.*

Ibidem Non minus Philoctetem &c.) *Magna eſt eruditorum hominum diſſenſio in huius loci declaratione, & ſcriptura: nos tamen opinionem noſtram inter tantos autores liberè proferemus, & fortaſſe in quo illi decepti ſint, demonſtrabimus. Et primo lectionem, quam Politianus reſtituit, uno tantum parum mutato uerbo, comprobamus: eadem enim*

exemplaria ſequimur, quibus ille adiutus cōmodiorem hunc locum fecit, MINVS tantum in NIMIS, facili & frequenti admodum lapſu permutato. Nonnihil etiam ab eo de intellectu horum uerborum diſſentimus: ni fallor enim, non parū peccat ille in huius rei hiſtoria. putat enim Trebatium in inſulam Britanniam acceßiſſe, quod falſum eſt ex uerbis his Ciceronis, Qui neque in oceano natare uolueris, nec ſpectare eſſedarios. Item ex hoc loco confirmatur, Sin æſtiuorum timor te debilitat, aliquid excogita, ut feciſti de Britannia. Quæ declarant ſcire iam Ciceronem eum in Britanniam non profectum, cum dicat illi, ut aliquam cauſam quærat, ne faciat quod non ſibi commodum ſit, ut fecerat de Britannia, quò ire noluerit excuſatione quapiam uſus. nam primo crediderat Cicero illum eò cum Cæſare iſſe. Verba autem hæc IN BRITANNIA &c. quæ (ut nos putamus) Politianum in errorem induxerunt, perſuaſerúntque illi ut crederet eò profectum Trebatiū, illicque ualde Philotheorum fuiſſe, non eam habent ſententiam quam ille exiſtimauit: ſed IN BRITANNIA, ſic intelligo, in expeditione, & negotio Britanniæ: quantum ad Britanniam, in nauigatione illa quæ in Britanniam facta eſt. quo modo dicendi tam ſæpe utitur hic autor, ut nō millies obſeruaſſe pudor ſit illis, qui aliquando ipſum uiderint: nam credere Trebatium etiam ſi in Britanniam acceßiſſet, in theatris uerſatum, ſpectationibúſque operam dediſſe fugitantem prælium, otióque ſe aſſerentem, ut ille exponit: nimis ineptum mihi uidetur, indignúmque accerrimo hominis iudicio. paucis enim diebus, quibus in maximis periculis in inſula manſerunt, non locus erat ludis, delitiiſque. Nos hic φιλοθέωρον intelligimus φιλοθεάμονα, φιλοθεωρητικόν. Sic enim Græci appellant illum, qui nouas terras, nouáque loca ſemper

ca ſemper uiſere uult, ſtudióque peregrinationis mirificè tenetur, ut ſitum orbis terrarum ſpectet, moréſque diuerſarum gentium, & inſtituta perdiſcat, quemadmodum Plut. In libello περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων dicit fuiſſe Cleombrotum quendam Lacedæmonium his uerbis, κλεόμβροτος δὲ ὁ λακεδαιμόνιος, πολλὰ μὲν ἐν αἰγύπτῳ καὶ περὶ τὴν τρογλοδυτικὴν γῆν πεπλανημένος πόρρω δὲ τῆς ἐρυθρῆς θαλάσσης ἀναπεπλευκὼς οὐ κατ' ἐμπορίαν ἀλλ' ἀνὴρ φιλοθεάμων καὶ φιλοφανὴς οὐσίαν δὲ ἔχων ἱκανὴν καὶ πλείονα τῶν ἱκανῶν ἔχειν οὐκ ἄξιον πολλοῦ ποιούμενος ἐχρῆτο τῇ σχολῇ πρὸς τὰ τοιαῦτα. Et hanc denique ſententiã eſſe horum uerborum putamus, ut Cicero dicat ſe laudare conſilium Trebatij, quòd non fuerit ex hoc hominum genere, qui omnia uiſere cupiunt: multos enim illuc ſtudio uidendæ inſulæ, quæ tunc tanquam nouus orbis Romanis aperta erat, libenter acceßiſſe ueriſimile eſt, cũ nauigatio illa multorum periculorum & incommodorum plena eſſet, ut ſapientius feciſſe uiderentur, qui neglecta gloria, contemptáque etiam loci ſpectatione, aliquam cauſã inuenerunt quare illuc non ierint: quod feciſſe Trebatium lætatur: ſimúlque ut parum militarem uirum, nec bellicæ laudis auidum, clàm taxat, quod etiam alijs locis ioci gratia libenter facit. Reſtat nunc ut Crinito, qui aliter hunc locum intellexit, reſpondeamus. ipſe enim contra Politiani emendationem Philoctetem tuetur, multúmque ſibi in ea expoſitione placet, cum dicat etiam Politianum cum de hac re ſermonem cum eo haberet, errorem ſuum agnouiſſe, libentérque in ſuam ſententiam ueniſſe: quod miror uirum pertinacem in tam bona cauſa tam facile manus dediſſe, & non animaduertiſſe alium intellectum habere uerba illa Ciceronis, quibus nititur aduerſarius, & longe diuerſum ab eo

quem ille credidit: nec enim puto hoc Crinitum commen-tum eſſe. ſunt autem hæc uerba quæ Crinitus putauit pro ſe facere ad Q. Fratrem lib. II. De rep. Nimium te labo-rare doleo, & meliorem ciuem eſſe, quàm Philoctetam, qui accepta iniuria, ea ſpectacula quærebat quæ tibi acerba eſſe uideo. Hanc autem illorum ſententiam eſſe puto, Querebatur Quintus rempub. eo tempore in magnis malis uer-ſari: ualdéque de eius miſerijs animo cruciabatur: reprehen-dit hominem Marcus quòd tantum ei publica damna dole-rent, & meliorem ciuem eum eſſe dicit, quàm Philoctetam, qui accepta iniuria à Græcis, in illas eos calamitates ceci-diſſe gaudebat, quas Quintus in ſua rep. eſſe moleſtè fere-bat. Deſyderabat Philoctetes damna & infortunia Græ-cis, quia ſe in inſula deſtitutum meminerat: Quintus ue-rò etſi cum fratre graues ærumnas ob rempub. perpeſſus erat, tamen cum ſciret eam multis malis conflictari, ut bo-nus ciuis, qui iniurias patriæ obliuiſci debet, iniquo ani-mo ferebat. Damnat igitur eius conſilium Cicero nec de-bere illum ob id ſe nimis macerare oſtendit, cum poſt tot accepta beneficia nimis in ipſos ingrata Reſp. fuiſſet, ut fa-cile ferre debeant eius naufragia. quam ſententiam perſequi-tur ad Atticum ſcribens lib. IIII. in epiſtola cuius eſt initium OCCVPATIONVM MEARVM. Tam graues enim fuerant in Ciceronem inimicorum iniuriæ, & tam acerba exilij memoria: ut cum ſe à rep. deſtitutum fuiſſe recordaretur, non poſſet aliquãdo in eam ſatis placato ani-mo eſſe. quærebat autem ſpectacula: intelligimus lætitiam capiebat cum uidebat rem eò deductam, ut qui ſibi damnum intuliſſent, pœnas darent ſuæ petulantiæ, ut loquitur lib. x. ad Atti. de Dionyſio: *Et homini non amico noſtra incom-moda, tanta præſertim, ſpectaculo eſſe nollem.* Id eſt, præ-

bere

bere illi uoluptatem. Libenter enim qui ſe male tractatos iudicant, uident in aduerſa fortuna conſtitutos, quos ſibi mali cauſam fuiſſe arbitrantur, eámque delectationem capiunt ex illorum infortunijs & miſerijs, quam ex aliquo ſpectaculo capere homines conſueuerunt. Nihil igitur facit ad locum hunc in epiſtola Trebatij, locus ille ad Q. Fratrem. Nos autem utrunque quemadmodum intelligi debere credimus, pluribus uerbis expoſuimus: ſed res de qua tanta controuerſia extiterat, non potuit breuius explicari.

Ego enim renouabo commendationem, ſed tempore:) 188
Nos quin hæc lectio, & integra, & incorrupta ſit, non dubitamus: uolumus tamen antiquam quandam ſcripturam à nobis animaduerſam notare, quæ fortaſſe aliquem, qui eam non obſeruaſſet perturbaret, moleſtiámque ei non paruam exhiberet: ut uideant omnes non poſſe quemlibet uetera exemplaria tractare. Hoc loco uetuſtiſsimus ille Mediceus codex, & alter etiam non malus, non æquè tamen antiquus, pro (tempore) habent TAM, *fractam omnino, & parum commodam hoc loco uocem. ipſi unius literæ mendum ibi eſſe exiſtimamus, deceptúmque librarium* TAM. *pro* TEM. *ſcripſiſſe. Non ſemel autem in priſcis exemplaribus, ſic conciſam hanc uocem reperies: ut prima ad Atticum epiſtola in uetere illo noſtro codice ſic locus hic ſcriptus eſt, Nos initium prenſandi facere cogitaramus eo ipſo tem. quo tuum puerum, &c. pro tempore, ubi uulgati codices* DIE *habebant, ab illis, ut putamus, repoſitum qui hanc ſcribendi rationem non animaduerterant, & quid intelligi deberet ſuo ingenio fermè perſpexerant. Item ille lib. X. Quòd me mones de uultu, & oratione, at tem. accommodanda, pro, ad tempus: qui locus etiam corrupte legebatur*

tur AD REM. cum enim intelligerent poſteriores librarij, nimis temere, & indoƈte TEM. in REM conuerterent. Harum minutarum, puſillarúmque rerum inſcitia maximas peruerſiones, labéſque gignit in antiquis uoluminibus deſcribendis: nos tam tenuem notationẽ aſpernatos non eſſe neminem mirari uolumus: ducti enim ſtudio iuuãdi pro imbecillis noſtris uiribus hunc præclariſsimum autorem, ad omnia, dum deſyderium noſtrum explcamus, deſcendimus. cupimus autem hanc noſtram diligentiam in bonam partem accipi: illos certe qui quandoque in hoc negotio laborarunt, ſedulitatem noſtrã non contempturos credimus, & ſperamus. Eo autẽ loco, qui paulò pòſt ſequitur, QVANDO VESTRAE CAVTIONES. antiqui codices etiam illi probatiores & antiquiores, CAVSATIONES pro cautiones habent. nos hoc erratum librarij putamus, ſed tamen non diſsimulauimus, peritiores rem ſubtilius conſyderabunt.

189 Doctorem tamen, lumẽnque deſyderant:) Nos cum fide in antiquis cunctis exemplaribus inuentam lectionem reſtituimus, VNVMQVE DESYDERANT. nec enim uulgata lectio nobis ualde ſatisfaciebat, & hanc non ineptum ſenſum habere iudicauimus. Ipſi quoque hunc modum dicendi uulgo ferè habemus, cum aliquid uno indigere dicimus, qui regat, & inſtituat: ut hoc in loco qui lucem afferat rebus obſcuris. quamuis enim libri iuriſcõſultorum, qui ius ciuile continent, tot ſint, támque explicati, non tamen ſine doctore, & uno aliquo, qui aliquantum in illorum lectione exercitatus ſit, & quem rudes eius diſciplinæ ſequantur, intelligi poſſunt, quaſi quiuis dum non omnino rudis ſit, poſſit hoc munus ſuſtinere.

189 Quanquam illa quidem habet locum:) Nos antiquos codices

dices in hoc etiam ſecuti ſumus, quos incorruptos eſſe cenſemus. De lotorum nobilitate, *& quàm iucunda earum opacitas eſſet, quantique olim in domibus æſtimarentur,* Plinius *docet in libri* XVII. *procemio.* Polybius *à ſe uiſam in* Attica *deſcribit lib.* XII. *hiſtori. quem locũ, quia nondum integer uulgatus eſt* Polybius, *leges apud* Athenæum Δειπνοσοφιςῶν *lib.* XII. *qui totam uerbis ipſius huius arboris deſcriptionem perſequitur. nã qui* LVCVM *emendarunt, deceptos eſſe putamus: impium enim* Ciceronis *conſilium fuiſſet. cum enim ſacri eſſent luci, non ſine ingenti piaculo, & ſcelere incidi poterant: domúſque priuata non luci erat capax, cũ loti deliciarum cauſa ſumma arte in domibus colerentur, aduenæ autem raram arborem uiſebant, & eius iocundo aſpectu tenebantur: propter quam rem iocans (ut arbitror) iubet ipſum lotum illam excindere, quia ſibi eſſet ſumptus cauſa, cum ſæpe hoſpitum domus plena eſſet.* Nam *in uerbo illo (proſpexeris) ambiguum ſenſum eſſe puto. uidetur enim dicere,* Si *lotum excideris, maius cœli ſpatium aſpicies, illa enim ſua opacitate proſpectum impedit, & luminibus obſtruit: cum dicat,* Rebus *tuis conſules: minores enim ſumptus facies, non enim cauſa erit aduenis, cur domum tuam frequentent. & omnia hæc facete, & cum ioco, ut conſueuit. ferè enim ſemper cum eo iocatur.* Aduerſatur *ſolum antiquæ lectioni quòd lotum fœminino genere alij autores appellarũt, cum ipſe maſculino uſurpet: quare accuratè conſiderandum eſt, uitiũne ea parte uetus habeat, ſiue eo genere contra plurimorum morem, quod uix ueriſimile eſt,* Cicero *appellare lotum uoluerit.*

Tantum ex Arpinati uenerã: *)* Nos *ex ueteribus exemplaribus* TANTVM QVOD *reſtituimus.* Quod *pri-* 191

mo multos miraturos credimus, & fortaſſe non nimium probaturos: aliquos etiam (qui recepta lectione non ſolum magis delectentur, uerumetiam hanc etſi non nouam (non enim nunc primum in impreſſos codices migrauit) tamen ut ſæpius exploſam & eiectam, nec ſatis primo aſpectu elegantem abhorreant) fore qui noſtro iudicio damnato, hanc iterum ſua ſede indignè deijcere conentur. Quod ne accidat, conabimur antiquorum exemplariorum fidem autoritatémque tueri, oſtendentes alibi etiam Ciceronem ſic locutum eſſe, ut lib. x v. *epiſtolarum ad Atti. epiſt.* 527. *quod etiam in uulgatis libris inuiolatum permanſit: Hæc cum ſcriberem tantum quod exiſtimabam ad te orationem eſſe perlatam: hui quàm timeo quid exiſtimes. Exiſtimamus autem nos (tantum quod) idem ferè ſignificare quod (commodum) quo frequenter utitur Cicero: ut lib.* x i i i. *ad Atticum, Commodum diſceſſerat Hilarus librarius* i i i i. *Calend. cui dederam literas ad te, cum uenit tabellarius cum tuis literis pridie datis. & alijs infinitis locis, quod manifeſtum fit, ſi duo hæc loca diligenter conſyderes. Sed habeo aliud etiam non paruum teſtimonium. Eſt apud me Terentius ille quem olim Angelus Politianus cum uenerandæ uetuſtatis codice (ut ſunt eius uerba) Petri Bembi contulit, ſuáque manu non tantum quæcunque in eo à uulgatis diſcrepabant, uerum etiam doctas quaſdam interpretationes, quæ in eius libri marginibus adſcriptæ erant, accuratè perſcripſit, quæ & multæ ſunt & eruditi prorſus uiri iudicio etiam optimi & doctiſſimi uiri Petri Bembi, qui libri illius dominus ſermonem elegantiſſimum de ipſius laudibus confecit, in quo declarationes etiam has & probat & amplexatur. Is igitur liber in Phormione, eo loco, Tun' dixeras huic? facinus indignum*

Chreme

Chreme, ſic circuiri. Dem. id cum hoc agebam commodum: *ſupra dictionem illam* COMMODVM *ſcriptum habet* TANTVM QVOD, *nota iuxta appoſita qua* Politia-*nus ſignificabat ex antiquo exemplari ſe accepiſſe: ut nunc neque de integritate horum uerborum, neque de ſententia dubitari amplius debeat. Credimus ſi uetera exemplaria haberemus omnium librorum* M. Tullij, *frequentius huius etiam aduerbij exempla reperturos nos fuiſſe: quod nunc tam raro inuenimus, quia uulgati codices contaminati ſunt: quódque hoc loco auſus quiſpiam eſt, ut probam lectionem perverteret, exiſtimare poſſumus, alijs etiam plurimis acci-diſſe.* Donatus *etiam* Terentij *interpres* COMMODVM *ſemper per* Tantum *quod, declarat.*

Vereor ne in Catonium Cato nos.) Locus ualde obſcu- 193
rus, nec uno modo in omnibus exemplaribus ſcriptus. Mediceus & quique optimi libri pro CATO NOS, CATONINOS *habent: quod non improbaui. Mendi autem notam hic appoſui, quia in priore quoque uoce diuerſos antiquos codices inueni: nec apud me conſtituere potui, quæ ſincerior lectio habenda eſſet. quamuis autem certam ex tam dubio & contaminato loco ſententiam uix elici poſſe putem, tamen non ueritus ſum quid ſentiam exponere. Per* MAGISTRVM *arbitror eum intelligere Cæſarem dictatorem.* MANVM *autem* DE TABVLA, *prouerbium eſſe exiſtimo ſumptum à pueris pictorum, qui abſente magiſtro, ſumpto penicillo aliquid & ipſi furtim in tabula pingere conantur. Quo repente ſuperueniente, admonentur à cæteris ut cito manum de tabula remoueant, ne in illos magiſter animaduertat. Monet igitur Cicero Fabium, ut appropinquante Cæſare, manum & ipſe de tabula cito auſerat: ſcribebat enim Catonem, quæ ſcriptio parum Cæſari*

grata & iucunda eſſe poterat, & quæ inimiciſsimum illi hominem ſummis laudibus ornaret. Cum autem ſe quoque cogitaret, quia & ipſe etiam Catonem ſcripſerat, apud eum offendiſſe, ſubiungit, Vereor ne in Catonium Catoninos, id eſt, timeo ne Cæſar commotus ira ad inferos dimittat Catoni deditos, & Catonem amantes, id eſt, meipſum & te, qui Catonis laudes deſcripſimus. CATONINOS *autem pro* CATONIANOS *dictum uidetur, quemadmodum ſæpe ueteres locutos paulò pòſt oſtendam Nam & Aulus Gellius uidetur oſtendere Catonium pro inferis ſumi quandoque ſolitum. ſic enim lib.* XVIII. *Noctium Atticarum, cap.* VII. *quod contra Laberium ſcriptum eſt, inquit, poſtquam oſtendit illum multa uerba licenter nouaſſe, neque non obſoleta quoque & maculantia ex ſordidiore uulgi uſu ponit, quale eſt in Staminarijs, Tollet bona fide uos orcus in Catonium. Vbi unum adnotandum eſt, quòd uidi priſcum eius ſcriptoris & ualde probatum exemplar, quod* CATONVM *non* CATONIVM *in eo uerſu habet, quemadmodum in hac epiſtola in melioribus exemplaribus ſcriptum eſt: & hæc cauſa fuit quòd è regione eius uocis aſteriſcum appoſui. quis enim dijudicare poſsit impreſsiſne codicibus, an potius priſcis exemplaribus maior fides habenda ſit in dictione iam pridem obſoleta, & cuius certam rationem nemo aſsignare poſsit? niſi illa à Græco aduerbio κάτω originem ducat, quod & ipſum inferiora & ſubterranea loca ſignificat.*

194 *Terra nata, quæ lege excepta ſunt:) Etſi nihil mendi ſit in his uerbis, uolui tamen ut melius hic locus intelligatur, uerba ex Athenæo legis Fanniæ ſumptuariæ adponere, quæ & ipſa omnia, quæ oriuntur è terra excipiebat. cum enim alijs cibis, & dapibus modum quendam ſtatueret,*

olera

olera, leguminâque, & cuncta quæ terra fert concedebat. ſunt autem lib. VI. Δειπνοσοφιστῶν: ἐκέλευε δ᾽ ὁ νόμος τριῶν μὲν πλείονας τῶν ἔξω τῆς οἰκίας μὴ ὑποδέχεσθαι. κατὰ ἀγορὰν δὲ τῶν πέντε, τοῦτο δὲ τρὶς τοῦ μηνὸς ἐγένετο, ὀψωνεῖν δὲ πλείονος τῶν δυοῖν δραχμῶν καὶ ἡμίσεος, οὐκ ἐπέτρεπε, κρέως δὲ καπνιστοῦ δέκα πέντε τάλαντα δαπανᾶν εἰς τὸν ἐνιαυτὸν ἐπεχώρει καὶ ὅσα γῆ φέρει λάχανα καὶ ὀσπρίων ἑψήματα. Quod autem Stoicos dicit male accipere ſolitos Epicurum, quòd fateretur ſibi ueſicæ & torminum morbos ualde moleſtos eſſe: narrat hoc ipſe de ſe in epiſtola ad Idomeneum autore Laertio: quamuis Cicero ad Hermachum miſſam dicat lib. II. de finibus: ibi enim elegantiſsimè illam interpretatur. Græcam inuenies apud Laertium in uita Epicuri, quam non inutile erit cum Latina conferre: Erant autem infenſiſsimi Epicuro Stoici, & iniquo animo rationem & uitam illius exagitabant: nam parciſsimi illum uictus fuiſſe apud optimos autores legimus. Modeſtius ſe gerit Plutarchus, qui ne dum ob hoc Epicurum maledictis inceſſat, excuſat potius tuetúrque exemplo temperantium ſanctorúmque uirorum Pherecidis & Heracliti, qui ſumma abſtinentia corporis, uictúſque moderatione, moleſtiſsimis tamen ægritudinibus impliciti & conflictati ſunt: atque hoc in libello facit, quem contra illius decreta ſcripſit, cui titulus eſt, NON POSSE IOCVNDE VIVI SECVNDVM EPICVRVM.

Miror cur me accuſes:) Initium huius epiſtolæ ualde 195
mihi dubium eſt, & ſanè maior eius pars breuitate ſua obſcurior: nam mordacibus eſt amariſque dictis referta, quæ quanto magis conciſe argutéque pronuntiantur, tanto magis pungunt, perturbántque eum in quem dicta ſunt. Suſpicor uerba illa EGO ENIM TE IN CON-

SVL

SVLATV OBSERVARAM, *non eſſe Ciceronis, ſed repetita ab eo ex epiſtola Galli: quibus Gallus ipſe ſuam in Ciceronem obſeruantiam illi exprobraret, cum quereretur ſe tunc ingratè ab eo deſtitutum eſſe, cum ipſe ſemper in illum fuerit officioſiſsimus: ſolemus enim in ira, ea quæ acerbè in nos dicta ſunt, & animo noſtro ualde hæſerunt, cum ſtomacho ſæpius pronunciare, & etiam ea quæ perſpicue falſa ſunt, & leuiter poſſumus repellere, cum riſu repetere, quemadmodum hic (ut opinor) facit. Suſpicor autem ea potius Galli eſſe: nam nec Gallus Cos. fuerat, ut ea de illo à Cicerone dici poßint: nec ueriſimile eſt dicere Ciceronem ſe dum Conſul eſſet, Gallum obſeruaſſe. nec enim rectum eſt, nec decet ita loqui eum qui in tanta dignitate fuerit, priuatum ſe hominem obſeruaſſe, niſi pro (obſeruaram) (conſeruaram) legas. tunc enim pulchre conueniret, & poſſent omnia credi eſſe Ciceronis uerba. illius enim perſonæ optime congruunt, ut ipſe Cicero potius queratur de ingrato animo Galli: quod tamen præterquam quòd in cunctis manuſcriptis* OBSERVARAM *eſt, parum etiam procedit. nam ex inferioribus uerbis perſpicitur potius repetere Ciceronem quæ Fabius dixiſſet, cáque falſa oſtendere, quàm ipſe querelam inſtituere. Colligitur autem manifeſto pluribus modis initium feciſſe expoſtulandi Fabium: & ex fine epiſtolæ intelligimus, ſi diligenter uerba illa attendimus, Ciceronem huius opera uſum in patefacienda coniuratione. Quare poſſumus credere uere Fabium dixiſſe ſe illum in Conſulatu obſeruaſſe: nobis ſatis uiſum eſt (nec tamen non neceſſariò id factum uidetur in tanta ueri ignoratione) ſuſpiciones noſtras indicaſſe: rem ut inuenimus, ita incertam reliquimus. Paruum omnino eſt in quo Medicens codex ab impreßis diſcrepat:*

PLE

PLEBEI *enim paulò pòſt non* PLEBIS *habet, quod tamen nos hic adnotare uoluimus. Nam meminimus Priſcianum dicere ſic inueniri à recto plebes genitiuum caſum, qui adducit etiam locum hunc Salluſtij in primo hiſtoriarum, Plebei tribunitiam poteſtatem. quare potuit etiam Cicero uſurpaſſe.*

Quæ non ſolum ſuis erga me, ſed etiam) *In cunctis quos uidimus manu ſcriptis paulo antiquioribus codicibus locus hic, mancus decurtatúſque eſt. Nos tamen cum uulgata lectio commoda ſit, eam loco non mouimus, ſic autem legitur in illis:* QVÆ NON SOLVM SED ETIAM A MEIS ERGA SE BENEFICIIS, *&c. proculdubio cum deſyderio nonnullarum dictionum.* 195

Inter nos ſenes emptionales:) *Ipſi, Inter ſenes coemptionalis, ut penè eſt in antiquo ſcripſimus: ſcimus autem uariè hunc locum legi, ſed tamen confutare omnia non neceſſe eſt, neque etiam tantopere otio abundamus ut quæcunque cuiuis in mentem uenerint referre poßimus. Vetus ſanè codex* COMPTIONALIS, *unius tantùm defectu literæ. cum enim duæ uocales coniunguntur, ſæpe in hoc codice altera perit, ut* RELIQVIS *pro* RELIQVIIS, *& ſic multis alijs locis. Quæ autem ſint coemptiones, & qui coemptionales ſenes, uerba propria iuris, nunc penè obſoleta minutè pertractare animus non eſt: Ciceronis tantùm locum in oratione pro Murena ponemus, Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio ſenes ad coemptiones faciendas interimendorum ſacrorum cauſa reperti ſunt. Noſtrum potius conſilium eſt maculas, quas poſſumus delere, quàm uocabula (niſi neceſſe fuerit) interpretari: cum autem opus fuerit, dabimus operam, ut illa etiam pro infirmitate noſtri ingenij declaremus.* 196

Maxim

197 *Maximo meo beneficio affectus eſt :) Sic omnes uulgati codices habebāt: in antiquioribus dictio illa* AFFECTVS, *non eſt, quare eam deleuimus: repoſitam autem ab aliquo arbitramur, qui ſine ea ſententiam horum uerborum nō perciperet, quam eſſe hanc exiſtimamus, ut Maximo meo beneficio eſt, par ſit huic, Maximo meo beneficio uiuit, id eſt, Quod ſit, & uiuat, mihi debet. qui enim bis erat iudicio capitis defenſus, uitam conſeruatori ſuo debebat. Non negamus Latinè dici poſſe, affici beneficijs: ſcimus enim ab antiquis grammaticis obſeruatum eſſe dici hoc uerbum de bonis, & malis: huiúſque locutionis plura extare exempla, ſed illam lectionem concinniorem, ueriorémque iudicamus: nam & maiorem uim habet: qui enim ſalutem ab aliquo accepit, potius dicetur eſſe, & uiuere beneficio illius qui ſalutem dedit, quàm affectus eſſe beneficio illius. hoc enim nomen de minoribus commodis dici ſolet. Eandem quaſi uim habet (ut arbitramur) hoc uerbū in epiſtola ad Q. Fratrē lib.* III. *cum inquit, Cicero tuus, noſterque ſummo ſtudio eſt Pæonij ſui Rhetoris hominis opinor ualde exercitati, & boni.*

200 *Ne pluribus legerem tuas literas :) Hæc erat omnium impreſſorum, & antiquorum codicum lectio, parum tamen ſincera, ni fallor. Quidam auſi ſunt pro pluribus,* PER INVITVS *legere: quos non reprehendimus, quippe quos imitati ſimus: uulgata lectione offenſi, & nulla meliore excogitata, aut inuenta.*

EX LIBRO M. COELII AD CICERONEM, VIII.

Epiſtolas M. Cœlij exiſtimamus nos ſtudioſos animaduertiſſe quàm in uulgatis codicibus nos mendoſæ, & corruptæ eſſent: cum autem non eiuſdem integritatis in his uetu-

ſtum

ſtum codicem inuenerimus, quam in Ciceronis epiſtolis illum retinere uidimus, etſi multis partibus melior illis ſit: deſerti ea ope non potuimus ea ſanare uulnera quæ aperent. Quicquid tamen boni potuimus, fecimus, multa quæ trunca, & mutila credimus, nulla nota adpoſita reliquimus: nec enim unum, aut alterum locum ſignare uoluimus, reliquos nobis ſuſpectos tranſire, ne uideremur illos noſtro iudicio cõfirmaſſe, & approbaſſe. Quod ſi cunctis, quibus parum confidimus, locis ſignum adponere uoluiſſemus, infinitum fuiſſet, & quædam fortaſſe propter huius duriorem, & aſperiorem ſtylum immerito à nobis damnata eſſent, quæ recte ſe haberent. Fatemur igitur noluiſſe nos hoc periculum ſubire: eruditis ſuum in hoc iudicium relinquimus. noſtrum in re tam dubia & incerta non interponimus. Qui à melioribus codicibus adiuti maiorem operam hic nauare potuerint, magno nos ſibi beneficio obligabunt: ipſi de quibuſdam, & ijs quidem maioris momenti eorum quæ immutauimus, rationem, qua ducti id fecimus, adferemus

Q. Pompeium Baulis Schenobaticam facere.) Hunc lo- 202
cum alij alter caſtigarunt: ſuum autem quiſque iudicium ſecutus eſt, ſuóque arbitrio in hoc uſus, quod diuerſitas lectionum arguit. Quid enim adfine habet uox EPIBATICAM *cum uulgata, & recepta? nos ne una quidem litera à ueteribus exemplaribus mutata, Baulis embæneticam facere ſcripſimus, quam ueram eſſe lectionem cupimus & ab eruditis probari, & corroborari: eam autem potio rem duximus, quæ hic ſtaret propter uetuſtorum codicum autoritatem, in quibus paſſim inuenitur, & quia fortaſſe non incommodior ſenſus ex hac elicitur, quàm ex illis quas iuniores ſuo ingenio excogitarunt. cum tamen rarior ſit, &*

Græc

Græcum uerbum, niſi prius recipi à peritioribus audierimus: non firmiter id tenebimus, cum & alia ſignificet ἐμβαίνειν, non eſt dubium quin ſignificet etiam in nauim conſcendere, ut contra ἐκβαίνειν, de naui exire. ut apud Ariſtophanem in Ranis, ἔμβαινε ταχέος. Et paulò pòſt, ἔμβαινε δή in eadem commœdia, cum iubet de naui exire, ἔκβαινε ἀπόδος τὸ ναῦλον. Appellari igitur potuit ars embænetica eorum qui nauiculariam facerent, cum eſſet ipſorum hoc frequens, & familiare uerbum, dum crebro hortarentur in nauim aſcendere, iuberéntque feſtinare, qui aliquò uehi uolebant: quod ſordidum erat & uile miniſterium. unde dicit ſe miſereri eius eſuriei, qui eò deſcenderit, ut tam turpem quæſtum ſequeretur. Bauli autem, locus in littore Neapolitano, de quo Tacitus XIIII. *Dehinc obuius in litora (nam Antio aduentabat) excepit manu, & amplexu, ducitque Baulos, id uillæ nomen eſt, quæ promontorium Miſenum inter, & Baianum lacum flexo mari alluitur. Aliqui fortaſſe hanc ſua diligentia lectionem iuuabunt, aut meliorem inuenient. nos tantam illi fidem habuimus quia integram, & incorruptam in cunctis melioribus codicibus reperimus, quorum conſenſum magni facendum ſemper exiſtimauimus.*

203 *Ego incidi in competitorem nobilem & ignobilem egentem.)* Nos *ueterem, & ſinceriorem, ut putamus, lectionem reſtituimus: is enim nobilem agit, qui cum non ſit, uideri uult nobilis. Agere enim aliquem, eſt perſonam illam imitari, & effingere.*

204 *Lentuli Suræ repulſi uultum non uidiſſe:) Sic omnes impreßi codices. Antiqui quos uidimus,* CRVRIS. *Puto cum Cœlius ſciret Lentulum illum, qui Catilinæ coniurationis ſocius ſupplicio affectus eſt, Suram eſſe uocatum. cuius cognominis originem, & cauſam Plutarch. in Ciceronis*

ronis uita explicat, Lentulum alium ut ad huius cognomen alluderet, iocoſe Crurem appellaſſe, quem irridere uellet, ut omnes eius familiæ ab ea corporis parte cognomen acciperent. ſed hæc coniectura eſt: uox certe illa CRVRIS cum in antiquis exemplaribus ſit, non debuit à nobis relinqui, & negligi. de re tam parua cum alibi nulla mentio fiat, relinquitur unicuique liberum ſuum iudicium. Quòd autem nonnulli SPINTERIS legunt, nouum eſt, & ut omnes nunc uident, longe ab antiquorum codicum fide. quare melius operam poni credimus in uetere lectione confirmãda.

Senatus dicto audientes eſſe:) Antiqua exemplaria Senatui dandi caſu habent, quemadmodum etiam illum locum in huius item epiſtola, Vtrum C. Cæſar ſenatui dicto audiens futurus non eſſet, an pararet, qui Senatum decernere non paterentur. M. item Varro ſic loquitur de re ruſtica, Facilius enim his quàm minoribus natu, dicto ſunt audientes. Cicero in VII. Philippica, Scilicet legatos ad eũ miſimus, non ut pareret, & dicto audiens eſſet huic ordini, ſed ut conditiones ferret. 206

Sanè tãquam ui quadam in Cilicia omnia adhæſerunt:) Nos hunc locum ualde corruptum inuenimus in antiquis exemplaribus: uulgati etiã codices diuerſas inter ſe, & parum firmas lectiones habent: eam igitur ſumus ſecuti, quam probabiliorem duximus, etſi nulli ſatis confidimus. cum tamen neceſſe eſſet unam aliquam ex illis omnino capere (nec enim meliorẽ ipſi aut inuenimus, aut excogitauimus) minus deprauatam (ni fallor) elegimus. Sic autem habent antiquiores codices, SANE TANQVAM IN QVODAM IN CILICIA OMNIA ADHESERVNT. Quæ profecto uerba non parum peruerſa, & inquinata ſunt. Nos ea hîc poſuimus, ut omnes hunc locum 207

ſuſpectum habeant, & ut ingenioſiores uideant attente, poſſintne meliorem ex his ueſtigijs lectionem elicere, aut comminiſci.

208 Et Hercules confecta omnia fœda, & inhoneſta ſunt:) *Nos hunc locum in melioribus etiam exemplaribus miſerabiliter lacerum inuenimus. Quia tamen uarijs modis legitur, quod ferè ſemper accidit cum ueritas ex uetuſtiſſimis libris accipi non poteſt, cui omnes libenter acquieſcant: nos hîc antiquam ſcripturã apponemus, etſi peruerſam & corruptam, ut poſſit, qui uoluerit experiri an commodiorem ullam lectionem ex ea exprimere queat, ſimúlque uidere quæ circunferuntur diuerſæ huius loci lectiones quàm pudenter, quámque fideliter ex antiquis ferè uetuſtate deletis ueſtigijs deductæ ſint. eſt autem hæc,* ET HERCVLES CONSAEPTA OMNIA FODERA ET INHONESTA SVNT. *Quidam legunt* CONSCRIPTA OMNIA FOEDERA, *alij* CONSILIA OMNIA, *ut nihil incertius ſit.*

209 Metus aliqui perturbent:) *Vetus codex perturbet ſingulari numero: frequenter autem in uetuſtis codicibus* ALIQVI *pro aliquis inuenitur, ut in fine huius ipſius epiſtolæ, Cum qua ſit aliqui deprehenſus. Et in principio epiſtolæ ad Marium, Si te dolor aliqui corporis.*

209 C. Sempronium Rufum, &c.) *In melioribus codicibus repetitum eſt nomen illud* RVFVM *omnino eleganter, non librariorum uitio, ut putarunt, qui bis uocem illam deſcribere neglexerunt.*

210 Siquid iniurijs ſuis eſſet quo Neſtorius teneretur:) *Poſſum & hîc uetuſtam ſcripturam proferre, ſiquid ex ea commodi elici poſſit. Locus certe uarijs & inter ſe diuerſis modis legitur: quas tam incertas lectiones quiuis uidere poterit*

rit,& etiam alias excogitare.nos in tantis tenebris,cum
nihil lucis adferre queamus,uetere ſcriptura propoſita,ad
alia tranſibimus. SI QVOD INIVRIIS SVIS
ESSET, VT VESTORIVS TENERET.

Et ad extremum ut ſolent,&c.) Sic omnes antiqui & 210
noui codices,uno excepto nuper Venetijs impreſſo,habet
enim ille VT SOLET AIT REFERAM: *etſi*
poſtea ijdem, qui librum ipſum excudêre inter uarietates
exemplarium,quas ad finē libri adpoſuerunt,negatiua par-
ticula addita NON REFERAM *corrigunt: de qua*
lectione quid ſtatuendum ſit,alij uiderint. Ego ſanè parum
illi confido:nam cum tantopere ab antiquis ueſtigijs rece-
dat,exiſtimo quempiam cōiectura ductum ſic perturbatum
& deminutum locum ſupplere uoluiſſe.

De uircus à quodam ſuo emiſſario eſt factus:)Eſt certe 211
miſerum uidere quot uulneribus confectus ſit hic M. *Cœlij*
liber,cum præſertim ea ſint quæ uix,aut ne uix quidem ſa-
nari queant:nos quod tutius remedium uiſum eſt,ubi nullā
meliorem opem adferre poſſumus,ueterem plagam nuda-
mus:feliciorique medico tam deſperatum ægrotum libenter
tradimus.Vetuſti igitur codices A QVODAM SVO
RVSTETIO FACTVS. *ſignificat autem nota quæ-*
dam in illis huic loco adpoſita deprauatū eum eſſe.quidam
ex his reliquijs legunt, A QVODAM SVO EMIS-
SARIO TVTIO EST FACTVS *Nos nec damna*
mus,nec probamus:unuſquiſque rem ante oculos ſibi poſi-
tam attente,accuratéque animaduertat,& ſecum quid agen-
dum ſit deliberet,ſi modo rem dignam in quam tantus labor
inſumatur,iudicarit.

Agit cauſam liberaliter:) Vetuſti codices LIBERA- 214
LIS *pro liberaliter.Si igitur liberalis accuſandi caſu in-*

telligas, cauſas legere oportebit, ut numeros copules, uel contra facere. non eſt autem contemnenda hæc lectio: quæ eſſent cauſæ liberales notiſſimum eſt. cic. *etiā pro* Flacco, *Atque huic eidem nuper tres equites* R. *honeſti, & graues cum in cauſa liberali eum qui aſſerebatur, cognatum ſuum eſſe diceret, non crediderunt.*

215 *Agros quos fructuarios habent ciuitates:) In uetuſtis codicibus legitur* HABET, *quod ſuſpicionem mihi auget: nam de mendo ob alias etiam cauſas ualde timeo. Quidam legunt* CYBIRATE. *quod diligentius conſiderandū eſt. Eſt autem in* VI. *ad Atti. locus huic ualde ſimilis & affinis, de quo non minus male exiſtimo, Nam Cœlius libertum ad me miſit & literas accuratè ſcriptas, & de pantheris: ſed à ciuitatibus reſcripſi, &c.* Videtur *enim & illic nonnihil ineſſe mendi. tota res accuratius animaduertenda: nihil adhuc certi habeo quod aſſeram.*

217 *Sed cum de hoſtibus ageretur, & poſſet rem impedire:)* Nos, DE HOSTIIS *ſcripſimus cū uetuſtis codicibus. Quamuis autem ratio ipſa, & priſcorum exemplariorum autoritas ſic legendum eſſe perſuadeant, non tamen (ut uerum fateamur) morem hunc numerandi hoſtias penitus cognitum habemus, nec tamen ob id ſinceram (ut putamus) lectionem contempſimus: nam quandoque ſperamus inueniri poſſe hanc conſuetudinem numerandi hoſtias: apud* Græcos *maxime* Romanarum *hiſtoriarum autores, qui cum externis gentibus ſcriberent, quæ* Romanos *ritus ignorabant, diligentius, minutiúſque hæc pertractarunt, quæ* Latini *ſcriptores ut paſſim, uulgóque nota præteribant. Eſt autem idem error, cum de eadem re ageret, in epiſtola ad* Q. *Fratrem,* Interim *ipſo decimo die, quo ipſum oportebat hoſtiarum numerum, & militum renunciare, &c.*

Sic

Sic enim etiam eo loco habent antiquiores codices,non hoſtium). Quomodo enim poterat hoſtiū numerum qui triumphum poſtulabat,renunciare,qui aut diſsipati & deleti eſſent,aut ſi manerent,ferè in remotiſsimus regionibus uerſarentur? Quòd ſi de cæſis intelligas,oportebat enim definitum quendam numerum uno prælio cecidiſſe:cū multò antè interfecti eſſent,quomodo tunc poterant numerari?aut quis rem quæ nō præſens ſit,& adſit,numerat? Multa ſunt, ne omnia recenſeamus,quæ lectionem illam uulgatā coarguunt:eſt enim omnino inepta,& noua:ſed potius operam demus ut morem hunc,& ritum hoſtiarum numerum renunciandi in poſtulatione triumphi inueſtigemus:tūc enim nihil ſcrupuli reſtabit. Non recte autem facere mihi uidentur, qui ea quæ non aſſequuntur ſuo ingenio,ſtatim delent: exiſtimare enim debent eſſe alios peritiores,& diligentiores:multáque præterea, quæ abdita adhuc ſunt,cum noui cotidie Græci maxime autores è tenebris eruantur,in lucem propediem eſſe proditura.

Vix hoc erat prælocutus) *Antiquiſsimus ille Mediceus* 219 *codex* POLAE LOCVTVS *habet:nos nihil addimus, ueterem ſcripturam tantum ſignaſſe uoluimus. Quare deliberent alij quomodo legendū ſit. Paulo autē ſuprà idem codex* SCANDVIT *habet pro* EXCANDVIT. *quod ſi compoſitum uerbum in uſu eſt,non eſt mirandum quandoque ſimplex,etſi rarius inueniatur à Cœlio præſertim, uſurpatum fuiſſe.*

Lomentum,aut uitrum:) *Veteres codices omnino melius* 222 NITRVM: *nec enim uitrum res eſt uilis,& nullius pretij,ut ferè nitrum,quo nonnullæ gentes pro ſale utebantur in condiendis,conſeruandíſque obſonijs, uiriditatem etiam braſsicæ nitro reddebant. Mart. Ne tibi pallentes moueant*

faſtidia caules, Nitrata uiridis braßica fiet aqua.

223 *Vellem quidem uerna propugnaturus:) Sic in omnibus uulgatis. Antiquiores codices multò melius, etſi ne illi quidem penitus purgati: ſic enim habent,* VENEREM PROPVGNATVS. *Nos emendauimus* VENERE PROGNATVS, *ut Cæſarem intelligat, quem ſuæ ſtirpis originem à Venere duxiſſe omnibus notum eſt, ut ipſe etiã in laudatione amitæ apud Suetonium docet. Amitæ meæ Iuliæ maternum genus à Regibus ortum, paternum cũ dijs immortalibus coniunctum eſt: nam ab Anco Martio ſunt Martij Reges, quo nomine fuit Mater, à Venere Iulij, cuius generis familia eſt noſtra. Appianus lib.* VII. τῶν ἐμφυλίων θυόμενός τε νυκτὸς μέσης τὸν ἄρη κατεκάλει, καὶ τὴν ἑαυτοῦ πρόγονον ἀφροδίτην, ἐκ γὰρ αἰνείου καὶ ἰούλου τοῦ αἰνείου τὸ τῶν ἰουλίων γένος παρενεχθέντος τοῦ ὀνόματος ἡγεῖτο νεών τε αὐτῇ νικηφόρῳ χαριστήριον ἐν ῥώμῃ ποιήσειν εὔχετο κατορθώσας. *Dion etiam lib.* XLIIII. *hiſtoriarum,* ταῦτά τε οὖν καὶ τὸν νεὼν τὸν τῆς ἀφροδίτης ὡς καὶ ἀρχηγέτιδος τοῦ γένους αὐτοῦ οὔσης ποιήσας καθιέρωσεν εὐθὺς τότε καὶ πολλοὺς ἐπ' αὐτοῖς καὶ παντοδαποὺς ἀγῶνας ἔθηκε. *Hanc autem ſententiam eſſe puto & uim horum omnium uerborum, Poſtquam, inquit, tam ubicunq; moleſti ſunt Domitij, uellem Cæſar fortius ſe in ueſtrum Domitiũ geßiſſet, nec dubitaſſet facere diuina ſtirpe oriundus, quod Bellienus uerna auſus eſt facere in ſuo Domitio: acerbißimas autem gerebat inimicitias M. Cœlius cum L. Domitio, quem Corfinij captum Cæſar dimiſerat (ne mirum alicui uideatur eum aduerſus Domitium tam male animatum fuiſſe) quod prius quarta ab hac epiſtola docuit, Cum L. Domitio (ut nunc eſt) mihi inimicißimo homine. Quare offenſus eſt clementia Cæſaris: quantum poteſt autem,*

oſtendit

oſtendit rectius & honeſtius Cæſarem potuiſſe facere, quod uerna commiſerat, illius ſtirpem extollendo, huius contrà eleuando, dum catenatum uernam (quæ peßima eſt ſeruorum conditio) appellat: Cæſarem autem Venere prognatum.

Iratus Senatui exilit:) Sic uulgati codices, & antiqui 223
etiam. Nos tamē ſcripſimus EXIIT. Hæc enim ipſa Cœlij epiſtola eſt etiam lib. x. ad Atticum: quo loco, etſi impreßi EXISTIT habent, EXIIT tamen retinet noſter ille probatior, & rectè quidē, ut nos putamus. loquitur enim de Cæſare, qui Roma exijt Senatui iratus, quòd ea quæ uolebat, ab eo impetrare non potuerit: proficiſcebatur autem in Hiſpaniam. Exire & alibi poſitum eſt abſolutè, ut x. ad Atticum, Exeamus modo. de ſe loquitur Cicero, id eſt, ex Italia diſcedamus. Eſt autem in omnibus codicibus quibuſdā locis aliquantulum ſuſpecta hæc epiſtola. Nam quod infrà in uulgatis legitur PARVM OPTIMATEM ESSE, in antiquis eſt PARVM ADOPTATIM ESSE. Quod etſi non probo (peruerſum enim & inquinatum omnino eſt) nonnihil ſcrupuli tamen relinquit, non eſſe quam habemus genuinam lectionem, & fortaſſe aliter legendum locum illum eſſe.

Ac ſimulatque hanc mihi dixit:) Nos antiquam lectio- 224
nem reſtituimus HAVE. Hunc autem ſenſum huius loci credimus eſſe, Simulátque Cæſar me ſalutauit, primis ſtatim uerbis mihi narrauit quæ de te audiſſet. audierat autem Cæſar Ciceronē parare ſugam, uelléque omnino ex Italia diſcedere. Quòd ſi HANC legas, nonnullum inde commodum ſenſum elicere poteris. Siquis autem HAVE, quia aſpiratè ſcriptum eſt, ſuſpectum habet, is omnino infrequens eſt in antiquorum librorum, & lapidum obſeruatione, in quibus

paſsim ſic ſcribitur. Eſt pulcherrimis literis ita ſcriptus lapis Piſis: PARTHENI HAVE. BENE BALEAS QVI ME SALVTAS CVM SOSSIA FILIA MEA. *Item plurimi* Romæ *ſic leguntur: raro autem admodum aliter.* Harum *autem inſcriptionum cũ exempla quædã ab eo petijſſem, quo poſſem hanc ſcripturã nunc abolitam confirmare, magnam copiam mihi* Roma *miſit Marcellus Ceruinus iuuenis omni laude dignus propter ſummam omnium ingenuarum artium eruditionẽ, & candidiſsimorum morum integritatem.* Nonnulla *igitur ex ijs, quæ illi debeo, exemplis adferam,* MACEDO HAVE. BENE VALEAS QVISQVIS ES. FECER. C. MODESTIVS MACEDO PATRI PIISSIMO ET FORTVNATA CONIVX. CVRANTE RVFINO COLLIBERTO. *Item,* IPHIGENIA SVAVIS HAVE. VIX. MENSIB. OCTO. *Item,* HAVE HYGIA ANIMA DVLCISSIMA EIDIAE SECVRISSIMAE QVAE VIX. ANN. XVI. SIT TIBI TERRA LEVIS. *Item* Hoſtiæ *hãc inſcriptionem eſſe idem mihi affirmauit,* IVLIAE SP. F. THAIDI: HAVE THAIS: DII TIBI BENE FACIANT. *& aliam etiã ibidem, quam, ne in re tot iam teſtimonijs clara, longiores ſimus, præteribimus: nec nõ Arimini plures eandem orthographiã ſeruantes.* Nihil *igitur dubitandum quin hæc uera ſit lectio. Cum autẽ in pluribus peruetcribus codicibus hanc epiſtolam legerimus (quippe quæ ſit etiam inter ad* Atticum) *omnes concordes ſunt in hac lectione.*

225 *Iracundia timore ablatam:)* Nos IRACVNDIA, ET AMORE, *ut eſt in antiquis, legimus: etſi nõ ignoramus eloquentiſsimum iuuenem Chriſto.* Longolium *(tu-*

more

more ablatam) hinc, ut opinor, acceptum in ſuas elegantiſſimas epiſtolas tranſtuliſſe. Queritur Cœlius ſe parum felicem in hac re fuiſſe: partes enim Pompeij fugiſſe, ne cum inimiciſsimo eſſe cogeretur (illic enim erat Appius) Cæſariſque ſecutum, illectum amicitia Curionis. Iracundia igitur, & inimicitiæ cum Appio à Pompeij caſtris Cœlium retraxerunt, amor & familiaritas Curionis in Cæſaris amicitiam deduxerunt. Nos quod potuimus *præſtitimus in his* Cœlij *epiſtolis: multa præterijſſe fatemur.* Qui *meliorem codicem nacti fuerint, quæ reſtant non pauca uulnera ſanare facilius poterunt. Alius mihi uiſus eſt in hoc libro, quàm in cæteræ* Mediceus *codex: nos ab eo deſtituti, quantum cupiebamus facere non potuimus: non enim diuinare noſtrum conſilium eſt. Illa autem uerba in fine huius epiſtolæ* INRITAVI IN ME CATONEM *aliter leguntur in illis, ſed adeo confuſe, & inquinate, ut pigeat meminiſſe. nam quòd nonnulli* INRITAVI IN ME CRABRONES, *uel* IN ME CÆSAREM *legunt, ſunt longè à ueteribus ueſtigijs: & uereor ne quanto magis corrigere uolunt, tanto magis contaminent. iaceant igitur hi loci, donec ex melioribus codicibus uera lectio eluceſcat.*

AD M. VARRONEM. IX.

Q*uas* Atticus *à te miſſas mihi legit*) Q*uidam pro* A TE, AD SE *legunt.* Antiquus *codex* AD TE *corruptè: & ex quo utraque lectio, ſi aliquantulum eam adiuues, confirmari poteſt.* Ego *non aſpernor* AD SE. Q*uin enim* Varronis *eſſent literæ, ex ijs quæ ſubiungit dubium eſſe non poteſt: conſuetudo autem eſt dicere ad quem literæ miſſæ ſint.* Extrema *quoque dictio huius epiſtolæ in impreſsis etiam anceps eſt, &* VIDEATVR *enim &* DIIV- 225

DICETVR *legitur, quod ortum eſt ab incerta uetere ſcriptura in antiquiſſimis enim* DIVIDETVR *eo loco legitur, Quæ uox cum aliquantum peruerſa ſit, quidam duabus literis interiectis (dijudicetur) reſtituunt. Sepe enim aliqua ſyllaba truncatæ, & diminutæ aliquæ dictiones repeliuntur incuria librariorum. Alij meliùs legi credunt* VIDEATVR. *Nos priorem opinionem ſecuti ſumus, quia non nimis ab antiqua lectione diſcedit.*

226 *Adire te placebit:) Alij emendarunt* ADESSE TIBI PLACEBIT, *locum explanare cupientes: nos ueterem ſcripturam (ut arbitror) ſinceram & incontaminatam repoſuimus* AD TE, *id eſt, apud te, & in tua uilla. habuit enim & M. Varro uillam in Cumano, quod ex proœmio Academicorum ad ipſum miſſorum colligitur.*

226 *Caninius idem tuus, & idem noſter.) Nulli antiqui codices habent* TVVS: *quare nos quoque prætermiſimus, elegantius ſine ea uoce locum & legi, & intelligi putantes. Nam quod paulò pòſt, pro* NVPER VESPERI, PER VESPERI *ſcripſimus, uetuſtorum id quoque exemplarium autoritati tribuimus. Auget autem* PER, *ut ſero admodum dicat eum ueniſſe, & cum ſe mane poſtridie dixiſſet proficiſci uelle, docet ſe uix tempus habuiſſe ad ſcribendam epiſtolam.*

227 *A quibus antea delectationem, modo ſolatium petebamus &c.) Sic antè in cunctis uulgatis legebatur. Miror olim qui ab antiquis codicibus deſcripſerunt, apertum, elegantémque admodum locum non intellexiſſe, & maluiſſe nonnullis additis dictionibus ſententiam totam contaminare & labefactare, quàm planam & genuinam ſequi. Noſtram lectionem tam lucidam eſſe arbitramur, ut nihil eam opus ſit amplius confirmare. Illi tres uoces inculcauerant,*

punct

puncta ſuo loco mouerant, & ubi minime conueniebat, collocarant, ordinem duarum dictionum mutauerant, adeóque totum hunc locum corruperant, ut ægrè ferendum ſit, tantam eſſe imperitorum audaciam quæ omnia perturbet & euertat. nam quàm frigida ſit ſententia quam ex illis uerbis eliciebant, uix dici poteſt: optima eruditorum ingenia facile cognoſcent. Nos hic nullum alium laborem ſuſtinuimus, niſi dum accurate unius tantum literæ peruerſio in antiquo codice cogitamus quo modo corrigenda ſit: inſederat autem quicquid erat uitij in hoc uocabulo POTIVS, PATIVS *enim in Mediceo, & in melioribus legebatur: atque hoc eo libentius admonere placuit, ut uideant eruditi lectores tam parua peruerſio in antiquis codicibus quàm magnos errores pariat. Nacti enim eam occaſionem ſiniſtri quidam correctores, dum paruam maculam delere uolunt, totas ſententias lacerant, & diuellunt. Per ea autem uerba,* ET POTIVS LIBENTER ACCVRRERE, *quaſi reprehendit ſeipſum, & quaſi caſtigat ſegnitiem uerborum ſuperiorum* NON DEESSE SI QVIS, *& cætera. dicit enim non eſſe expectandum dum uocentur, immo ſi paruam aliquam inclinationem Cæſaris ad meliorem ciuitatis ſtatum conſtituendum uiderint, debere ultro ſe offerre, & libenter accurrere. Qui autem uulgatam lectionem ſequebantur, illud* MODO *pro (nunc) poſitum credebant, ut illi aduerbio* ANTE *reſponderet: nos pro (tantummodo) intelligimus. Eſt autem eadem ſententia iiſdem penè uerbis pronuntiata in extrema epiſtola ad Ampium, Sed eſt unum perfugium doctrina, ac literæ quibus ſemper uſi ſumus, quæ ſecundis rebus delectationem modo habere uidebantur, nunc uerò etiam ſalutem. Sed ut hæc certa, & firma putamus, ſic locum paulo in-*

fra

197 *Maximo meo beneficio affectus eſt* :) *Sic omnes uulgati codices habebãt: in antiquioribus dictio illa* AFFECTVS, *non eſt, quare eam deleuimus: repoſitam autem ab aliquo arbitramur, qui ſine ea ſententiam horum uerborum nõ perciperet, quam eſſe hanc exiſtimamus, ut Maximo meo beneficio eſt, par ſit huic, Maximo meo beneficio uiuit, id eſt, Quod ſit, & uiuat, mihi debet. qui enim bis erat iudicio capitis defenſus, uitam conſeruatori ſuo debebat. Non negamus Latinè dici poſſe, affici beneficijs: ſcimus enim ab antiquis grammaticis obſeruatum eſſe dici hoc uerbum de bonis, & malis: huiúſque locutionis plura extare exempla, ſed illam lectionem concinniorem, ueriorémque iudicamus: nam & maiorem uim habet: qui enim ſalutem ab aliquo accepit, potius dicetur eſſe, & uiuere beneficio illius qui ſalutem dedit, quàm affectus eſſe beneficio illius. hoc enim nomen de minoribus commodis dici ſolet. Eandem quaſi uim habet (ut arbitramur) hoc uerbũ in epiſtola ad Q. Fratrẽ lib.* III. *cum inquit, Cicero tuus, noſterque ſummo ſtudio eſt Pæonij ſui Rhetoris hominis opinor ualde exercitati, & boni.*

200 *Ne pluribus legerem tuas literas* :) *Hæc erat omnium impreſſorum, & antiquorum codicum lectio, parum tamen ſincera, ni fallor. Quidam auſi ſunt pro pluribus,* PERINVITVS *legere: quos non reprehendimus, quippe quos imitati ſimus: uulgata lectione offenſi, & nulla meliore excogitata, aut inuenta.*

EX LIBRO M. COELII AD CICERONEM, VIII.

Epiſtolas M. Cœlij exiſtimamus nos ſtudioſos animaduertiſſe quàm in uulgatis codicibus nos mendoſæ, & corruptæ eſſent: cum autem non eiuſdem integritatis in his uetu-

ſtum

ſtum codicem inuenerimus, quam in Ciceronis epiſtolis illum retinere uidimus, etſi multis partibus melior illis ſit: deſerti ea ope non potuimus ea ſanare uulnera quæ aparent. Quicquid tamen boni potuimus, fecimus, multa quæ trunca, & mutila credimus, nulla nota adpoſita reliquimus: nec enim unum, aut alterum locum ſignare uoluimus, reliquos nobis ſuſpectos tranſire, ne uideremur illos noſtro iudicio cõfirmaſſe, & approbaſſe. Quod ſi cunctis, quibus parum confidimus, locis ſignum adponere uoluiſſemus, infinitum fuiſſet, & quædam fortaſſe propter huius duriorem, & aſperiorem ſtylum immerito à nobis damnata eſſent, quæ recte ſe haberent. Fatemur igitur noluiſſe nos hoc periculum ſubire: eruditis ſuum in hoc iudicium relinquimus. noſtrum in re tam dubia & incerta non interponimus. Qui à melioribus codicibus adiuti maiorem operam hic nauare potuerint, magno nos ſibi beneficio obligabunt: ipſi de quibuſdam, & ijs quidem maioris momenti eorum quæ immutauimus, rationem, qua ducti id fecimus, adferemus

Q. Pompeium Baulis Schenobaticam facere.) Hunc locum alij alter caſtigarunt: ſuum autem quiſque iudicium ſecutus eſt, ſuóque arbitrio in hoc uſus, quod diuerſitas lectionum arguit. Quid enim adfine habet uox EPIBATICAM *cum uulgata, & recepta? nos ne una quidem litera à ueteribus exemplaribus mutata, Baulis embæneticam facere ſcripſimus, quam ueram eſſe lectionem cupimus & ab eruditis probari, & corroborari: eam autem potiorem duximus, quæ hic ſtaret propter uetuſtorum codicum autoritatem, in quibus paßim inuenitur, & quia fortaſſe non incommodior ſenſus ex hac elicitur, quàm ex illis quas iuniores ſuo ingenio excogitarunt, cum tamen rarior ſit, &* 202

Græc

Græcum uerbum, niſi prius recipi à peritioribus audieri=mus: non firmiter id tenebimus, cum & alia ſignificet ἐμβαί-νειν, non eſt dubium quin ſignificet etiam in nauim conſcen-dere, ut contra ἐκβαίνειν, de naui exire. ut apud Ariſtopha=nem in Ranis, ἔμβαινε ταχέως. Et paulò pòſt, ἔμβαινε δὲ in eadem commœdia, cum iubet de naui exire, ἔκβαινε ἀπό=δος τὸ ναῦλον. Appellari igitur potuit ars embænetica eo=rum qui nauiculariam facerent, cum eſſet ipſorum hoc fre-quens, & familiare uerbum, dum crebro hortarentur in na=uim aſcendere, iuberéntque feſtinare, qui aliquò uehi uole=bant: quod ſordidum erat & uile miniſterium. unde dicit ſe miſereri eius eſuriei, qui eò deſcenderit, ut tam turpem quæ=ſtum ſequeretur. Bauli autem, locus in littore Neapolitano, de quo Tacitus XIIII. Dehinc obuius in litora (nam An-tio aduentabat) excepit manu, & amplexu, ducitque Bau=los, id uillæ nomen eſt, quæ promontorium Miſenum inter, & Baianum lacum flexo mari alluitur. Aliqui fortaſſe hanc ſua diligentia lectionem iuuabunt, aut meliorem inue nient. nos tantam illi fidem habuimus quia integram, & in-corruptam in cunctis melioribus codicibus reperimus, quo=rum conſenſum magni facendum ſemper exiſtimauimus.

203 Ego incidi in competitorem nobilem & ignobilem egen tem.) Nos ueterem, & ſinceriorem, ut putamus, lectionem reſtituimus: is enim nobilem agit, qui cum non ſit, uideri uult nobilis. Agere enim aliquem, eſt perſonam illam imi=tari, & effingere.

204 Lentuli Suræ repulſi uultum non uidiſſe:) Sic omnes impreſſi codices. Antiqui quos uidimus, CRVRIS. Puto cum Cœlius ſciret Lentulum illum, qui Catilinæ coniu=rationis ſocius ſupplicio affectus eſt, Suram eſſe uocatum. cuius cognominis originem, & cauſam Plutarch. in Cicero-

ronis

ronis uita explicat, Lentulum alium ut ad huius cognomen alluderet, iocoſe Crurem appellaſſe, quem irridere uellet, ut omnes eius familiæ ab ea corporis parte cognomen accipe= rent. ſed hæc coniectura eſt: uox certe illa CRVRIS *cum in antiquis exemplaribus ſit, non debuit à nobis relinqui, & negligi. de re tam parua cum alibi nulla mentio fiat, re= linquitur unicuique liberum ſuum iudicium. Quòd autem nonnulli* SPINTERIS *legunt, nouum eſt, & ut omnes nunc uident, longe ab antiquorum codicum fide. quare me= lius operam poni credimus in uetere lectione confirmãda.*

Senatus dicto audientes eſſe:) Antiqua exemplaria Se= natui dandi caſu habent, quemadmodum etiam illum locum in huius item epiſtola, Vtrum C. Cæſar ſenatui dicto au= diens futurus non eſſet, an pararet, qui Senatum decernere non paterentur. M. item Varro ſic loquitur de re ruſtica, Facilius enim his quàm minoribus natu, dicto ſunt audien= tes. Cicero in VII. *Philippica, Scilicet legatos ad eũ miſi= mus, non ut pareret, & dicto audiens eſſet huic ordini, ſed ut conditiones ferret.* 206

Sanè tãquam ui quadam in Cilicia omnia adhæſerunt:) Nos hunc locum ualde corruptum inuenimus in antiquis exemplaribus: uulgati etiã codices diuerſas inter ſe, & pa= rum firmas lectiones habent: eam igitur ſumus ſecuti, quam probabiliorem duximus, etſi nulli ſatis confidimus. cum ta= men neceſſe eſſet unam aliquam ex illis omnino capere (nec enim meliorẽ ipſi aut inuenimus, aut excogitauimus) minus deprauatam (ni fallor) elegimus. Sic autem habent antiquio= res codices, SANE TANQVAM IN QVO= DAM IN CILICIA OMNIA ADHESE= RVNT. *Quæ profecto uerba non parum peruerſa, & in= quinata ſunt. Nos ea hìc poſuimus, ut omnes hunc locum* 207

ſuſpectum habeant, & ut ingenioſiores uideant attente, poſſintne meliorem ex his ueſtigijs lectionem elicere, aut comminiſci.

208 Et Hercules *confecta omnia fœda, & inhoneſta ſunt:) Nos hunc locum in melioribus etiam exemplaribus miſerabiliter lacerum inuenimus. Quia tamen uarijs modis legitur, quod ferè ſemper accidit cum ueritas ex uetuſtißimis libris accipi non poteſt, cui omnes libenter acquieſcant: nos hìc antiquam ſcripturā apponemus, etſi peruerſam & corruptam, ut poßit, qui uoluerit experiri an commodiorem ullam lectionem ex ea exprimere queat, ſimúlque uidere quæ circunferuntur diuerſæ huius loci lectiones quàm pudenter, quámque fideliter ex antiquis ferè uetuſtate deletis ueſtigijs deductæ ſint. eſt autem hæc,* ET HERCVLES CONSAEPTA OMNIA FODERA ET INHONESTA SVNT. *Quidam legunt* CONSCRIPTA OMNIA FOEDERA, *alij* CONSILIA OMNIA, *ut nihil incertius ſit.*

209 *Metus aliqui perturbent:) Vetus codex perturbet ſingulari numero: frequenter autem in uetuſtis codicibus* ALIQVI *pro aliquis inuenitur, ut in fine huius ipſius epiſtolæ, Cum qua ſit aliqui deprehenſus. Et in principio epiſtolæ ad Marium, Si te dolor aliqui corporis.*

209 *C. Sempronium Rufum, &c.) In melioribus codicibus repetitum eſt nomen illud* RVFVM *omnino eleganter, non librariorum uitio, ut putarunt, qui bis uocem illam deſcribere neglexerunt.*

210 *Siquid iniurijs ſuis eſſet quo Neſtorius teneretur:) Poſſum & hìc uetuſtam ſcripturam proferre, ſiquid ex ea commodi elici poßit. Locus certe uarijs & inter ſe diuerſis modis legitur: quas tam incertas lectiones quiuis uidere poterit*

rit,& etiam alias excogitare.nos in tantis tenebris,cum nihil lucis adferre queamus,uetere ſcriptura propoſita,ad alia tranſibimus. SI QVOD INIVRIIS SVIS ESSET, VT VESTORIVS TENERET.

Et ad extremum ut ſolent,&c.) Sic omnes antiqui & 210
noui codices,uno excepto nuper Venetijs impreſſo,habet enim ille VT SOLET AIT REFERAM: *etſi poſtea ijdem, qui librum ipſum excudêre inter uarietates exemplarium,quas ad finẽ libri adpoſuerunt,negatiua particula addita* NON REFERAM *corrigunt: de qua lectione quid ſtatuendum ſit,alij uiderint. Ego ſanè parum illi confido:nam cum tantopere ab antiquis ueſtigijs recedat,exiſtimo quempiam cõiectura ductum ſic perturbatum & deminutum locum ſupplere uoluiſſe.*

De uireus à quodam ſuo emiſſario eſt factus:) Eſt certe 212
miſerum uidere quot uulneribus confectus ſit hic M. *Cœlij liber,cum præſertim ea ſint quæ uix,aut ne uix quidem ſanari queant:nos quod tutius remedium uiſum eſt,ubi nullã meliorem opem adferre poſſumus,ueterem plagam nudamus:feliciorique medico tam deſperatum ægrotum libenter tradimus.Vetuſti igitur codices* A QVODAM SVO RVSTETIO FACTVS. *ſignificat autem nota quædam in illis huic loco adpoſita deprauatũ eum eſſe.quidam ex his reliquijs legunt,* A QVODAM SVO EMISSARIO TVTIO EST FACTVS *Nos nec damnamus,nec probamus:unuſquiſque rem ante oculos ſibi poſitam attente,accuratéque animaduertat,& ſecum quid agendum ſit deliberet,ſi modo rem dignam in quam tantus labor inſumatur,iudicarit.*

Agit cauſam liberaliter:) Vetuſti codices LIBERA- 214
LIS *pro liberaliter.Si igitur liberalis accuſandi caſu in-*

*telligas,cauſas legere oportebit,ut numeros copules,uel cōtra facere.non eſt autem contemnenda hæc lectio:quæ eſſent cauſæ liberales notiſsimum eſt.*cic.*etiā pro* Flacco,Atque *huic eidem nuper tres equites* R.*honeſti,& graues cum in cauſa liberali eum qui aſſerebatur,cognatum ſuum eſſe diceret,non crediderunt.*

215 Agros quos *fructuarios habent ciuitates:)* In *uetuſtis codicibus legitur* HABET, *quod ſuſpicionem mihi auget: nam de mendo ob alias etiam cauſas ualde timeo.* Quidam *legunt* CYBIRATE. *quod diligentius conſiderandū eſt.* Eſt *autem in* VI. *ad* Atti.*locus huic ualde ſimilis & affinis,de quo non minus male exiſtimo,*Nam Cœlius *libertum ad me miſit & literas accuratè ſcriptas,& de pantheris:ſed à ciuitatibus reſcripſi,&c.* Videtur *enim & illic nonnihil ineſſe mendi.tota res accuratius animaduertenda: nihil adhuc certi habeo quod aſſeram.*

217 *Sed cum de hoſtibus ageretur,& poſſet rem impedire:)* Nos, DE HOSTIIS *ſcripſimus cū uetuſtis codicibus.* Quamuis *autem ratio ipſa,& priſcorum exemplariorum autoritas ſic legendum eſſe perſuadeant,non tamen(ut uerum fateamur)morem hunc numerandi hoſtias penitus cognitum habemus,nec tamen ob id ſinceram(ut putamus)lectionem contempſimus:nam quandoque ſperamus inueniri poſſe hanc conſuetudinem numerandi hoſtias:apud* Græcos *maxime* Romanarum *hiſtoriarum autores,qui cum exteris gentibus ſcriberent,quæ* Romanos *ritus ignorabant, diligentius, minutiúſque hæc pertractarunt, quæ* Latini *ſcriptores ut paſsim,uulgóque nota præteribant.Eſt autem idem error, cum de eadem re ageret, in epiſtola ad* Q. Fratrem, Interim *ipſo decimo die, quo ipſum oportebat hoſtiarum numerum, & militum renunciare, &c.*

Sic

Sic enim etiam eo loco habent antiquiores codices, non hoſtium). Quomodo enim poterat hoſtiũ numerum qui triumphum poſtulabat, renunciare, qui aut diſsipati & deleti eſſent, aut ſi manerent, ferè in remotiſsimis regionibus uerſarentur? Quòd ſi de cæſis intelligas, oportebat enim definitum quendam numerum uno prælio cecidiſſe: cũ multò antè interfecti eſſent, quomodo tunc poterant numerari? aut quis rem quæ nõ præſens ſit, & adſit, numerat? Multa ſunt, ne omnia recenſeamus, quæ lectionem illam uulgatã coarguunt: eſt enim omnino inepta, & noua: ſed potius operam demus ut morem hunc, & ritum hoſtiarum numerum renunciandi in poſtulatione triumphi inueſtigemus: tũc enim nihil ſcrupuli reſtabit. Non rectè autem facere mihi uidentur, qui ea quæ non aſſequuntur ſuo ingenio, ſtatim delent: exiſtimare enim debent eſſe alios peritiores, & diligentiores: multáque præterea, quæ abdita adhuc ſunt, cum noui cotidie Græci maxime autores è tenebris eruantur, in lucem propediem eſſe proditura.

Vix hoc erat prælocutus) *Antiquiſsimus ille Mediceus* 219
codex POLAE LOCVTVS *habet: nos nihil addimus, ueterem ſcripturam tantum ſignaſſe uoluimus. Quare deliberent alij quomodo legendũ ſit. Paulo autẽ ſuprà idem codex* SCANDVIT *habet pro* EXCANDVIT. *quod ſi compoſitum uerbum in uſu eſt, non eſt mirandum quandoque ſimplex, etſi rarius inueniatur à Cœlio præſertim, uſurpatum fuiſſe.*

Lomentum, *aut uitrum:*) *Veteres codices omnino melius* 222
NITRVM: *nec enim uitrum res eſt uilis, & nullius pretij, ut ferè nitrum, quo nonnullæ gentes pro ſale utebantur in condiendis, conſeruandíſque obſonijs, uiriditatem etiam braßicæ nitro reddebant. Mart. Ne tibi pallentes moueant*

faſtidia caules, Nitrata uiridis braßica fiet aqua.

223 *Vellem quidem uerna propugnaturus:) Sic in omnibus uulgatis. Antiquiores codices multò melius, etſi ne illi quidem penitus purgati: ſic enim habent,* VENEREM PROPVGNATVS. *Nos emendauimus* VENERE PROGNATVS, *ut Cæſarem intelligat, quem ſuæ ſtirpis originem à Venere duxiſſe omnibus notum eſt, ut ipſe etiã in laudatione amitæ apud Suetonium docet. Amitæ meæ Iuliæ maternum genus à Regibus ortum, paternum cũ dijs immortalibus coniunctum eſt: nam ab Anco Martio ſunt Martij Reges, quo nomine fuit Mater, à Venere Iulij, cuius generis familia eſt noſtra. Appianus lib.* VII. τῶν ἐμφυλίων θυόμενός τε νυκτὸς μέσης τὸν ἄρη κατεκάλει, καὶ τὴν ἑαυτοῦ πρόγονον ἀφροδίτην, ἐκ γὰρ αἰνείου καὶ ἰούλου τοῦ αἰνείου τὸ τῶν ἰουλίων γένος παρενεχθέντος τοῦ ὀνόματος ἡγεῖτο νεών τε αὐτῇ νικηφόρῳ χαριστήριον ἐν ῥώμῃ ποιήσειν ηὔχετο κατορθώσας. *Dion etiam lib.* XLIIII. *hiſtoriarum*, ταύτην τε οὖν καὶ τὸν νεὼν τὸν τῆς ἀφροδίτης ὡς καὶ ἀρχηγέτιδος τοῦ γένους αὐτοῦ οὔσης ποιήσας καθιέρωσεν εὐθὺς τότε καὶ πολλοὺς ἐπ᾽ αὐτοῖς καὶ παντοδαποὺς ἀγῶνας ἔθηκε. *Hanc autem ſententiam eſſe puto & uim horum omnium uerborum, Poſtquam, inquit, tam ubicunq; moleſti ſunt Domitij, uellem Cæſar fortius ſe in ueſtrum Domitiũ geßiſſet, nec dubitaſſet facere diuina ſtirpe oriundus, quod Bellienus uerna auſus eſt facere in ſuo Domitio: acerbißimas autem gerebat inimicitias M. Cœlius cum L. Domitio, quem Corfinij captum Cæſar dimiſerat (ne mirum alicui uideatur eum aduerſus Domitium tam male animatum fuiſſe) quod prius quarta ab hac epiſtola docuit, Cum L. Domitio (ut nunc eſt) mihi inimicißimo homine. Quare offenſus eſt clementia Cæſaris: quantum poteſt autem,*

oſtendit

oſtendit rectius & honeſtius Cæſarem potuiſſe facere, quod uerna commiſerat, illius ſtirpem extollendo, huius contrà eleuando, dum catenatum uernam (quæ peßima eſt ſeruorum conditio) appellat: Cæſarem autem Venere *pro‑gnatum.*

Iratus Senatui exilit:) Sic uulgati codices, & antiqui etiam. Nos *tamẽ ſcripſimus* EXIIT. *Hæc enim ipſa Cœlij epiſtola eſt etiam lib.* X. *ad* Atticum: *quo loco, etſi impreßi* EXISTIT *habent,* EXIIT *tamen retinet noſter ille probatior, & rectè quidẽ, ut nos putamus. loquitur enim de Cæſare, qui* Roma *exijt Senatui iratus, quòd ea quæ uolebat, ab eo impetrare non potuerit: proficiſcebatur autem in Hiſpaniam. Exire & alibi poſitum eſt abſolutè, ut* X. *ad* Atticum, *Exeamus modò. de ſe loquitur Cicero, id eſt, ex* Italia *diſcedamus. Eſt autem in omnibus codicibus quibuſdã locis aliquantulum ſuſpecta hæc epiſtola.* Nam *quod infrà in uulgatis legitur* PARVM OPTIMATEM ESSE, *in antiquis eſt* PARVM ADOPTATIM ESSE. *Quod etſi non probo (peruerſum enim & inquinatum omnino eſt) nonnihil ſcrupuli tamen relinquit, non eſſe quam habemus genuinam lectionem, & fortaſſe aliter legendum locum illum eſſe.* 223

Ac ſimulatque hanc mihi dixit:) Nos *antiquam lectionem reſtituimus* HAVE. *Hunc autem ſenſum huius loci credimus eſſe, Simulátque Cæſar me ſalutauit, primis ſtatim uerbis mihi narrauit quæ de te audiſſet. audierat autem Cæſar Ciceronẽ parare fugam, uelléque omnino ex* Italia *diſcedere. Quòd ſi* HANC *legas, nonnullum inde commodum ſenſum elicere poteris. Siquis autem* HAVE, *quia aſpirate ſcriptum eſt, ſuſpectum habet, is omnino infrequens eſt in antiquorum librorum, & lapidum obſeruatione, in quibus* 224

paſſim ſic ſcribitur. Eſt pulcherrimis literis ita ſcriptus la-pis Piſis: PARTHENI HAVE. BENE BALEAS QVI ME SALVTAS CVM SOSSIA FILIA MEA. *Item plurimi Romæ ſic leguntur: raro autem admodum aliter. Harum autem inſcriptionum cũ exempla quædã ab eo petijſſem, quo poſſem hanc ſcripturã nunc abolitam confirmare, magnam copiam mihi Roma miſit Marcellus Ceruinus iuuenis omni laude dignus propter ſummam omnium ingenuarum artium eruditionẽ, & candidiſſimorum morum integritatem. Nonnulla igitur ex ijs, quæ illi debeo, exemplis adferam,* MACEDO HAVE. BENE VALEAS QVISQVIS ES. FECER. C. MODESTIVS MACEDO PATRI PIISSIMO ET FORTVNATA CONIVX. CVRANTE RVFINO COLLIBERTO. *Item,* IPHIGENIA SVAVIS HAVE. VIX. MENSIB. OCTO. *Item,* HAVE HYGIA ANIMA DVLCISSIMA EIDIAE SECVRISSIMAE QVAE VIX. ANN. XVI. SIT TIBI TERRA LEVIS. *Item Hoſtiæ hãc inſcriptionem eſſe idem mihi affirmauit,* IVLIAE SP. F. THAIDI: HAVE THAIS: DII TIBI BENE FACIANT. & *aliam etiã ibidem, quam, ne in re tot iam teſtimonijs clara, longiores ſimus, præteribimus: nec nõ Arimini plures eandem orthographiã ſeruantes. Nihil igitur dubitandum quin hæc uera ſit lectio. Cum autẽ in pluribus peruceteribus codicibus hanc epiſtolam legerimus (quippe quæ ſit etiam inter ad Atticum) omnes concordes ſunt in hac lectione.*

225 *Iracundia timore ablatam:)* Nos IRACVNDIA, ET AMORE, *ut eſt in antiquis, legimus: etſi nõ ignoramus eloquentiſſimum iuuenem Chriſto. Longolium (tu-*

more

more ablatam) hinc, ut opinor, acceptum in ſuas elegantiſſimas epiſtolas tranſtuliſſe. Queritur Cœlius ſe parum filicem in hac re fuiſſe: partes enim Pompeij fugiſſe, ne cum inimiciſsimo eſſe cogeretur (illic enim erat Appius) Cæſariſque ſecutum, illectum amicitia Curionis. Iracundia igitur, & inimicitiæ cum Appio à Pompeij caſtris Cœlium retraxerunt, amor & familiaritas Curionis in Cæſaris amicitiam deduxerunt. Nos quod potuimus præſtitimus in his Cœlij epiſtolis: multa præterijſſe fatemur. Qui meliorem codicem nacti fuerint, quæ reſtant non pauca uulnera ſanare facilius poterunt. Alius mihi uiſus eſt in hoc libro, quàm in cæteræ Mediceus codex: nos ab eo deſtituti, quantum cupiebamus facere non potuimus: non enim diuinare noſtrum conſilium eſt. Illa autem uerba in fine huius epiſtolæ INRITAVI IN ME CATONEM *aliter leguntur in illis, ſed adeo confuſe, & inquinate, ut pigeat meminiſſe. nam quòd nonnulli* INRITAVI IN ME CRABRONES, *uel* IN ME CÆSAREM *legunt, ſunt longè à ueteribus ueſtigijs: & uereor ne quanto magis corrigere uolunt, tanto magis contaminent. iaceant igitur hi loci, donec ex melioribus codicibus uera lectio eluceſcat.*

AD M. VARRONEM. IX.

Quas Atticus à te miſſas mihi legit) Quidam pro A 225
TE, AD SE *legunt. Antiquus codex* AD TE *corruptè:*
& ex quo utraque lectio, ſi aliquantulum eam adiuues, con-
firmari poteſt. Ego non aſpernor AD SE. *Quin enim*
Varronis eſſent literæ, ex ijs quæ ſubiungit dubium eſſe non
poteſt: conſuetudo autem eſt dicere ad quem literæ miſſæ
ſint. Extrema quoque dictio huius epiſtolæ in impreſsis
etiam anceps eſt, & VIDEATVR *enim &* DIIV-

puncta ſuo loco mouerant, & ubi minime conueniebat, collocarant, ordinem duarum dictionum mutauerant, adeòque totum hunc locum corruperant, ut ægrè ferendum ſit, tantam eſſe imperitorum audaciam quæ omnia perturbet & euertat. nam quàm frigida ſit ſententia quam ex illis uerbis eliciebant, uix dici poteſt: optima eruditorum ingenia facile cognoſcent. Nos hic nullum alium laborem ſuſtinuimus, niſi dum accurate unius tantum literæ peruerſio in antiquo codice cogitamus quo modo corrigenda ſit: inſederat autem quicquid erat uitij in hoc uocabulo POTIVS, PATIVS *enim in Medicco, & in melioribus legebatur: atque hoc eo libentius admonere placuit, ut uideant eruditi lectores tam parua peruerſio in antiquis codicibus quàm magnos errores pariat. Nacti enim eam occaſionem ſiniſtri quidam correctores, dum paruam maculam delere uolunt, totas ſententias lacerant, & diuellunt. Per ea autem uerba,* ET POTIVS LIBENTER ACCVRRERE, *quaſi reprehendit ſeipſum, & quaſi caſtigat ſegnitiem uerborum ſuperiorum* NON DEESSE SI QVIS, *& cætera. dicit enim non eſſe expectandum dum uocentur, immo ſi paruam aliquam inclinationem Cæſaris ad meliorem ciuitatis ſtatum conſtituendum uiderint, debere ultro ſe offerre, & libenter accurrere. Qui autem uulgatam lectionem ſequebantur, illud* MODO *pro (nunc) poſitum credebant, ut illi aduerbio* ANTE *reſponderet: nos pro (tantummodo) intelligimus. Eſt autem eadem ſententia iyſdem penè uerbis pronuntiata in extrema epiſtola ad Ampium, Sed eſt unum perfugium doctrina, ac literæ quibus ſemper uſi ſumus, quæ ſecundis rebus delectationem modo habere uidebantur, nunc uerò etiam ſalutem. Sed ut hæc certa, & firma putamus, ſic locum paulo infra*

fra

ſra illum NAVARE REIP. *corruptum eſſe arbitramur: antiqui certe libri mendoſi ſunt ea parte, nullo enim ſenſu habent*, GRAVARE REMP. *uerbo autem illi* GRAVARE *qui locus hic eſſe poteſt?* Nos *nihil cui acquieſcamus, excogitare potuimus: ingenioſiores uidebunt attentius, an ex his ueſtigijs poßint ſinceram lectionem indagare.* Nos *communem lectionem ſuſpectam habemus, meliorémque omnino quærendam exiſtimamus.* Poſtquàm *hæc adnotaui, ſcripſit ad me* Marcellus Ceruinus, *de cuius eruditione & amore in me paulò antè locutus ſum, ſe uidiſſe librum manu ſcriptum* Bernardini Maphæi *nobilißimi, & ſtudioſi iuuenis, qui* IVVARET REMPVBLICAM *ſcriptum haberet, quam lectionem non contemno, nec ualde probo: quomodo enim poteſt aliquis in literis & libris prodeſſe reip? agendum profectò eſt aliquid ab eo, qui uelit reip. afflictæ ac perditæ utilitatem & opem adferre.* Poſtquam *ut conſtitueram ſilere non potui, ecce quomodo hunc locum legi non ineptè poſſe putem: coniecturam autem ex antiquis ueſtigijs duco*, AT IN LITERIS ET LIBRIS (VT DOCTISSIMI VETERES FECERVNT) GVBERNARE REMP. *Cum inquit curia & foro excludemur, ut nullo pacto poſſimus aliquid in rep. agere, & eius quemadmodum conſueueramus, clauum tenere, poterimus in literis & libris remp. gerere, eam ſcilicet quam nos fingemus, & ingenio noſtro ad optimum ſtatum confirmabimus.*

228 Περὶ δυνατῶν, &c.) *Cum ad* Varronem *uirum eruditißimum ſcribat, quæſtionem illam obſcuram tangit, quam* περὶ δυνατῶν *appellant: de qua magna erat inter philoſophos contentio: præcipuè inter* Diodorum *dialecticum, &* Chriſippum *Stoicum.* Quàm *autem uariè hæc illi acciperent*

rent, oſtendit Cicero in libro de Fato cum inquit: At hoc Chryſippe minime uis, maximéque tibi de hoc ipſo cum Diodoro certamen eſt: ille enim id ſolum fieri poſſe dicit quod aut ſit uerum, aut uerum futurum ſit: & quicquid futurum ſit, id dicit fieri neceſſe eſſe, & quicquid non ſit futurum, id negat fieri poſſe. Tu & quæ non ſint futura, poſſe fieri dicis, ut frangi hanc gemmam, etiam ſi id nunquam futurum ſit. De eadem hac re alibi etiam in paucis illis, quæ remanſerunt eius libri paginis loquitur. Rationem Diodori diligenter Alexander Aphrodiſienſis explicat in commentarijs in primum τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν *his uerbis:* δύναται λέγειν καὶ περὶ τοῦ δυνατοῦ τούτου ὃ Διοδώρῳ λέγεται, ἤτοι ἔστιν ἢ ὃ ἔσται, τὸ γὰρ ἢ ὂν ἢ ἐσόμενον πάντως δυνατὸν μόνον ἐκεῖνος ἐτίθετο, τὸ γὰρ ἐμὲ ἐν Κορίνθῳ γενέσθαι, δυνατὸν κατ' αὐτὸν εἰ ἦν ἐν Κορίνθῳ ἢ πάντως μέλλοιμι ἔσεσθαι, εἰ δὲ μὴ γενοίμην, οὐδὲ δυνατὸν ἦν καὶ τὸ παιδίον γενέσθαι γραμματικὸν δυνατὸν εἰ ἔσοιτο. *&, Cryſippi uero, Plutarchus in libro quem aduerſus Stoicos edidit inſcriptum* στωϊκῶν ἐναντιωμάτων. *Vbi etiam idem de Diodoro confirmat: ea nos, ne longiores ſimus omittemus. Iocatur hic Cicero cum docto & graui uiro, docte & grauiter: nec enim unquam poſſunt ab artificio ſuo recedere, qui literis & ingenuis diſciplinis delectantur. Cognitis diuerſis eorum ſententijs de hac re quid Cicero nunc dicat manifeſtum eſt. A recepta lectione diſcrepat Medicèus codex eo loco* CHRYSIPPEA NE AN HÆC QVAM NOSTER, *&c. ſic enim habet,* CHRYSIPPIAS HÆC QVAM NOSTER, *&c. Et uereor ne ex maiori parte hoc non ſine culpa librarij acciderit. eruditiores hoc cenſebunt. Quæ certe ſuprà dixit, ex opinione Diodori dixit, Chryſippi rationem non exponit*

ponit. In eo quod conſequitur nomine integrior eſt idem codex: DIODOTVS *enim recte habet, cum omnes ante noſtram mendoſe* DIODORVS *haberent: nec enim de* Diodoro, *de quo ſuprà, ſermo nunc eſt, nec eum intelligere poteſt, ſed de* DIODOTO *philoſopho, qui domi Ciceronis multos annos uixit: ob id enim ſuum illum dicit. de quo cum multis locis agat (ut manifeſto percipiatur alium eſſe à* Diodoro *dialectico) ferè ſemper id nomen in impreſſis codicibus inquinatum eſt, & in* Diodorum *imperite immutatum. neſcio an ſemel tantum illud recte in excuſsis libris ſcriptum inuenerim, cum antiqua exemplaria contrà ſemper incontaminatum conſeruarint.* Is *eſt in ſecundo libro epiſtolarum ad* Atticum, Diodotus *mortuus eſt, reliquit nobis* H-S *fortaſſe centies.* De *eodem lib.* v. Tuſculanarum *longius agit.*

229 Eſt *igitur aduentus Cæſaris in expectatione:)* Nos *arbitrati ſumus hanc dictionem* CÆSARIS *uacare, propter modum illum dicendi conciſum & compendioſum, quo ſæpe utitur, & quem nos antea notauimus.* Manifeſtius *autem ſuperuacaneam eſſe docent uetuſtiores codices, in quibus eſt* SCILICET CÆSARIS, *ut planè perſpiciatur fuiſſe olim expoſitionem, declarationémque uerbi illius* ADVENTVS *ſuperne poſitam, poſteáque temere à librarijs in ordinem uerborum Ciceronis conlatam.* Sic *etiam ad* Att. *loquitur pluribus locis, ut lib.* x. Cum *quid ſcriberem, planè nihil haberem: hæc autem reliqua eſſent quæ ſcire cuperem, profectúsne eſſet, quo in ſtatu urbem reliquiſſet.* Loquitur *enim de Cæſare proficiſcente in* Hiſpanias, *nec tamen nominat: notiſsimum enim erat quem intelligeret. ita autem de* Principibus *uiris,* Regbúſque *loqui mos eſt.*

In

In Pomptinum uideri commodius eum exire poſſe:) 229
Nos (Oſtiæ) ut in antiquis inuenimus, ſcripſimus, etſi ſatis negligenter noſtri librarij hunc locum impreſſerunt. Punctis enim à ſuperioribus hoc uerbum diſtinguere debebant, maioréque prima litera ſcribere, ut oppidi nomen. ſed nos petimus à ſtudioſis ueniam horum errorum: cum enim adeſſe impreſſioni nobis non licuerit, hæc illorum uitio commiſſa peccata corrigere nequiuimus. Dicitur autem, Exire ſæpe nulla mentione habita loci unde diſceditur: ſed illius tantum in quem uenimus aut ubi conſiſtimus: ut Exire in prouinciam & in epiſtola ad Cæſarem: C. Trebatium cogitaram quocunque exirem &c. Eſt hic Exire, de naui deſcendere, ut ad Att. lib. VI. in Piræa cum exiſſem. Et in II. Rhetoricorum Ciceronis de nautis qui tempeſtate in alto iactati ſuiſſent, Imprudentes legis cum exiſſent, uitulum immolauerunt. Quanquam exemplum ad Atticum, quod protulimus, ad locum eſt: dixit enim IN PIREÆA. Hic autem in loco hoc uerbum poſitum eſſe uidetur, & hanc ſignificationem habere, quia locum tantum conſideret ubi terminus erat nauigationis, & ubi de naui exeundum erat, nec ſpectet unde diſcedebatur, nec quò peruenire oportebat. Roma enim ultimum eius itineris erat, cuius non fit mentio. nam (exire) etiam ſic dici poſſe, poſteriore exemplo declaratum eſt, quamuis hic adiungat Hoſtiæ in loco, ut res (ni fallor) exigebat: nam ut dictum eſt, notare tantum uoluit ubi finis nauigationis fieri debebat. Sermo enim eſt de Cæſare nauibus ex Hiſpania redeunte, & uariæ ſententiæ erant ubi ille com modius poſſet finem imponere nauigationi. ſic arbitror antiquam & omnium ferè manu ſcriptorum codicum lectionem defendi & conſtitui poſſe.

Tibi

232 *Tibi dedi partes* Antiochianas: *) Nos ueterem ſcripturam ſecuti ſumus* ANTIOCHINAS: *nec enim erratum librarij putauimus, quod in multis huiuſcemodi nominibus animaduertimus, ut in primo ad* Atticum, Noſti *enim* Marinas *pro* Marianas. Et XIIII. *De hæreſi* Veſtorina, *pro* Veſtoriana. *Item in cunctis uetuſtioribus codicibus, & maximè in* Mediceo. *In epiſtola* Pollionis, Hirtino *prælio. Et in literis* Caßij *ſpectra* Catina, *pro* Catiana, *&* Hirtiano. *Hoc idem uidetur obſeruaſſe* Priſcianus *non indiligens grammaticus, cuius lib.* II. *hæc ſunt uerba, Inueniuntur tamen autoritate ueterum, uel* Euphoniæ *cauſa, & maxime in proprijs quædam non ſeruantia ſupradictas regulas, ut* Ligus Liguris Ligurinus, *non* Ligurianus, Cenſor Cenſoris Cenſorinus, *non* Cenſorianus.

234 *Et ingentium culinarum cum* Sophia *ſeptimæ:)* Nos *hunc locum ualde ſuſpectum habemus. quidam corrigunt* COCLEARVM. *nos nihil immutare uoluimus cum nihil certi haberemus: nec tamen locum ſilentio præterire rectum putauimus, præſertim cum antiquus codex hac parte luxatus ſit, non ſine nota illa in margine quam mendoſis locis apponit. Eſt autem in illo, nihil prætermittamus,* INGENTIVM CVLARVM, *ut appareat unde uerbum illud, quod nunc omnes impreßi habent,* CVLINARVM *deductum ſit.*

235 Ego *cætera qui animo æquo fero:)* Hæc *erat uulgaris lectio, quæ nihil à uetuſta diſcrepabat: nec tamen eam ueriti ſumus damnare & explodere: exiſtimamus enim aliquantum mendi illam occupaſſe, legique debere,* EGO CETERO QVI ANIMO ÆQVO FERO. *Eſt enim dura admodum ſtructura, ſi illo modo legas: nec uidetur de ullis alijs rebus loqui uoluiſſe, ut uerbum illud*

CETERA locum hic habere poßit:tantum de morte Syllæ iocoſè(ut opinor)narrauit:hoc autē aduerbio duobus locis uſus eſt in epiſtolis ad Atticum,quemadmodum in optimis exemplaribus inuenimus,ut lib. XII. Ne uiuam mi Attice,ſi mihi nō modo Tuſculanum,ubi cetero qui ſum libenter,ſed μακάρων νῆσοι tanti ſunt ut ſine te ſim totos dies.Et lib. XIIII. O loca ceteroqui ualde expetenda,interpellantium autem multitudine penè fugienda. Sed & in Oratore etiam in uulgatis codicibus,Illam autem concinnitatem quæ uerborum collocationem illuminat his luminibus,quæ Græci(quaſi aliquos geſtus orationis) σχήματα appellant,quod idem uerbum ab ijs etiam in ſententiarum ornamenta transfertur. Adhibet quidem hic ſubtilis, quem niſi quod ſolum,ceteroqui rectè quidam uocant Atticum,ſed paulo parcius.Et in epiſtola etiam poſteriore ad Leptam,Si modo tecti ſatis eſt ad comitatum noſtrum recipiendum, cæteroqui is mihi locus non diſplicet. Credimus autem formatum eſſe hoc aduerbium quemadmodum (alioqui)quod magis in uſu eſt,& eundem penè ſignificatum habet,ut hic oſtendat ſe mortem Syllæ non moleſtè laturum fuiſſe,niſi uereretur unum incommodum tātum quod ex eius obitu conſequi uidebatur, id autem erat,ne haſta Cæſaris refrixiſſet:ut taxet illum tanquam ſectorem & emptorem bonorum ciuium quæ à Cæſare uendebantur. Eſt autem facete dictum.Eundem etiam iocum mouet iiſdem penè uerbis in eadem perſona in epiſtola ad Caßium,Nos hic D. Syllam patrem mortuum habebamus,alij à latronibus, alij cruditate dicebant : populus non curabat,combuſtum enim eſſe cōſtabat:hoc tu pro ſapientia tua feres æquo animo,quanquam πρόσωπον πόλεως amiſimus.Cæſarem putabant moleſte laturum,uerentem ne haſta refrixiſſet : ut

accuratius uidendum ſit, cum de eodem agi ambobus his locis manifeſtum ſit, cum priore P. appelletur, poſteriore uerò D. in utro mendum ſit. Vulgata ſanè lectio frigida erat & inepta meo iudicio: unius autem literæ correctione arbitror illam ualde illuſtratam eſſe. nec mirum eſt in uoce parum frequenti antiquiores etiam librarios deceptos eſſe.

136 Munuſculum mittere uolui leuidenſe craſſo filo) Nos uerbum illud VOLVI in nullis antiquioribus codicibus inuenimus, nec tamen delere uoluimus, cum aliquid omnino, ſi non ſit illud, deſideretur, ut perfecta ſit ſententia: niſi fortaſſe (quod ſuſpicor) uerba illa ſint ex aliquo poëta: quæ ſi tota haberemus, locum hunc per ſe illuſtrem, & planum facerent: nunc ignorata non paruas tenebras eidem offundunt. Nos ut in re incerta nihil quod certi proferamus habemus.

239 Pergratam tibi eſſe ſententiam meam:) Nos maluimus hunc locum ut in uetuſtioribus reperimus tradere mendoſum, & lacerum, quàm ut à quibuſdam (ut opinor) ſuppletus erat. Quod ſi attentius uerba illa odoraberis, ſenties profecto ſuppoſita eſſe: tam male inter ſe cohærent, & tam parum reliquis conueniunt. Si noſtrum conſilium probabitur, gaudebimus: ſcimus autem eruditorum multorum conſenſum in repudiandis, expungendiſque dictionibus ſententijsq; omnibus quæ temere intra bonorum autorum fines irruperant.

239 Non perinde ut eſt re abſens literis, &c.) Veteres codices, VT EST REAPSE EX LITERIS. Sic enim non ſolum pro re ipſa priſci illi dicebant, ut Pacuuius, Si non eſt ingratum reapſe quod feci. ſed poſteriores, & politiores etiam ut Cicero, cuius in V. de finibus hæc

ſunt

ſunt uerba, Quamobrem ordiamur ab eo quod modò poſui, quod idem reapſe primum eſt. Nonnulli autem ſunt qui omnia in quæ non paßim incidunt, ut obſoleta, & rudia faſtidiant.

Omnes mihi Græcos, omnes Lucilios) Veteres omnes codices GRANIOS habent, quæ uera eſt huius loci lectio. 240
fuit enim Granius quidam ualde facetus, ſed amaris quandoque ſalibus dicax. Lucilius item ſatyras ſuas multis ſalibus, iociſque reſperſit. De Granio meminit Cicero lib. II. de Oratore, Quî igitur diſtinguemus à Craſſo, à Catulo, à cæteris, familiarem noſtrum Granium, aut Vargulã amicum meum, non mehercule in mentem mihi quidem uenit: ſunt enim dicaces. Granio quidem nemo dicacior. Alijs etiã locis de Granio meminit ut faceto. Nam Granium. Luciliúmque & dicaciores, & humilioris fortunæ homines con iungit: Craſſum autẽ, & Lælium, qui & nobiliores, urbanioréſque erant, ab illis ſeparat.

Aut facetè dictorum offenſionem fama ingenij, &c.) 242
Nulli ueteres codices OFFENSIONEM habent: quidam eius loco alio atramento repoſitum habent OPINIONEM. Nos FAMAM maluimus ſcribere: hac cõiectura ducti, quòd ſæpe cum duo ſint eadem ferè uocabula, librarij alterum uacare arbitrantes, relinquant. Sententia autem egregia ex hac lectione colligitur. Querebatur Cicero quòd ſæpe nonnulla acutè, & facetè dicta ad Cæſarem adferebantur, quæ fortaſſe illum reipub. ſtatum taxarẽt, aut aliqua ratione Cæſarem læderent: quorum cum autor ignoraretur, omnes aiebant à Cicerone eſſe pronunciata, quod illi creare periculum poſſet. Dolet ſe nulla ratione poſſe id incommodum uitare. unam tantum uiam ſibi dicit eſſe, ut effugiat famam acutè, & facetè dictorum (famam autem,

quia uno ore omnes omnia ſalſe,& urbanè dicta illi tribuebant)& hanc eſſe famam ingenij abijcere,id eſt ex hominum mentibus firmam opinionem delere, quam de ſuo ingenio habebant. Si enim quod fieri non poterat,famam quæ erat de ſuo ingenio extinxiſſet,non amplius hominum conſenſus omnia acute dicta in illum contuliſſet. Nos in re incerta,& in qua alij etiam ſibi non parum permiſerint, expoſita noſtri iudicij ratione,nonnihil nobis indulſimus: rationem tamē noſtram patefacere uoluimus,ut ſicui,quod fieri poteſt,noſtrum iudicium diſplicuerit, poßit uulgatam,communémque lectionem ſequi.nos nihil repugnabimus. Videat tamen accurate cum una omnino dictio ſupplenda ſit,an noſtra commodior,aptiórque ſit: nam quòd facilius hanc librarius negligens omittere potuerit,multo ueriſimilius eſt.

243 Quem denarium narras:) Multi locum hunc mendoſum eſſe exiſtimauerunt,uarijſque modis corrigere adgreßi ſunt,ut poſtremò Veneti, QVEM OENOMAVM NARRAS, ſcribere auſi ſint, cum illi dictioni nullus hic locus (niſi fallimur) eſſe poßit: quamuis ſuprà de Oenomao Accij ſermo ſit. erat enim Oenomaus tragœdiæ nomen,ut putamus,ab Accio ſcriptæ. Nā & Nonius Accium Oenomao ſæpe citat. Qui aliquid hic mutandum cenſuerunt,omnes uidentur coniecturas aliquas non ſatis firmas ſecuti eſſe: nos nullius induſtriam inſectamur,nec tamen fuit cur eos imitaremur: animaduertimus enim in cunctis manuſcriptis DENARIVM legi. Quare contra tot librorum conſenſum aliquid decernere nimis audax,& periculoſum uiſum eſt. Quamuis autem huius lectionis certam aliquam rationem reddere nequeamus,noluimus tamen eam reijcere:multa enim eſſe ſcimus,uel infinita

finita potius, quæ à nobis ignorantur, & multis etiam quamuis eruditis obſcura ſunt, non tamen ob id deprauata ſunt exiſtimanda, & explodenda ut putamus. Eandem *hanc uocem inuenies in tertia ab hac epiſtola, quo loco edulium quoddam ſignificare uidetur, quod magni apud me momenti fuit, ne quid hic temere mutaremus,* Neque *ollam, inquit, denariorum implere.* Nam *quamuis theſaurus in ollis à ſenibus maxime condi ſoleat, unde argumentum & titulum ſuæ comœdiæ* Plautus *accepit: arbitror tamen argutiorem quempiam eſſe ſenſum horum uerborum, uoluiſſéque* Ciceronem *hoc loco ludere, & materiam ioci ex ambiguitate illius dictionis traxiſſe: quod tamen non affirmo: nec enim ullo teſtimonio aliorum autorum confirmare poſſum.* Id *autem quod ſuſpicati ſumus non ineptè ut puto, conſideratis diligenter ambobus his locis, notum facere uoluimus.* Quod *ſi recipitur, probatúrque edulium illic ſignificare, non uideo cur hic quoque idem ſignificare non poßit, neque cur hinc uocem hanc delere tentent, cum illic eam manere ſinant: eandem enim eius utroque loco rationem eſſe puto. eruditiores hoc diligentius conſiderare poterunt, quorum ego iudicio ſemper libenter acquieſcam.* Satis *hic nobis fuit conſilij noſtri rationem oſtendere, quòd non ut cuncti ferè alij fecerunt, dictionem hanc delere uoluimus.*

Illos apud me declamitare, me apud eos cenitare:) Locus *hic quoque in omnibus antiquioribus, & in multis etiam, quos uidi manu ſcriptis parentum noſtrorum ætate, luxatus eſt & mancus, multa enim uerba deſunt* Librariorum *incuria in deſcribendo omiſſa.* Nos *nihil immutauimus, etſi locum ſuppletum exiſtimemus, quia non incommoda omnino uerba reſtituta ſunt: ſententiam autem hanc* 244 in princ.

terea locus ille, NEC TAMEN AD HANC INSOLENTIAM, *parum mihi certus uidetur, quem tamen quia ſic inuenimus in cunctis melioribus, non mutauimus: etſi ſciamus nonnullos coniectura ductos legere* INDOLENTIAM: *quod parum nobis probatum eſt, quamuis meliorem uocem reponere neſciamus. atque omnia hæc in medium propoſuiſſe non inutile exiſtimamus: & ut omnes uideant quantis in tenebris uerſemur circa bonorum autorum integritatem, & ut poßit unuſquiſque in tam dubia & incerta re iudicium ſuum ſequi.*

248 in princ. Ex areis tantũ habemus:) *Vetuſtiores codices* ARTIS *loco* AREIS *habent, ſed tamen* EX *præpoſitionem retinent. Alij alijs modis locum reſtituerunt, ut quidem etiam auſi ſint* EX ARTE COCI *legere, contra ueterum exemplariorum autoritatem. Ego inſtitutum meum ab antiqua ſcriptura modice declinandi tenens,* ET ARTIS *legi: alibi enim in antiquis codicibus, nec ſemel* EX *pro* ET *ſcriptum obſeruaui: ſentẽtia autem, & uerborum ſtructura egregie reſpondent. nam & paulò antè dixit ſe iam aliquid intelligere, & quamuis ſerò, tamen aliquid didiciſſe: nunc autem explicat quantum in ea arte progreſſus ſit. Quod ſiquis ueterem ſcripturam tueri uelit, uideat an* EX ARTIS *dictum eſſe poßit, quemadmodum in epiſtolis ad Atticum, ex Apollodori, ut intelligatur, ratione aut præceptis: ſitque hæc una earum locutionum quæ conciſæ ſunt, & ad imitationem Græci ſermonis prolatæ, ut Ad Opis, per Locuſtæ & Varronis ducere, magna eſt in Scapulæ celebritas: de quibus longius accuratiúſque alibi loquar.*

248 Bona tua comedam:) *Antiquiores codices priſcam & obſoletam hac ætate uocem retinent,* COMEDIM *enim*

& Med

& Mediceus, & Petrarcæ liber pro comedam habent. Quam lectionem agnoſcit & Nonius *Marcellus de proprietate ſermonis. poſtquam enim Plautum in Bacchidibus uſum eſſe hac uoce docuit, addit, Cicero ad Varronem epiſtola Petiſſet, Cura ſi me amas, &c. Vbi animaduertenceſt locum eſſe corruptum, legique debere pro* PETISSET PÆTISSET CVRA, *&c. facili, & frequenti errore eandem literam inutiliter repetendi, & duas dictiones coagmentandi, & coniungendi. Et hoc maximè loco confirmatur, quomodo has epiſtolas, quæ familiares falsò, & ineptè noſtris temporibus appellatæ ſint, uocare, & citare debeamus: concordant enim cum uetere ipſarum inſcriptione uerba Marcelli. totus enim liber ad Varronem inſcribitur & ceteros. Cum igitur dixit, Cicero ad Varronem: librum hunc deſignauit, in quo etiam ſunt epiſtolæ ad Pætum. cum autem epiſtola Pæti, id eſt ad Pætum miſſa, certius declarauit ubi hæc ſint uerba. nam quin ita locus ille legi debeat, neminem arbitror, dubitaturum nunc re aperta & indicata. Quid enim uox illa* PETISSET *eo loco faciat? nam Periocha illa Ciceronis à uoce hac* SED *non à* CVRA *incipit: quam ſi attente locum leges, uidebis Marcellum nullo modo omittere debuiſſe. Peccarunt autem in deſcribendo codice* Nonij, *etſi plurimis ille mendis ſcatet, quia legitimum titulum harum epiſtolarum ignorabant, pariterq; rationem hanc non tenebant qua utebantur antiqui in citandis locis harum epiſtolarum, quibus diligenter obſeruatis non amplius de harum epiſtolarum inſcriptione dubitandum eſt. Et locus* Nonij *antea corruptus, & multa offuſa caligine obſcuratus omni modo purgatus luci claritatique ſuæ reſtitutus eſt.*

Sed prius meum ἀπόφθεγμα) *Nos ut in uetere illo Me-* 248

paßim ſic ſcribitur. Eſt pulcherrimis literis ita ſcriptus lapis Piſis: PARTHENI HAVE. BENE BALEAS QVI ME SALVTAS CVM SOSSIA FILIA MEA. *Item plurimi Romæ ſic leguntur: raro autem admodum aliter. Harum autem inſcriptionum cũ exempla quædã ab eo petijſſem, quo poſſem hanc ſcripturã nunc abolitam confirmare, magnam copiam mihi Roma miſit Marcellus Ceruinus iuuenis omni laude dignus propter ſummam omnium ingenuarum artium eruditionẽ, & candidißimorum morum integritatem. Nonnulla igitur ex ijs, quæ illi debeo, exemplis adferam,* MACEDO HAVE. BENE VALEAS QVISQVIS ES. FECER. C. MODESTIVS MACEDO PATRI PIISSIMO ET FORTVNATA CONIVX. CVRANTE RVFINO COLLIBERTO. *Item,* IPHIGENIA SVAVIS HAVE. VIX. MENSIB. OCTO. *Item,* HAVE HYGIA ANIMA DVLCISSIMA EIDIAE SECVRISSIMAE QVAE VIX. ANN. XVI. SIT TIBI TERRA LEVIS. *Item Hoſtiæ hãc inſcriptionem eſſe idem mihi affirmauit,* IVLIAE SP. F. THAIDI: HAVE THAIS: DII TIBI BENE FACIANT. & *aliam etiã ibidem, quam, ne in re tot iam teſtimonijs clara, longiores ſimus, prætcribimus: nec nõ Arimini plures eandem orthographiã ſeruantes. Nihil igitur dubitandum quin hæc uera ſit lectio. Cum autẽ in pluribus peruetcribus codicibus hanc epiſtolam legerimus (quippe quæ ſit etiam inter ad Atticum) omnes concordes ſunt in hac lectione.*

225 *Iracundia timore ablatam:)* Nos IRACVNDIA, ET AMORE, *ut eſt in antiquis, legimus: etſi nõ ignoramus eloquentißimum iuuenem Chriſto. Longolium (tu-*

more

more ablatam) hinc, ut opinor, acceptum in ſuas elegantiſſimas epiſtolas tranſtuliſſe. Queritur Cœlius ſe parum felicem in hac re fuiſſe: partes enim Pompeij fugiſſe, ne cum inimiciſsimo eſſe cogeretur (illic enim erat Appius) Cæſariſque ſecutum, illectum amicitia Curionis. Iracundia igitur, & inimicitiæ cum Appio à Pompeij caſtris Cœlium retraxerunt, amor & familiaritas Curionis in Cæſaris amicitiam deduxerunt. Nos quod potuimus præſtitimus in his Cœlij epiſtolis: multa præterijſſe fatemur. Qui meliorem codicem nacti fuerint, quæ reſtant non pauca uulnera ſanare facilius poterunt. Alius mihi uiſus eſt in hoc libro, quàm in cæteræ Mediceus codex: nos ab eo deſtituti, quantum cupiebamus facere non potuimus: non enim diuinare noſtrum conſilium eſt. Illa autem uerba in fine huius epiſtolæ INRITAVI IN ME CATONEM *aliter leguntur in illis, ſed adeo confuſe, & inquinate, ut pigeat meminiſſe. nam quòd nonnulli* INRITAVI IN ME CRABRONES, *uel* IN ME CÆSAREM *legunt, ſunt longè à ueteribus ueſtigijs: & uereor ne quanto magis corrigere uolunt, tanto magis contaminent. iaceant igitur hi loci, donec ex melioribus codicibus uera lectio eluceſcat.*

AD M. VARRONEM. IX.

Quas Atticus à te miſſas mihi legit) Quidam pro A 225
TE, AD SE *legunt. Antiquus codex* AD TE *corruptè:*
& ex quo utraque lectio, ſi aliquantulum eam adiuues, con-
firmari poteſt. Ego non aſpernor AD SE. *Quin enim*
Varronis eſſent literæ, ex ijs quæ ſubiungit dubium eſſe non
poteſt: conſuetudo autem eſt dicere ad quem literæ miſſæ
ſint. Extrema quoque dictio huius epiſtolæ in impreſsis
etiam anceps eſt, & VIDEATVR *enim &* DIIV-

puncta ſuo loco mouerant, & ubi minime conueniebat, collocarant, ordinem duarum dictionum mutauerant, adeóque totum hunc locum corruperant, ut ægrè ferendum ſit, tantam eſſe imperitorum audaciam quæ omnia perturbet & euertat. nam quàm frigida ſit ſententia quam ex illis uerbis eliciebant, uix dici poteſt: optima eruditorum ingenia facile cognoſcent. Nos hic nullum alium laborem ſuſtinuimus, niſi dum accurate unius tantum literæ peruerſio in antiquo codice cogitamus quo modo corrigenda ſit: inſederat autem quicquid erat uitij in hoc uocabulo POTIVS, PATIVS *enim in Mediceo, & in melioribus legebatur: atque hoc eo libentius admonere placuit, ut uideant eruditi lectores tam parua peruerſio in antiquis codicibus quàm magnos errores pariat. Nacti enim eam occaſionem ſiniſtri quidam correctores, dum paruam maculam delere uolunt, totas ſententias lacerant, & diuellunt. Per ea autem uerba,* ET POTIVS LIBENTER ACCVRRERE, *quaſi reprehendit ſeipſum, & quaſi caſtigat ſegnitiem uerborum ſuperiorum* NON DEESSE SI QVIS, *& cætera. dicit enim non eſſe expectandum dum uocentur, immo ſi paruam aliquam inclinationem Cæſaris ad meliorem ciuitatis ſtatum conſtituendum uiderint, debere ultro ſe offerre, & libenter accurrere. Qui autem uulgatam lectionem ſequebantur, illud* MODO *pro (nunc) poſitum credebant, ut illi aduerbio* ANTE *reſponderet: nos pro (tantummodo) intelligimus. Eſt autem eadem ſententia iiſdem penè uerbis pronuntiata in extrema epiſtola ad Ampium, Sed eſt unum perfugium doctrina, ac literæ quibus ſemper uſi ſumus, quæ ſecundis rebus delectationem modo habere uidebantur, nunc uerò etiam ſalutem. Sed ut hæc certa, & firma putamus, ſic locum paulo in-*

fra

ſra illum NAVARE REIP. *corruptum eſſe arbitramur: antiqui certe libri mendoſi ſunt ea parte, nullo enim ſenſu habent*, GRAVARE REMP. *uerbo autem illi* GRAVARE *qui locus hic eſſe poteſt?* Nos *nihil cui acquieſcamus, excogitare potuimus: ingenioſiores uidebunt attentius, an ex his ueſtigijs poßint ſinceram lectionem indagare.* Nos *communem lectionem ſuſpectam habemus, meliorémque omnino quærendam exiſtimamus.* P*oſtquàm hæc adnotaui, ſcripſit ad me* Marcellus Ceruinus, *de cuius eruditione & amore in me paulò antè locutus ſum, ſe uidiſſe librum manu ſcriptum* Bernardini Maphæi *nobilißimi, & ſtudioſi iuuenis, qui* IVVARET REMPVBLICAM *ſcriptum haberet, quam lectionem non contemno, nec ualde probo: quomodo enim poteſt aliquis in literis & libris prodeſſe reip? agendum profecto eſt aliquid ab eo, qui uelit reip. afflictæ ac perditæ utilitatem & opem adferre.* P*oſtquam ut conſtitueram ſilere non potui, ecce quomodo hunc locum legi non ineptè poſſe putem: conjecturam autem ex antiquis ueſtigijs duco*, AT IN LITERIS ET LIBRIS (VT DOCTISSIMI VETERES FECERVNT) GVBERNARE REMP. *Cum inquit curia & foro excludemur, ut nullo pacto poſſimus aliquid in rep. agere, & eius quemadmodum conſueueramus, clauum tenere, poterimus in literis & libris remp. gerere, eam ſcilicet quam nos fingemus, & ingenio noſtro ad optimum ſtatum confirmabimus.*

228 Περὶ δυνατῶν, &c.) *Cum ad* Varronem *uirum eruditißimum ſcribat, quæſtionem illam obſcuram tangit, quam* περὶ δυνατῶν *appellant: de qua magna erat inter philoſophos contentio: præcipuè inter* Diodorum *dialecticum, &* Chriſippum Stoicum. Q*uàm autem uariè hæc illi acciperent*

rent, oſtendit Cicero in libro de Fato cum inquit: At hoc Chryſippe minime uis, maximéque tibi de hoc ipſo cum Diodoro certamen eſt: ille enim id ſolum fieri poſſe dicit quod aut ſit uerum, aut uerum futurum ſit: & quicquid futurum ſit, id dicit fieri neceſſe eſſe, & quicquid non ſit futurum, id negat fieri poſſe. Tu & quæ non ſint futura, poſſe fieri dicis, ut frangi hanc gemmam, etiam ſi id nunquam futurum ſit. De eadem hac re alibi etiam in paucis illis, quæ remanſerunt eius libri paginis loquitur. Rationem Diodori diligenter Alexander Aphrodiſienſis explicat in commentarijs in primum τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν his uerbis: δύναται λέγειν καὶ περὶ τῶν δυνατῶν τοῦτο ὁ διοδώρῳ λέγεται, ἤτοι ἐστιν ἢ ὃ ἔσται, τὸ γὰρ ἢ ὂν ἢ ἐσόμενον πάντως δυνατὸν μόνον ἐκεῖνος ἐτίθετο, τὸ γὰρ ἐμὲ ἐν κορίνθῳ γενέσθαι, δυνατὸν κατ' αὐτὸν εἰ ἦν ἐν κορίνθῳ ἢ πάντως μέλλοιμι ἔσεσθαι, εἰ δὲ μὴ γενοίμην, οὐδὲ δυνατὸν ἦν καὶ τὸ παιδίον γενέσθαι γραμματικὸν δυνατὸν εἰ ἔσοιτο. &, Cryſippi uero, Plutarchus in libro quem aduerſus Stoicos edidit inſcriptum στωικῶν ἐναντιωμάτων. Vbi etiam idem de Diodoro confirmat: ea nos, ne longiores ſimus omittemus. Iocatur hic Cicero cum docto & graui uiro, docte & grauiter: nec enim unquam poſſunt ab artificio ſuo recedere, qui literis & ingenuis diſciplinis delectantur. Cognitis diuerſis eorum ſententijs de hac re quid Cicero nunc dicat manifeſtum eſt. A recepta lectione diſcrepat Mediceus codex eo loco CHRYSIPPEA NE AN HÆC QVAM NOSTER, &c. ſic enim habet, CHRYSIPPIAS HÆC QVAM NOSTER, &c. Et uereor ne ex maiori parte hoc non ſine culpa librarij acciderit. eruditiores hoc cenſebunt. Quæ certe ſuprà dixit, ex opinione Diodori dixit, Chryſippi rationem non exponit

ponit. In eo quod conſequitur nomine integrior eſt idem codex: DIODOTVS *enim recte habet, cum omnes ante noſtram mendoſe* DIODORVS *haberent: nec enim de* Diodoro*, de quo ſuprà, ſermo nunc eſt, nec eum intelligere poteſt, ſed de* DIODOTO *philoſopho, qui domi Ciceronis multos annos uixit: ob id enim ſuum illum dicit. de quo cum multis locis agat (ut manifeſto percipiatur alium eſſe à* Diodoro *dialectico ferè ſemper id nomen in impreſſis codicibus inquinatum eſt, & in* Diodorum *imperite immutatum. neſcio an ſemel tantum illud recte in excuſſis libris ſcriptum inuenerim, cum antiqua exemplaria contrà ſemper incontaminatum conſeruarint. Is eſt in ſecundo libro epiſtolarum ad* Atticum*,* Diodotus *mortuus eſt, reliquit nobis* H-S *fortaſſe centies. De eodem lib.* v. *Tuſculanarum longius agit.*

229 *Eſt igitur aduentus Cæſaris in expectatione:)* Nos *arbitrati ſumus hanc dictionem* CÆSARIS *uacare, propter modum illum dicendi conciſum & compendioſum, quo ſæpe utitur, & quem nos antea notauimus. Manifeſtius autem ſuperuacaneam eſſe docent uetuſtiores codices, in quibus eſt* SCILICET CÆSARIS*, ut planè perſpiciatur fuiſſe olim expoſitionem, declarationémque uerbi illius* ADVENTVS *ſuperne poſitam, poſteáque temere à librarijs in ordinem uerborum Ciceronis conlatam. Sic etiam ad* Att. *loquitur pluribus locis, ut lib.* x. *Cum quid ſcriberem, planè nihil haberem: hæc autem reliqua eſſent quæ ſcire cuperem, profectúsne eſſet, quo in ſtatu urbem reliquiſſet. Loquitur enim de Cæſare proficiſcente in* Hiſpanias*, nec tamen nominat: notiſſimum enim erat quem intelligeret. ita autem de* Principibus *uiris,* Re*gibúſque loqui mos eſt.*

In

In Pomptinum uideri commodius eum exire poſſe:) 229
Nos (Oſtiæ) ut in antiquis inuenimus, ſcripſimus, etſi ſatis negligenter noſtri librarij hunc locum impreſſerunt. Punctis enim à ſuperioribus hoc uerbum diſtinguere debebant, maioréque prima litera ſcribere, ut oppidi nomen. ſed nos petimus à ſtudioſis ueniam horum errorum: cum enim adeſſe impreßioni nobis non licuerit, hæc illorum uitio commiſſa peccata corrigere nequiuimus. Dicitur autem, Exire ſæpe nulla mentione habita loci unde diſceditur: ſed illius tantum in quem uenimus aut ubi conſiſtimus: ut Exire in prouinciam & in epiſtola ad Cæſarem: C. Trebatium cogitaram quocunque exirem &c. Eſt hic Exire, de naui deſcendere, ut ad Att. lib. VI. in Piresæa cum exiſſem. Et in II. Rhetoricorum Ciceronis de nautis qui tempeſtate in alto iactati ſuiſſent, Imprudentes legis cum exiſſent, uitulum immolauerunt. Quanquam exemplum ad Atticum, quod protulimus, ad locum eſt: dixit enim IN PIREÆA. *Hic autem in loco hoc uerbum poſitum eſſe uidetur, & hanc ſignificationem habere, quia locum tantum conſideret ubi terminus erat nauigationis, & ubi de naui exeundum erat, nec ſpectet unde diſcedebatur, nec quò peruenire oportebat. Roma enim ultimum eius itineris erat, cuius non fit mentio. nam (exire) etiam ſic dici poſſe, poſteriore exemplo declaratum eſt, quamuis hic adiungat Hoſtiæ in loco, ut res (ni fallor) exigebat: nam ut dictum eſt, notare tantum uoluit ubi finis nauigationis fieri debebat. Sermo enim eſt de Cæſare nauibus ex Hiſpania redeunte, & uariæ ſententiæ erant ubi ille commodius poſſet finem imponere nauigationi. ſic arbitror antiquam & omnium ferè manu ſcriptorum codicum lectionem defendi & conſtitui poſſe.*

Tibi

232 *Tibi dedi partes Antiochianas:) Nos ueterem ſcripturam ſecuti ſumus* ANTIOCHINAS: *nec enim erratum librarij putauimus, quod in multis huiuſcemodi nominibus animaduertimus, ut in primo ad Atticum, Noſti enim Marinas pro Marianas. Et* XIIII. *De hæreſi Veſtorina, pro Veſtoriana. Item in cunctis uetuſtioribus codicibus, & maximè in Mediceo. In epiſtola Pollionis, Hirtino prælio. Et in literis Caßij ſpectra Catina, pro Catiana, & Hirtiano. Hoc idem uidetur obſeruaſſe Priſcianus non indiligens grammaticus, cuius lib.* II. *hæc ſunt uerba, Inueniuntur tamen autoritate ueterum, uel Euphoniæ cauſa, & maxime in proprijs quædam non ſeruantia ſupradictas regulas, ut Ligus Liguris Ligurinus, non Ligurianus, Cenſor Cenſoris Cenſorinus, non Cenſorianus.*

234 *Et ingentium culinarum cum Sophia ſeptimæ:) Nos hunc locum ualde ſuſpectum habemus. quidam corrigunt* COCLEARVM. *nos nihil immutare uoluimus cum nihil certi haberemus: nec tamen locum ſilentio præterire rectum putauimus, præſertim cum antiquus codex hac parte luxatus ſit, non ſine nota illa in margine quam mendoſis locis apponit. Eſt autem in illo, nihil prætermittamus,* INGENTIVM CVLARVM, *ut appareat unde uerbum illud, quod nunc omnes impreßi habent,* CVLINARVM *deductum ſit.*

235 *Ego cætera qui animo æquo fero:) Hæc erat uulgaris lectio, quæ nihil à uetuſta diſcrepabat: nec tamen eam ueriti ſumus damnare & explodere: exiſtimamus enim aliquantum mendi illam occupaſſe, legique debere,* EGO CETERO QVI ANIMO ÆQVO FERO. *Eſt enim dura admodum ſtructura, ſi illo modo legas: nec uidetur de ullis alijs rebus loqui uoluiſſe, ut uerbum illud*

CETERA *locum hic habere poßit:tantum de morte Syllæ iocoſè(ut opinor)narrauit:hoc autẽ aduerbio duobus locis uſus eſt in epiſtolis ad* Atticum,*quemadmodum in optimis exemplaribus inuenimus,ut lib.* XII. Ne *uiuam mi* Attice,*ſi mihi nõ modo* T*uſculanum,ubi cetero qui ſum libenter,ſed* μακάρων νῆσοι *tanti ſunt ut ſine te ſim totos dies.*Et *lib.* XIIII. O *loca ceteroqui ualde expetenda,interpellantium autem multitudine penè fugienda.* Sed *&* in Oratore *etiam in uulgatis codicibus,*Illam *autem concinnitatem quæ uerborum collocationem illuminat his luminibus,quæ* Græci*(quaſi aliquos geſtus orationis)* σχήματα *appellant,quod idem uerbum ab ijs etiam in ſententiarum ornamenta transfertur. Adhibet quidem hic ſubtilis, quem niſi quod ſolum,ceteroqui rectè quidam uocant* Atticum,*ſed paulo parcius.*Et *in epiſtola etiam poſteriore ad* Leptam,Si *modo tecti ſatis eſt ad comitatum noſtrum recipiendum, cæteroqui is mihi locus non diſplicet.* Credimus *autem formatum eſſe hoc aduerbium quemadmodum (alioqui)quod magis in uſu eſt,& eundem penè ſignificatum habet,ut hic oſtendat ſe mortem Syllæ non moleſtè laturum fuiſſe,niſi uereretur unum incommodum tãtum quod ex eius obitu conſequi uidebatur, id autem erat,ne haſta* Cæſaris *refrixiſſet:ut taxet illum tanquam ſectorem & emptorem bonorum ciuium quæ à* Cæſare *uendebantur.* Eſt *autem facete dictum.*Eundem *etiam iocum mouet ijſdem penè uerbis in eadem perſona in epiſtola ad* Caßium,Nos *hic* D. *Syllam patrem mortuum habebamus,alij à latronibus, alij cruditate dicebant : populus non curabat,combuſtum enim eſſe cõſtabat:hoc tu pro ſapientia tua feres æquo animo,quanquam* πρόσωπον πόλεως *amiſimus.*Cæſarem *putabant moleſte laturum,uerentem ne haſta refrixiſſet : ut*

g accuratius

accuratius uidendum ſit, cum de eodem agi ambobus his locis manifeſtum ſit, cum priore P. *appelletur, poſteriore uerò* D. *in utro mendum ſit. Vulgata ſanè lectio ſi igida erat & inepta meo iudicio: unius autem literæ correctione arbitror illam ualde illuſtratam eſſe. nec mirum eſt in uoce parum frequenti antiquiores etiam librarios deceptos eſſe.*

236 *Munuſculum mittere uolui leuidenſe craſſo filo)* Nos *uerbum illud* VOLVI *in nullis antiquioribus codicibus inuenimus, nec tamen delere uoluimus, cum aliquid omnino, ſi non ſit illud, deſideretur, ut perfecta ſit ſententia: niſi fortaſſe (quod ſuſpicor) uerba illa ſint ex aliquo poëta: quæ ſi tota haberemus, locum hunc per ſe illuſtrem, & planum facerent: nunc ignorata non paruas tenebras eidem offundunt.* Nos *ut in re incerta nihil quod certi proferamus habemus.*

239 *Pergratam tibi eſſe ſententiam meam:)* Nos *maluimus hunc locum ut in uetuſtioribus reperimus tradere mendoſum, & lacerum, quàm ut à quibuſdam (ut opinor) ſuppletus erat. Quod ſi attentius uerba illa odoraberis, ſenties profecto ſuppoſita eſſe: tam male inter ſe cohærent, & tam parum reliquis conueniunt.* Si *noſtrum conſilium probabitur, gaudebimus: ſcimus autem eruditorum multorum conſenſum in repudiandis, expungendíſque dictionibus ſententijsq; omnibus quæ temere intra bonorum autorum fines irruperant.*

239 *Non perinde ut eſt re abſens literis, &c.)* Veteres *codices,* VT EST REAPSE EX LITERIS. *Sic enim non ſolum pro re ipſa priſci illi dicebant, ut* Pacu*uius,* Si *non eſt ingratum reapſe quod feci. ſed poſteriores, & politiores etiam ut Cicero, cuius in* V. *de finibus hæc ſunt*

ſunt uerba, Quamobrem ordiamur ab eo quod modò po=
ſui, quod idem reapſe primum eſt. Nonnulli *autem ſunt qui*
omnia in quæ non paßim incidunt, ut obſoleta, & rudia fa-
ſtidiant.

Omnes mihi Graecos, omnes Lucilios) Veteres *omnes co-* 240
dices GRANIOS *habent, quæ uera eſt huius loci lectio.*
fuit enim Granius quidam ualde facetus, ſed amaris quan=
doque ſalibus dicax. Lucilius item ſatyras ſuas multis ſali=
bus, iocíſque reſperſit. De Granio *meminit Cicero lib.* II.
de Oratore, *Quî igitur diſtinguemus à Craſſo, à Catulo,*
à cæteris, familiarem noſtrum Granium, aut Vargulã ami-
cum meum, non mehercule in mentem mihi quidem uenit:
ſunt enim dicaces. Granio quidem nemo dicacior. Alijs etiã
locis de Granio meminit ut faceto. Nam Granium. *Luci=*
liúmque & dicaciores, & humilioris fortunæ homines con
iungit: Craſſum autẽ, & Lælium, qui & nobiliores, urba=
nioréſque erant, ab illis ſeparat.

Aut facetè dictorum offenſionem fama ingenij, &c.) 242
Nulli ueteres codices OFFENSIONEM *habent: qui=*
dam eius loco alio atramento repoſitum habent OPI=
NIONEM. Nos FAMAM *maluimus ſcribere: hac cõ=*
iectura ducti, quòd ſæpe cum duo ſint eadem ferè uocabula,
librarij alterum uacare arbitrantes, relinquant. Sententia
autem egregia ex hac lectione colligitur. Querebatur *Ci=*
cero quòd ſæpe nonnulla acutè, & facetè dicta ad Cæſarem
adferebantur, quæ fortaſſe illum reipub. ſtatum taxarẽt, aut
aliqua ratione Cæſarem læderent: quorum cum autor igno-
raretur, omnes aiebant à Cicerone eſſe pronunciata, quod
illi creare periculum poſſet. Dolet *ſe nulla ratione poſſe id*
incommodum uitare. unam tantum uiam ſibi dicit eſſe, ut
effugiat famam acutè, & facetè dictorum (famam autem,

quia uno ore omnes omnia ſalſe,& urbanè dicta illi tribuebant)& hanc eſſe famam ingenij abijcere,id eſt ex hominum mentibus firmam opinionem delere, quam de ſuo ingenio habebant.Si enim quod fieri non poterat,famam quæ erat de ſuo ingenio extinxiſſet,non amplius hominum conſenſus omnia acute dicta in illum contuliſſet. Nos in re incerta,& in qua alij etiam ſibi non parum permiſerint, expoſita noſtri iudicij ratione,nonnihil nobis indulſimus: rationem tamē noſtram patefacere uoluimus,ut ſicui,quod fieri poteſt,noſtrum iudicium diſplicuerit, poßit uulgatam,communémque lectionem ſequi.nos nihil repugnabimus.Videat tamen accurate cum una omnino dictio ſupplenda ſit,an noſtra commodior,aptiórque ſit: nam quòd facilius hanc librarius negligens omittere potuerit,multo uerißimilius eſt.

243 Quem denarium narras:) Multi locum hunc mendoſum eſſe exiſtimauerunt,uarijſque modis corrigere adgreßi ſunt,ut poſtremò Veneti, QVEM OENOMAVM NARRAS, ſcribere auſi ſint, cum illi dictioni nullus hic locus(niſi fallimur)eſſe poßit:quamuis ſuprà de Oenomao Accij ſermo ſit.erat enim Oenomaus tragœdiæ nomen,ut putamus,ab Accio ſcriptæ.Nā & Nonius Accium Oenomao ſæpe citat. Qui aliquid hic mutandum cenſuerunt,omnes uidentur coniecturas aliquas non ſatis firmas ſecuti eſſe: nos nullius induſtriam inſectamur,nec tamen fuit cur eos imitaremur: animaduertimus enim in cunctis manuſcriptis DENARIVM legi. Quare contra tot librorum conſenſum aliquid decernere nimis audax,& periculoſum uiſum eſt. Quamuis autem huius lectionis certam aliquam rationem reddere nequeamus,noluimus tamen eam reijcere:multa enim eſſe ſcimus,uel infinita

finita potius, quæ à nobis ignorantur, & multis etiam quamuis eruditis obſcura ſunt, non tamen ob id deprauata ſunt exiſtimanda, & explodenda ut putamus. Eandem *hanc uocem inuenies in tertia ab hac epiſtola, quo loco edulium quoddam ſignificare uidetur, quod magni apud me momenti fuit, ne quid hic temere mutaremus,* Neque *ollam, inquit, denariorum implere.* Nam *quamuis theſaurus in ollis à ſenibus maxime condi ſoleat, unde argumentum & titulum ſuæ comœdiæ* Plautus *accepit: arbitror tamen argutiorem quempiam eſſe ſenſum horum uerborum, uoluiſſéque Ciceronem hoc loco ludere, & materiam ioci ex ambiguitate illius dictionis traxiſſe: quod tamen non affirmo: nec enim ullo teſtimonio aliorum autorum confirmare poſſum.* Id *autem quod ſuſpicati ſumus non ineptè ut puto, conſideratis diligenter ambobus his locis, notum facere uoluimus.* Quod *ſi recipitur, probatúrque edulium illic ſignificare, non uideo cur hic quoque idem ſignificare non poßit, neque cur hinc uocem hanc delere tentent, cum illic eam manere ſinant: eandem enim eius utroque loco rationem eſſe puto. eruditiores hoc diligentius conſiderare poterunt, quorum ego iudició ſemper libenter acquieſcam.* Sa*tis hic nobis fuit conſilij noſtri rationem oſtendere, quòd non ut cuncti ferè alij fecerunt, dictionem hanc delere uoluimus.*

Illos apud me declamitare, me apud eos cœnitare:) Lo- 244 in princ.
cus hic quoque in omnibus antiquioribus, & in multis etiam, quos uidi manu ſcriptis parentum noſtrorum ætate, luxatus eſt & mancus, multa enim uerba deſunt Librario*rum incuria in deſcribendo omiſſa.* Nos *nihil immutauimus, etſi locum ſuppletum exiſtimemus, quia non incommoda omnino uerba reſtituta ſunt: ſententiam autem hanc*

ipſam prorſus deſiderari arbitramur: conſilij tamen noſtri memores rem ſilentio præterire non potuimus. Sic autem quos uidimus manu ſcripti codices omnes habent, PVTO ENIM TE AVDISSE (SI FORTE AD VOS OMNIA PERFERVNTVR) ILLOS CENITARE, *&c.*

Ibidem *Tum enim cum rem habebas quæſtiunculis te faciebam attentiorem:) Peruetus ille codex Mediceus ſolus rectam lectionem ſeruat: nam qui ab eo deſcriptus uidetur, quē aiunt Franciſci Petrarcæ manu exaratum, ut ſit, ab illa integritate degenerat. Sic omnia fatis in peius ruere, ut inquit prudentiſſimus poëta,* QVAESTIVNCVLIS *enim legit, è quo uulgatam lectionem perfluxiſſe arbitramur. Ille incorruptior* QVAESTICVLIS *adhuc retinet, quæ uox huic ſententiæ mirè quadrat: olim enim cum rem habebat, dicit conſueuiſſe ſe illum attentiorem paruis quibuſdam lucris facere. Vtitur autem hac ipſa huius uerbi diminutione Cicero lib.* II. *de Diuinatione, Aut fiſſum iecoris cum lucello meo, aut meis quæſticulis cum cœlo terra, rerúmque natura.*

244 *Solebam enim antea delectari oleis, & lucanicis tuis) Petrarca, ſeu quis fuit qui de Mediceo deſcripſit, hic etiam deceptus eſt: cum enim peruetus ille* DELIBITARI *haberet, ſcripſit ipſe* DEBILITARI. *Quæ cum uana eſſet lectio, & nihil ſignificans, alij* DELECTARI, *quod nunc in uulgatis omnibus, ſententiam ſequentes, ſuppleuerunt: non tamen antiqua lectio uno nobis quod ſciam adhuc codice immobiliter manens amplius negligenda eſt.*

245 *Tamen quando ego uir fortis, idémq; philoſophus:) Antiqua lectio meo iudicio melior, ingenioſiórque:* QVVM EGO VIR FORTIS, IDEM QVOD PHI-

LOSOP

LOSOPHVS. *iocatur enim ferè ſemper in his epiſtolis. Si non contigerit, inquit, ut poßim agros conſeruare, quòd eos militibus diuidere uelit Cæſar, licet hoc magnum fortunis meis detrimentum adferat, non tamen poſſum Cæſarem non amare, à quo uitam ſalutémque impetraui, quum ego uir fortis tãtopere uiuere pulcherrimum duxerim, quod non debebam poſt tot patriæ calamitates. Erátque honeſtius philoſopho, quàm mihi: quod enim uiro forti turpe eſt, id nullam philoſopho reprehenſionem adſert. Feci igitur, dicit uir fortis (ſibi enim uir fortis uidebatur Cicero propter res à ſe fortiter in conſulatu geſtas) quod philoſophus agere debebat. Vir enim fortis amiſſa ſua dignitate amplius in uita manere uelle non debet: Philoſophus autem humanas omnes res, fortunæq́; iniurias, & iniuſtos patriæ dominatus adeo contemnit, ut Socrates etiam, cum Athenis XXX. Tyranni eſſent, pedem porta non extulerit.*

Cum mecum ſumptus habebas:) Nos ueterem ſcripturam *etſi parum planam, & fortaſſe mẽdoſam repoſuimus: quod enim aliud faceremus in tantis tenebris non habuimus. Quod ſi illam non ſatis integram eſſe eruditiores iudicabunt, nos tamen confidimus, ut minus inquinatam, uiciniorem eſſe ueræ lectioni. hanc rem in arbitrio optimorum ingeniorum relinquimus. Eſt ſanè & alijs locis (ni fallimur) in antiquis codicibus negligenter ſcripta hæc epiſtola,* GASSATRA *enim pro Caſtra illi habent, quod corruptum arbitror: & infrà* ARTOLAGYNI *pro* ARTOLAGANI, *quæ uox etiam apud Athenæum eſt lib.* III. *ubi etiam eius conſecturam docet his uerbis,* εἰς ὃ τὸ καλούμενον ἀρτολάγανον ἐμβάλλεται οἰνάριον ὀλίγον καὶ πέπερι γάλατι καὶ ἔλαιον ὀλίγον ἢ στέαρ. Præterea

249 in fine.

terea locus ille, NEC TAMEN AD HANC INSOLENTIAM, parum mihi certus uidetur, quem tamen quia ſic inuenimus in cunctis melioribus, non mutauimus: etſi ſciamus nonnullos coniectura ductos legere INDOLENTIAM: quod parum nobis probatum eſt, quamuis meliorem uocem reponere neſciamus. atque omnia hæc in medium propoſuiſſe non inutile exiſtimamus: & ut omnes uideant quantis in tenebris uerſemur circa bonorum autorum integritatem, & ut poßit unuſquiſque in tam dubia & incerta re iudicium ſuum ſequi.

248 in princ. Ex areis tantũ habemus:) Vetuſtiores codices ARTIS loco AREIS habent, ſed tamen EX præpoſitionem retinent. Alij alijs modis locum reſtituerunt, ut quidem etiam auſi ſint EX ARTE COCI legere, contra ueterum exemplariorum autoritatem. Ego inſtitutum meum ab antiqua ſcriptura modice declinandi tenens, ET ARTIS legi: alibi enim in antiquis codicibus, nec ſemel EX pro ET ſcriptum obſeruaui: ſentẽtia autem, & uerborum ſtructura egregie reſpondent. nam & paulò antè dixit ſe iam aliquid intelligere, & quamuis ſerò, tamen aliquid didiciſſe: nunc autem explicat quantum in ea arte progreſſus ſit. Quod ſiquis ueterem ſcripturam tueri uelit, uideat an EX ARTIS dictum eſſe poßit, quemadmodum in epiſtolis ad Atticum, ex Apollodori, ut intelligatur, ratione aut præceptis: ſitque hæc una earum locutionum quæ conciſæ ſunt, & ad imitationem Græci ſermonis prolatæ, ut Ad Opis, per Locuſtæ & Varronis ducere, magna eſt in Scapulæ celebritas: de quibus longius accuratiúſque alibi loquar.

248 Bona tua comedam:) Antiquiores codices priſcam & obſoletam hac ætate uocem retinent, COMEDIM enim

& Med

& Mediceus, & Petrarcæ liber pro comedam habent. Quam lectionem agnoſcit & Nonius Marcellus de proprietate ſermonis. poſtquam enim Plautum in Bacchidibus uſum eſſe hac uoce docuit, addit, Cicero ad Varronem epiſtola Petiſſet, Cura ſi me amas, &c. Vbi animaduertendum eſt locum eſſe corruptum, legique debere pro PETISSET PÆTISSET CVRA, &c. facili, & frequenti errore eandem literam inutiliter repetendi, & duas dictiones coagmentandi, & coniungendi. Et hoc maximè loco confirmatur, quomodo has epiſtolas, quæ familiares falsò, & ineptè noſtris temporibus appellatæ ſint, uocare, & citare debeamus: concordant enim cum uetere ipſarum inſcriptione uerba Marcelli. totus enim liber ad Varronem inſcribitur & ceteros. Cum igitur dixit, Cicero ad Varronem: librum hunc deſignauit, in quo etiam ſunt epiſtolæ ad Pætum. cum autem epiſtola Pæti, id eſt ad Pætum miſſa, certius declarauit ubi hæc ſint uerba. nam quin ita locus ille legi debeat, neminem arbitror, dubitaturum nunc re aperta & indicata. Quid enim uox illa PETISSET eo loco faciat? nam Periocha illa Ciceronis à uoce hac SED non à CVRA incipit: quam ſi attente locum leges, uidebis Marcellum nullo modo omittere debuiſſe. Peccarunt autem in deſcribendo codice Nonij, etſi plurimis ille mendis ſcatet, quia legitimum titulum harum epiſtolarum ignorabant, pariterq; rationem hanc non tenebant qua utebantur antiqui in citandis locis harum epiſtolarum, quibus diligenter obſeruatis non amplius de harum epiſtolarum inſcriptione dubitandum eſt. Et locus Nonij antea corruptus, & multa offuſa caligine obſcuratus omni modo purgatus luci claritatique ſuæ reſtitutus eſt.

Sed prius meum ἀπόφθεγμα) Nos ut in uetere illo Me= 248

diceo inuenimus ἀπότευγμα ſcripſimus. Mirum autem eſt quàm compoſitè, & rectè in eo exemplari Græcæ dictiones perſcriptæ ſint: ut raro admodum in illis aliquid deſideretur. eſt autem hæc uox & alibi à Cicerone uſurpata in epiſtolis ad Atticum lib. XIII. *Vbi enim ἐπίτευγμα magnum nullum fieri poßit: ἀπότευγμα uel non magnum moleſtum futurum ſit. Quid opus eſt παρακινδυνεύειν? cum enim Latinam uocem non habet quæ poßit rem quam uult exactè exprimere, Græca utitur ad familiares ſcribens. Quod enim ſuprà dixerat, ſi conſequi non poſſes, nunc breuius una uoce exponit. Tunc autem ἀπότευγμα facit aliquis cum rem quam adgreſſus eſt, non conſequitur & nanciſcitur. Quod igitur conatus erat Pætus, ſtylum Ciceronis imitari, nec ei ex animi ſententia ſucceſſerat, dixerat fortaſſe prius ipſe ſe ἀπότευμα feciſſe. quod autem eſſet ἀπότευγμα, à Trabea uix nunc ſciri poteſt tam minuta res poſt tot ſæcula.*

249 *Amo uerecundiam:) Quæſtio quæ hac epiſtola lepidè ſimul & eruditè explicatur, ab alijs etiam agitata eſt. Docet enim, cum de pulchritudine & turpitudine nominum li.* III. *Rhetoricos Ariſtoteles diſſereret, rationem hanc quam poſtea, ut patet, Stoici arripuerunt (quòd turpitudo ſcilicet non eſſet in uerbis) ſophiſticam eſſe, eiúſque fallaciæ autorem Bryſonem fuiſſe, & quemadmodum ea ſolui debeat, accuratè ſubtilitérque his uerbis diſputat. Eſt enim (inquit) aliud alio magis proprium nomen & magis ſimile rei, magiſque aptum & accommodatum ad conſtituẽdam rem ante oculos. Præterea non eodem pacto ſe habens ſignificat hanc rem & illam: quapropter ob hoc etiam aliud alio turpius aut honeſtius iudicandum eſt: ambo enim ſanè & honeſtum & turpe ſignificant, non tamen quatenus honeſtum aut*

turpe

turpe: an hæc quidem? uerum magis aut minus. Expoſitis *autem Cicero diligenter Stoicorum argumentis, quamuis ad ea non reſpondeat, ſe tamen Platonis uerecundiam ſequi malle oſtendit, qui obſcœnas res tectis uerbis ſolitus eſt ſignificare. Hoc igitur à doctore ſuo Ariſtoteles accepit: ſed non ſolum ipſe ut pudorem ſeruaret ab ea ſententia quæ tunc (ut uidetur) ualde celebris erat, alienus fuit, ſed rationes quaſdam & argumenta excogitauit, quæ eam inanem & falſam eſſe docerent. Nunc poſtquam quod propoſitum fuit hac epiſtola Ciceroni declaratum eſt, ad quaſdam eius partes purgandas, quæ fœdis maculis inquinatæ ſunt, ueniamus: facilius enim iudicari & ſtatui poterit de probitate & prauitate illarum, tota totius epiſtolæ ſententia percepta & cognita. explicat etiam Cicero hanc eandem diſputationem contra uerecundiam lib. primo officiorum, ſed breuius.*

Vt ille in Trinummo uirgo modo:) Antiqua cuncta exemplaria, quæ uidimus, etiam margines Germani libri, ubi illi quaſdam diuerſas à uulgatis lectiones ex antiquo ut teſtati ſunt, & mihi ſanè perſuadent, codice poſuerunt, habent 250 in princ.
VT ILLE IN DEMIVRGO MODO: *intelligit autem Turpilium comicum, qui fabulam docuit hoc titulo. Non. Marcellus Turpilium citat in Demiurgo in dictione* QVÆSTI, *item in dictione* PORTI, *item alibi hunc Turpilij uerſum adducit in Demiurgo, Apertæ ſuræ, brachia autem errorem mihi corde exſuſcitabant. Nam uox illa* MODO *ſignificat hanc comœdiam paulò antè recitatam fuiſſe. Quod uerba etiam illa* NOSTI CANTICVM, MEMINISTI ROSCIVM, *confirmant. locum autem hunc in Trinummo apud Plautum non inueniri, omne dubium tollit, coarguitque uulgatam lectionem falſam, & deprauatam eſſe.*

205 *Sed iam multis factum eſt tam obſcœnum:)* Nos anti=quam lectionem in noſtro libro repoſuimus ſinceram ut arbitror, & incorruptam, planam certe, & claram, Quod tu in epiſtola ſuo nomine appellas, Piſo ille frugi tectius, & minus aperto uocabulo appellabat penem. ſed quia multi, poſt eum ſcilicet, ſic appellauerunt, ut ipſe antea appellarat, cum amplius non tectũ eſſet, & obſcurum, factum eſt tam obſcœnum quàm id uerbum quo uſus eſt Pætus. poſtquam enim non latuit, nec clam fuit quid ea uoce ſignificaretur, ſtatim factum eſt turpe, & obſcœnum: non enim intelligi ab omnibus quid ea denotaretur, ipſam uerecundiorem faciebat ideóque infinitis penè nominibus apud Græcos, nec paucis e=tiam apud Romanos hæ hominis partes, quæ honeſte nomi=nari non poſſunt indicantur: unuſquiſque reconditam uo=cem ſectatur: uulgatam, & nimis apertam propter turpitudinem fugit, & aſpernatur.

251 *Battuit inquit imprudenter:)* Eſt & hoc uerbum ex illis quæ turpem rem ſignificabant, cum alium etiam haberent non obſcœnum ſignificatum: nam pro uerberare frequenter accipiebatur. Habemus & nos huic ſimile uerbum & nomine & ſignificatu, id eſt quod ab hoc deductum uidetur, & ipſum quoque uerberare & flagello cædere ſignificat, quod flagitioſam & nefandam rem alio ſignificatu innuit, & eandem (ut puto) quam apud Romanos Battuere. Quamuis e=nim Cicero impudentius adhuc eſſe tradat Depſere quàm Battuere: dicit hoc fortaſſe, quia tunc non tantopere dete=ſtabantur eas libidines quæ priore uerbo ſignificantur, quàm nos nunc merito facimus: ſed licenter illis amoribus utebantur. ſed non noſtrum eſt, neque ad hoc inſtitutum pertinet, quod grauius aut leuius peccatum ſcelúsue ſit, minu=te perquirere: illo certè quod uerbo Depſere innuitur, nihil

ſpurç

ſpurcius fœdiúſque fieri poteſt. ueniam mihi datum iri ſpero:qui ut huius epiſtolæ ſenſum aperirem declararémq;, breuiter & tecte de obſcœnis rebus aliquantulum diſputaui.

Depreſſit multo impudentius:) Vetuſti codices, DEMPSIT, *Nos literam* M *uacare putauimus, ac* DEPSIT *ſcripſimus.* Non. *Marcellus* Varronem *Myſterijs hac uoce uſum eſſe docet hoc uerſu, Sed tibi fortaſſe alius molit, & depſit.* A Græco *autem (ut eius uerba ſunt) magis ſignificantiam & originem trahit. quod autem uerſus* Homeri *in* Odyſſea, *quem* Nonius *citarat, nullum ueſtigium ibi eſt, ut inane illud ſpatium repleatur, uidendum eſt an reponi hic debeat* κηρὸν δεψήσας μελιηδέα μήτις ἀκούσῃ. *qui eſt in* XII. *lib. cum ſermo eſſet de* Vlyſſe, *qui molita cera aures ſociorum obturabat, ne cantus illi ſirenarum audirent. quid uerò* δέψεσθαι *apud Græcos ſit, notiſſimum eſt.* Tanta *erat priſcorum comicorum licentia, ut nedum puduerit* Ariſtophanem *obſcœno nomine in comœdia uti, totam hanc rem ſcurriliter deſignet, & pingat: quod mirum eſt ea tempora tantam uerborum obſcœnitatem ferre in theatro potuiſſe, & tantopere riſu, iociſque inſanire homines illos ſolitos, ut paterentur ſiniſtre facetos poëtas, tam turpiter, ſceleſtéque bonis moribus inludere.* ibidem

Supplere flagitium eſt:) Nos *parua admodum immutatione ab antiquis exemplaribus,* SVPPEDIT *legimus: nam ſic etiam ſuprà* BATTVIT, DEPSIT, *tertia perſona ſingularis numeri.* Res *autem clara eſt,* Non *ſolum inquit uerba, quæ rem ſignificant, ſed res ipſa etiam quæ uerbis illis declaratur, pro loci ratione modo turpis eſt, & culpatur, modo ſi non honeſta, tamen cõceſſa, & non reprehenſa.* Quod *enim in balneis uitio nulli datur, id alibi committere flagitium eſt. manifeſtum eſt autem quid intelligat.* 251

Hoc

253 *Hoc tempore fieri poſſe*) *Vetuſti codices* FERRI: *nam quod alij pro* TEMPORE, TEPORE *legunt, in nullo inueni antiquo codice. Idem dicimus de uoce illa* SERVITVTEM, *quam alij in* SEVERITATEM *commutarunt. Nos enim omnibus uetuſtis exemplaribus concordes uulgatos codices nunquam damnare auſi ſumus, ideóque & hic & alijs locis hæc argutè ab alijs excogitata non recepimus.*

255 *Sed tamen Ariſtippus quidem ille Socraticus non erubuit:*) *Nulli ueteres habent particulam illam negatiuam, quare nos cum Germanico codice* NE ARISTIPPVS QVIDEM ILLE SOCRATICVS ERVBVIT, *ſcripſimus: ferè autem ſemper* QVIDEM *ante ſe habet* NE. *Græca autem uerba Ariſtippi quæ melius uiſa ſunt Ciceroni dictum illud exprimere, nos adferemus, ut poßint ſtudioſi facile cum interpretatione Ciceronis conferre, ſunt autem apud* Athenæum δειπνοσοφιστῶν *lib.* XII. ὁ δὲ ἀρίστιππος ἐπὶ τῆς λαΐδος ἔφι, ἔχο καὶ οὐκ ἔχομαι.

255 *Ibi loquor aliquid, quid in ſolum, ut dicitur, &c.*) *Locus obſcurus, & multis ſuſpectus: uetuſtioribus omnibus exemplaribus cum uulgata lectione conuenit: uerbum tantum* ALIQVID *non habet antiqua, quare neque nos recepimus, Vt fit, alij alijs modis dum corrigere uolunt, locum hunc magis deprauarunt. Quidam pro* SOLVM, SOLATIVM *reponunt, coniectura ducti, & ea inani, & falſa: utinam autem tam certa eſſet ſententia, quàm uerba ſunt incorrupta: prouerbium enim eſt, ſed rarum admodum, qua de cauſa parum perſpicitur unde ductum ſit: à Cicerone tamen lib.* I. *de* Natura *deorum iterum uſurpatum eſt, Abuteris ad omnia atomorum regno, & licentia. Hinc quodcunque in ſolum uenit (ut dicitur) effingis at*

gis atque efficis. Nos nihil aliud poſſumus: tantum non temerè euertendam eſſe hanc receptam cum antiqua conſentientem lectionem, admonemus, locúmque alium indicauimus, quo Cicero hoc eodem prouerbio uſus eſt. Quod autem iidem GENIVM, pro GEMITVM emendare uoluerunt, à fide etiam in hoc antiquorum codicum diſceſsêre.

A` me dixeris:) Mediceus ille peruetus codex A MA- 255
NE unà cum Petrarcæ libro: quare nos quoque eos ſecuti ita legimus. Sic etiam loquitur Plautus in Amphitryone, Hæc illis pugnata eſt pugna uſque à mane ad ueſperum. Sic itidem Lucilius apud Firmianum lib. x. Nunc uerò à mane ad noctem, feſto atque profeſto totus idem paritérque dies populúſque patréſque iactare, &c. Nec mihi difficile eſt credere, ſic etiam Ciceronem referentem familiarem Pæti ſermonem dixiſſe.

Ille uerò:) Nos ILLE BARO ut in iiſdem proba- 255
tiſsimis codicibus inuenimus: quæ ſi rara eſt uox, non ideo repudianda, & delenda. Quantum autem de hac re iudicare poſſumus, ille fatuus ſignificat, & ſtultus. ſic enim & alibi hanc uocem acceptam uidimus, etſi ferè ab omnibus ſua ſede mota, & indigne deiecta eſt. Lib. II. de Diuinatione ante Venetam editionem ita in cunctis impreſsis locus hic legebatur, Huic equidem Antichobaro inquit uictum te eſſe non uides? mendoſe proculdubio. ſic etiam in multis manu ſcriptis, & nonnullis antiquioribus uidimus. Illi quam gratiam in prima uoce corrigenda à ſtudioſis omnibus meritò inire debebant, amiſerunt, dum parum conſiderate poſteriorem, quæ integra erat, corrumpunt. nam quòd pro ANTICHO, ANTIPHO ſcripſerunt, laudem meruerunt. Fuit enim Antipho Athe-

nienſ

nienſis, quem nunc intelligit, coniector ſomniorum, & ut Græci dicunt ὀνειροκρίτης. ſcripſit autem quomodo debeant iudicari ſomnia, de quo etiam Artemidorus lib. II. ὀνειροκριτικῶν cap. de Sæpia loquitur: μέμνηται τοῦ ὀνείρου τούτου καὶ ἀντιφῶν ὁ ἀθηναῖος Quod autem pro BARO, TV VERO repoſuerunt, culpam deprecari non poſſunt. Eſt autem ualde ſimilis locis in Diuinatione. de quo nunc locuti ſumus, huic quem in manibus habemus. Hanc eandem uocem (ut opinor) in cunctis manu ſcriptis codicibus inuenies lib. II. de finibus hoc loco, Hæc cum loqueris, nos barones ſtupemus, ut uidelicet tecum ipſe rides. etſi in impreßis VARRONES malè, & mendosè. Stolidos autem quoſdam uidetur & hic innuere. Nam quòd in epiſtolis ad Atticum incontaminata manet hæc uox, locum illum ſatis celebrem citare non neceſſe iudicauimus: tot autem locis inuentam, etſi raram, & obſoletam uocem errare amplius ſua regione pulſam paßi non ſumus. Doctiores conabuntur eam certius explicare: nos quod opera noſtra potuimus, non indiligenter fecimus.

AD LVCIVM PLANCIVM. X.

256 Hominis impudentißimi:) Antiqua omnia exemplaria IMPOTENTISSIMI. Impotens autem ſæpe, ut à ueteribus etiam grammaticis notatum eſt, dicitur ualde potens: plerunque tamen in malam partem: ut Impotens Sylla. Cicero Tuſculanarum lib. V. Qui nihil metuant, nihil agant, nihil concupiſcant, nulla impotentia efferantur. Eadem ratione appellauit elegantißimus poëta, Freta impotentia. Cicero in epiſtola ad Lepidum, Sin iſta pax perditum hominem in poſſeßionem impotentißimi

domin

dominatus reſtitutura,hoc animo ſcito omnes ſanos,ut mortem ſeruituti anteponant.

Victoriam pateremur:) *Sic omnes impreßi,nos (parti=* 264
remur)cum uetuſtis ferè exemplaribus.illi enim unius literæ defectu, PATIREMVR. *Partiri autem cauſas habes apud hunc autorem.nam quod Germani in ſuo codice emendarunt* PARAREMVS, *minus mihi ſatisfacit ea lectio.parare enim nobis potius dicimus rem cupitam.& optatam.Nulli præterea codices antiquiores uocem eam habent:partiri autem cum paucioribus recte dictum eſt.* Ma*lui,inquit,plures ſocios habere,indéque minorem laudem adipiſci eius uictoriæ,quàm cum paucis,ut maiorem gloriam,ſi recte res ceßiſſet,conſequerer, partiri & diuidere uictoriam.iacturam enim potius æquo animo laudis facere uolui(defendendæ* Reipub.*ſocios quærens, cum pluribúſque uictoriam communicans)quàm cum paucioribus periculoſe nimis,& temerariè eam diuidere.etſi enim eã adeptus cum paucioribus maiorem gloriam acquirerem:nimis magno tamen* Reipub.*damno id feciſſem.funeſta enim uictoria fuiſſet.*

Et tuarum literarum ad me promiſſa meminiſſem:)*Sic* 268
omnes ueteres,& noui codices,quos uidi, habent. Cælius tamen quidam Rhodiginus,*homo multæ lectionis,* PRAEMISSA *corrigit ex antiquis(ut ipſe ait)exemplaribus, intelligitque* PRAEMISSA *primitias quaſdam. Sic etiam legit locum* Plinij *contra* Hermolai *emendationem,* O*leique,ac uini præmiſſa remeans ſecum tuliſſet.quod non reprehendo:nimis tamen mihi durum uidetur,& epiſtolarum claritate alienum hic(præmiſſa)legere.eſſet enim obſcurior,& non parum uiolenta tranſlatio.* N*am quantum ad antiquorum codicum fidem,habuimus nos miræ ue-*

tuſtatis Mediceum. Vellem autem eos qui antiquis exemplaribus nituntur, ubi ſint hæc egregia uetuſtatis monimenta notum facere. Quamuis enim nullius eruditi uiri fidem condemnemus, nihil tamen nobis non ſuſpectum eſſe debet, cum homines plerunque omnia tentent, ut ſuis opinionibus fidem acquirant. promiſſa autem intelligit ea, quæ in ſuis literis Plancus facturum ſe eſſe promiſerat.

269 *Breuia, fugacia, & caduca exiſtima:* (Antiquiores codices, Mediceus inquam, & qui Petrarcæ fuit, hac parte luxati ſunt, & manci: ſic enim habent, BREVIA FVGATO CADVCA EXISTIMA: quam rem propter librariorum dignitatem, & probitatem nullo modo ſilentio præterire potui, quanquam receptam lectionem rectam & ueram eſſe iudico: nec uideo quomodo ueterem tueri ſi uelim, poßim: credendum igitur eſt hoc erratum fuiſſe librarij. cum raro autem accidere ſoleat ut peccet, non alienum mihi uiſum eſt, hoc etiam teſtari. præter deformatam illam dictionem FVGACIA, coniunctio non eſt in antiquioribus.

273 *Quàm me tueri poſſet in caſtris)* Nos IVVARE ex antiquo codice, quod etiã Germani adnotarunt. decepit hoc loco (ut opinor) eos, qui ab antiquis deſcripſerunt, quòd hoc uerbum per unum tantum V in illis eſt, aliter ac nunc ſcribimus. Nam ſi IVVARE legiſſent, nunquam commiſiſſent, ut eius loco (tueri) ſcriberent.

273 *Quo obſide fide illius, & ſocietate in Repub. adminiſtranda uterer:)* Nonnulli genitiuo caſu recte (fidei illius, & ſocietatis) emendarunt: uno tamen diſſentiunt ab antiquis codicibus, quòd in illis (fide) eſt, non (fidei) ut fortaſſe eadem ratione dictum ſit, qua Verg. Libra die, ſomnique dixit. & in Roſis, Ad primi radios interitura die. Quam le-

ctionem

ctionem cõfirmat, quòd in uulgatis omnibus FIDE *etiam legebatur, etſi illi ablatiuo caſu intelligebant, ideóque pro* SOCIETATIS, *ſocietate emendarant, improbe omnino, & imperite, quia ſinceram lectionem nõ intellexerunt.*

Quid in animo habuerim cum Leernus:) *Quidam legunt* LERNVS, *uel* LERINVS. *nos uetuſtam ſcripturam repoſuimus* LAEVVS: *eundémque credimus eſſe hunc & illum, de quo ſic non multò pòſt, Læuo Ciſpio dabo perferenda.* 273

Vel cum ſalute recipere me poſſem:) Aliquantum mendi hoc loco habent antiquiores codices, SALVTARI *enim legunt pro ſalutariter, ni fallimur: eſt autem Planco familiare aduerbium. ſequẽti enim epiſtola in uulgatis etiam nedum ueteribus, & melioribus libris, Nibil enim me non ſalutariter cogitare ſcio. & nos igitur (ſalutariter) ſcripſimus. uſurpauit etiam Cicero hoc aduerbium.* 279

Aut ab illis furentibus latronibus:) Mediceus codex & Petrarcæ liber, Germanicus item impreſſus, qui ſæpe antiquam lectionem in margine adpoſitã habet, omnes conueniunt: & pro FVRENTIBVS, FERVENTIBVS *legunt. Nos igitur hunc conſenſum probatiſſimorum codicum aſpernari non potuimus: nam quod paulò ſuprà hac ipſa epiſtola Lepido* OFFENSVS, *cum antea* INFENSVS *legeretur, ſcripſimus, ueterum in hoc etiam codicum autoritatem ſecuti ſumus.* 279 in fine.

Quibus ſubito impetui, ac latrocinio paricidarum reſiſtat:) Nos ut in ueterrimo Mediceo codice inuenimus IMPETV *ſcripſimus, ut etiã in epiſtola ad P. Seruilium, Vt intelligat hanc commendationem ſibi magno uſu atque adiumento fuiſſe. Sæpe autẽ ſic protuliſſe huiuſcemodi nomina tertio caſu Vergilium, notiſſimum eſt: ut in* IIII. 281 in fine.

Georgicorum, Quod nec concubitu indulgent. &, Téque aſpectu ne ſubtrahe noſtro, & alijs locis. quod diligentiſſimus uir Ioãnes Pierius *in ſuis* Vergilianis *caſtigationibus adnotat.* Nam *quòd hunc locum ut Ciceronis citat, cum ſit ex epiſtola* L. Plancij, *μνημονικὸν ἁμάρτημα: uel potius ſequitur nonnullorum morem qui cunctas epiſtolas quæ his uoluminibus continentur, quia non ualde ſtilo inter ſe diuerſæ ſunt, ut ſi* Ciceronis *eſſent, adducunt, ne minimũ probi & eruditi hominis erratum cum maxima eiuſdem laude coniungam: docétque ille Cæſarem tantum tam minutarum rerum autorem in huiuſcemodi nominibus* i, *literam cenſuiſſe abijciendam: dominatúque, & ornatu, & reliqua huiuſmodi & ſcribendum, & proferendum eſſe.*

288 *Vt amplius paſſus centum ultra aciem, &c.)* Nos *paſſuum numerum in nullis manuſcriptis inuenimus: notam igitur mendi appoſuimus, quæ ſignificet numerũ deſiderari.*

291 in fine. *Gladiatoribus autem:) Sic omnes uulgati, uno excepto, qui nuper* Venetijs *impreſſus eſt,* Gladiatorijs *enim habet, proculdubio male.* Nec *enim (ut puto) inuenies dici ludis gladiatorijs. (gladiatoribus) autem in uſu erat, id eſt die illo, quo munera gladiatorum dabantur: ut* Ludis *etiam dicebatur, quo die ludi committebantur.* Cicero *ad* Atticum *multis locis hoc oſtendit, maxime lib.* II. de Clodio *loquens,* Quinetiam *cum candidatum deducerem, is quærit ex me, num conſueſſem* Siculis *locum gladiatoribus dare.* Id *eſt eo die quo pugnarent gladiatores.* In IX. *etiam* Philippica *circa finem, Circúmque eam ſtatuam locum* Gladiatoribus, *ludiſque liberos, poſteróſque eius, quaque uerſus pedes* V. *habere.* I *tempro* P. *Seſtio: Etenim tribus locis ſignificari maxime* Populi Romani *iudicium, ac uoluntas poteſt, concione comitijs, ludorum, gladiatorúmque cõſeſſu.* Quod *autem*

tem paulò pòſt AVCTORARI SESE NOLEBAT, *legunt ijdem, repudiantes receptam & eandem ueterem lectionem, quæ eſt* AVCTORE SESE NOLEBAT: *in hoc quoque iudicium eorum non probo. ægre enim tulit* Balbus, *quòd cùm ante bis ille gratis pugnaſſet, poſtea autore ſeſe noluit, ideòque eum multis modis excruciatum necauit.* Quod *ſi dictio illa* DEPRESSVS *mutanda ſit*, DEPREHENSVS *malim quàm aliter: uetuſti tamen codices uulgatam lectionem retinent.*

Coniecti enim lapides ſunt in eum:) Antiquiores *nonnulli* COLLECTI. Quod *tamen erratum puto librarij, communémque lectionem potiorem eſſe iudico: nam & ad* Atticum *lib.* IIII. Q. Fratris *domus primo fracta coniectu lapidum ex area mea.* Niſi *aliquis intelligere uelit multitudinem lapides collegiſſe, ut in illum conijceret, non tamen conieciſſe.* 292 in princ.

Vllum finem:) VLLAM *ueteres codices: eſt enim & poëtis, & ijs qui proſa oratione ſcripſerunt, incerti generis hæc uox.* Lucretius *lib.* II. Et *latere ex utroque ſuperque, infráque per omne* Nulla *eſt finis.* Cicero *in principio ſtatim libri ad Caßium in melioribus codicibus,* Finem *nullam facio mihi crede Caßi de te, & de* Bruto *noſtro, ideſt de tota repub. cogitandi.* 292

Simularem planè neceſſe erat:) Miror *nullos hunc locum, ut mēdoſum animaduertiſſe, atque notaſſe. præter enim antiquam ſcripturam, quæ omnino diuerſißima eſt. unde ſi ita legas, dictio illa,* SCRIBENTI *pendet, quomodo autem altera* CONCIONIBVS *regitur?* Vtinam *tam facilè poſſemus locum ſuæ integritati reſtituere, quàm facilè poſſumus plurimis argumentis corruptum eum eſſe* 294 circa finē.

 conuenire.

conuincere. Quamuis autẽ non confidamus locum nos planè inluſtraturos, nõ pœnitebit tamen, neque ingratum fortaſſe erit ſtudioſis uiris, receptam lectionem inanem præſertim, & nouè ſuppletam coarguiſſe, & damnaſſe: alij fortaſſe, quod nobis non licuit, præſtabunt: aperta enim purgatáque plaga, facilius poteſt medicus artem ſuam explicare, & remedia adhibere. Non paruam huic claritatem adfert locus in prima Pollionis epiſtola, eandem rem tractãs. quare qui eum cum hoc contulerit, non paruum habebit aditum ad huius loci reſtitutionem. eſt autem hic, Vnas enim poſt Idus Martias demum à Panſa literas accepi, in quibus hortatur me ut ſenatui ſcribam, me & exercitum in poteſtate eius futurum. Quod cum Lepidus concionaretur, atque omnibus ſcriberet ſe conſentire cum Antonio, contrarium fuit. Nam quibus commeatibus, &c. Purgat ſe quòd non Panſæ literis paruerit, ſenatuíque ſcripſerit: conſilium enim eius non ſapiens eſſe uult, reipub.q; inutile, & maxime contrarium rationibus eius, qui ſe quæ polliceretur ſenatui, poſſe præſtare, & ad exitum perducere uellet. cum enim reſpub. ſuo exercitu in Italia indigeret, Lepidúſque cum Antonio conſentiret, ſi ipſe Pollio tam aperte ſenatui ſcripſiſſet ſe in eius fore poteſtate, autoritatémque eius uelle defendere, non potuiſſet ſuas copias in Italiam per Lepidi prouinciam traicere: nec enim commeatus ſuppeditaſſet Lepidus ei, qui contrarijs partibus palàm auxilio ueniret. Cum igitur quod Panſa ſuadebat, contrarium eſſe uelit, docet ſe recte texiſſe conſilium ſuum, bonáque mente ſemper Lepido oſtendiſſe, ſe Antonij ſalutis rationem habiturum, ut rempub. iuuare poſſet, & ut Lepidum falleret. His argumentis, & teſtimonijs ueterum codicum ductus uulgatam lectionem improbaui & eieci, ueterémque quamuis

nis inquinatam reſtitui. Quod autem poſtea mihi in mentem uenit, & tantopere mihi ſe ex omni parte probauit, ut niſi iam liber excuſus eſſet, ſic ut ſcriberent mandaturus fuerim, nunc exponam. Suſpicor pro PALMARER, *in quo tantum uerbo mendoſi ſunt priſci codices,* PALPARER *legi debere: parua omnino licentia opus eſt, unius enim tantum literæ immutatione totus locus inluſtratur. Quod autem* Palpare, & Palpari *indifferenter pro adulari, & ſubblandiri* μεταφορικῶς *dicatur, planum eſt, & à diligentißimis grammaticis animaduerſum, & notatū, tertióque caſui* SCRIBENTI *pulchre reſpondet. Sic enim &* Horatius *lib.* II. *ſermonum, Satyra prima de Cæſare* Auguſto *loquens, hoc ipſo uerbo utitur, Cui male ſi palpere, recalcitrat undique tutus.* Et Plautus *in* Amphitryone, *Obſeruatore quàm blande mulieri palpabitur. Nam quin* SIMILIS *legendum ſit, nullus (niſi fallor) reuocabit in dubium.* Dicit *autem literas ſimileis, & conſentientes concionibus, quas habebat, ut loco ſuprà citato inquit: cum* Lepidus *concionaretur, atque omnibus ſcriberet ſe conſentire cum* Antonio. *nec enim aliud* Pollioni Lepidus *ſcribebat, aliud in concionibus loquebatur, ſed ſemper in eadem mente ſe eſſe oſtendebat. ſibi conuenire, ſocietatémque eſſe cum* Antonio. *Quo magis cum tam aperte id omnibus & ſcriberet, & loqueretur, dicit ſibi opus fuiſſe* Pollio, *ut poſſet* Reip. *opitulari, ſe à* Lepido *non alienum eſſe oſtendere: ſed illi ſubblandiri, & adulari, ut poſſet ad finem optimas ſuas cogitationes perducere.*

Pontium Aquilam:) *Hic unus eſt ex interſectoribus* Cæ- 294
ſaris: quem D. Bruti *legatum hoc prælio occidiſſe his uerbis narrat* Dion *hiſtoriarum* Romanorum *lib.* XLVI. ὡς οὖν ταῦτ' ἐγένετο, καὶ πόντιος ἀκύλας εἷς τε τῶν σφαγέων

ὧν καὶ τῶν δοκίμων ὑποστρατήγων. τίτον μινάτιον πλάγκον ἀντιπολεμοῦντα αὐτῷ μάχαις ἐνίκησε. &c. pauloq́; infrà de decretis propter hanc uictoriam Romæ loquens inquit: καὶ τὸν ἀκύλαν ἀποθανόντα, ἐν τῇ μάχῃ εἰκόνι ἐτίμησαν. τά τε χρήματα ἃ ἐς τὴν παρασκευὴν τῶν δοκίμου στρατιωτῶν οἴκοθεν ἀναλώκει τοῖς κληρονόμοις αὐτοῦ ἀπέδωκαν.

Ibidem. Sed habere equitatum:) *Antiqua exemplaria*, EQVITVM: *deeſt autem nota numeri equitum: nam* EQVITATVM *omnino male in excuſis legitur. recenſet enim hic numerum copiarum: quem cum in nullo uetеri exemplari inuenerimus, notam quæ deeſſe ſignificet, adpoſuimus.*

Ibidem. Et Pupili Bagienni unà:) *Nos emendauimus* P. Bagienni: *etſi ueteres etiam codices pupilli habent. Sed mirum eſt quàm ſint fœdè corrupti omnes, quos uidimus in his compendij notis: ut locus ille in* II. *epiſtola ad* Lentulum CVI LVPVS TR. PL. QVOD IPSE DE POMPEIO RETVLISSET, &c. *in* Medicco *etiam cæteris probatiore, legatur*, CVI LVPVS TYRANNVS PVBLIO LENTVLO QVOD IPSE, &c. *Et ſic quotieſcunq; imperitus ille, & audax quiſquis fuerit notas illas compendij interpretari uoluit: quemadmodum ſæpe* C. *Cõſul interpretatur, ut eo loco ad* Appium, Ego C. Pomptinum *legatum meum* Brundiſij *expectabam. habent enim antiqui*, Ego *Conſul*. Pomptinum. & *ſic in* Mediceo *titulus epiſtolarum ad* C. *Curionẽ. ſt*, INCIPIT EIVSDEM AD CONSVLEM CVRIONEM. *item in ultima epiſtola eiuſdem libri* C. *Cœlio ſcripta locus ille*, Quod *item* C. Virgini *propinquus tuus* &c. *ſic in eodem legitur*, Quod *item Conſul* Virginius, &c. Quod *tamen*

mendum

mendum turpiter omnes ferè uulgatos codices occupauerat. Quis enim ea tempeſtate Conſul hoc nomine extitit? Sed quantum ad pupillum, alibi etiam in eo codice pro P. *pupillus deprauatè legitur, ut in epiſtola qua commendat* Bruto L. Titium Strabonem *his uerbis,* Huic in tua prouincia *pecuniam habet pupillus* Cornelius. *cum tamen uulgati omnes eo loco* P. Cornelius *habeant: quare nos tuto uiſi ſumus receptum licet errorem reijcere, & aſpernari. rem autem pluribus explicauimus, ut intelligant ſtudioſi unde hæc in prænominibus errata, quæ ſæpe mirificè lectorem perturbant, orta ſint.*

Lepidus imp. item pont.) Nos *antiquam ſcripturam in* 295 *Mediceo uix conſeruatam reſtituimus: erat enim etiam in illo prima litera eius dictionis* ITER *contaminata in omnibus his* Lepidi *titulis, ſed rubrica tantum circunducta, ut prior lectio euidenter appareret.* Petrarca *uerò, ſiue quis alius, qui ab eo exemplari librum qui eſt in* Diui Marci *bibliotheca deſcripſit, maiorem quàm debuit importunæ illi caſtigationi fidem habuit,* TER *enim ſemper habet: nos uetuſtiorem illam recipimus, & ſinceram putamus.* (Iter) *autem ut in antiquis omnibus monumentis pro (iterum) ſcriptum eſſe credimus: coniungitur autem cum priore dictione* Imperator. Nam *quoties felici aliquo prælio facto* Imperatores *ab exercitu appellati eſſent, toties in memorijs, tituliſque notabant.* Quod *ex nomiſmatibus, & lapidibus antiquis tam clarum & teſtatum eſt, ut non neceſſe ſit id magis confirmare. nam ad ſequentem dignitatem nullo modo pertinet: non enim acceptum ſemel id ſacerdotium aliquis niſi morte amittebat.* Quod *in* Lepido *hoc manifeſtum eſt: cum enim eum prouincia, exercitu, omnique dignitate ſpoliaſſet* Auguſtus, *nunquam auſus eſt pon-*

tificatum ei eripere, quem illo mortuo ſibi ſtatim aſſumpſit.

296 *Sed inermium:)* INERMORVM *habent omnes uetuſti codices, ut etiam in Ciceronis epiſtola ad* D. *Brutum eo loco, Cum paucis inermis, perterritis metu, fracto animo fugiſſe Antonium: etſi eo etiam loco uulgati codices* INERMIBVS *habeant contra omnium ueterum fidem.*

Ibidem *Vt ſint amplius equitum triginta:)* In *nullis manuſcriptis paulò antiquioribus hunc numerum, aut alium equitum* Antonij *inuenire potui. Quapropter notam quæ illum ſignificaret, à librarijs negligenter omiſſam, arbitratus ſum: eam autem ego, quæ defectum indicaret, adpoſui, quam etiam* Mediceus *codex omnibus his locis, quibus numerus deſideratur, etſi non ſimilem noſtræ, ſuam tamen quandam, & ſemper eandem habet.*

297 *In ciuibus conſeruandis:)* Nos *quam in cunctis reperi-* in fine *mus antiquioribus exemplaribus dictionem non negleximus. non enim temerè omnes uno conſenſu* OBSERVANDIS *legunt: nec ſemper oportet cunctas rariores & infrequentiores uoces condemnare & explodere: nimis enim anguſtè latos* Latinæ *linguæ terminos contraheremus, quos maiores noſtri eruditiores, & meliore iudicio præditi, ſemper ſummo ſtudio proferebant.*

AD M. BRVTVM. XI.

300 *Progreſſus ſum ad tranſalpinos:)* Veteres *omnes codi-* in fine *ces, præterea* Germanicus IN ALPINOS: *nos etiam longe meliorem hanc lectionem putantes* IN ALPINOS *legimus: non enim alpes tranſijt* Brutus, *ut cum gentibus trans alpes ſitis bellum gereret, ſed cum feris populis alpes colentibus pugnauit, eorúmq; caſtella expugnauit. In uetuſtis etiam codicibus ſic ſcriptus eſt hic locus* Suetonij *in* Au-

guſto, Item Rhetiam, & Vindelicos, ac Salaſſos gentes inalpinas coercuit. Nec deſunt qui ita quoque uerſum hunc Tibulli legant, Teſtis in alpinis Epas per natus in armis: quamuis in impreſsis codicibus longè aliter legatur.

Cum adhibuiſſet domi meæ Lupus me:) Omnes hic uul- 303
gati codices cum ueteribus concordant, quare locum ſilentio præteriſſem, niſi quidam attentare auſi eſſent, & puram lectionem inquinare, ADIISSET legendo, pro ADHIBVISSET, ut noſtra fert opinio, male. hic enim adhibere ſignificat quod alibi plenius in conſilium adhibere. Coegerat autem familiaris D. Bruti Lupus Ciceronis domi conſilium amicorum Decimi, ut illorum ſententias de re Bruti exquireret, in quod etiam Ciceronem adhibuerat. id eſt admiſerat, & receperat. ſic ad Atticum lib. II. De muro imperaui Philotimo, ne impediret quominus id fieret quod tibi uideretur, ut cenſeo tamen adhibeas Vectium. Id eſt, in conſilium uoces, rem cum ipſo deliberes: erat enim Vectius Cyri architecti libertus, ut quicquid de ædificando ſtatuendum eſſet, optimè reſpondere poſſet. In prima epiſtola ad A. Torquatum plenius, De te autem ipſo Torquate tuum eſt ſic agitare animo, ut non adhibeas in conſilium cogitationum tuarum deſperationem, aut timorem.

Eo tempore Polla tua miſit ad me, ut ad te, &c.) Nulli 304
ueteres codices AD ME habent, quare nos eorum autoritatem ſecuti eam partem negleximus. Sæpe autem (miſit) notum fecit, certiorem reddidit, ſignificat. Cicero ad Tironem, Curio miſi, ut medico honos haberetur. Ad Atticum lib. XIII. Miſi equidem ei nuntiari te quoad potuiſſes expectaſſe eius aduentum. etſi hoc eodem libro inquit, Mitte ad Lupum noſtrum, ut is nobis eas centurias conficiat.

ciat. Et *ad* Att. *lib.* IIII. *Id cuiuſmodi ſit, aut nunc ſi ſcies, aut cum is* Romam *uenerit ad me mittas uelim.*

305 *Si autem hoc tempore ab his uideatur dici cauſa ſimulationis, &c.*) Nos *hunc locum mendoſum exiſtimamus: ſed tamen quia in ueteribus nonnihil ſcrupuli erat, receptam lectionem non deleuimus: adpoſita tamen nota quaſi damnauimus, & non ſine præiudicio quodam huc ad cauſam dicendam reiecimus. Semel iam auditis utriuſque rationibus, in alteram partem magis propenſi ſumus: impreſſa lectio omnibus expoſita, & aperta eſt: uetus ut eſt, huc transfertur:* SIT AN HOC TEMPORE IS VIDEANTVR DICI CAVSA MALLE ME, *&c.* Nos, *ſi paulum eam adiuues, ſinceriorem ueterem iudicamus: arbitramur autem ex duabus illis dictionibus,* TEMPORE IS, *unam faciendam ſecundo caſu ab hoc recto, tempus, antiqua nec infrequenti ſcriptura in hoc codice, ut ad* Tironem, Dei bonei *quanto nihil illud erit amabilius.* Et *ad* Plancum, Qui *aut armis poſiteis pacem petere debent. retinet enim* Mediceus *codex ueterem ſcripturam: ut hac etiam epiſtola, quod in infinitis marmoribus notatum eſt,* LIBORE, *pro* LIVORE, *poſitum eſt.* Hoc *autem conceſſo, uel ut (hæc) pro (hoc) legas, uel contrà ſingulariter quod eſt in antiquo numero multitudinis* VIDEANTVR, *omnem hunc locum (ut arbitror) non incommodè reſtitueris.* Dictiones *autem quædam in uulgatis ſuppletæ, niſi fallor abundant.* Quod *ſi diriuſculus eſt huius loci ſenſus: conciſiórque uerborum ſtructura, huius uiri ſcriptioni attribues, qui imitabatur* λακωνισμὸν

305 *Inijciat nouitas:*) Omnes *ueteres codices* VACVITAS, *omnino melius, id eſt ſpoliatam eſſe remp.* Conſulibus: *nondum enim noui creati erant.*

Suſti

Suſtinere ſumptum:) Veteres omnes (*ſubſiſtere ſum=* 306
ptui) habent. Quam lectionem & recepimus, & proba=
uimus: intelligimus enim, Subſiſtere ſumptui, pares eſſe
ſumptui, poſſe in ſumptibus qui fiunt manere, & perdura=
re: ita quaſi me fortem præbere his ſumptibus, ut eos re=
gam, nec eorum preſſu corruam.

Dertona:) *Plinius ſanè lib.* III. *cap.* V. *Dertonam co-* Ibidem
loniam his locis memorat, cuius eadem & una eſt (ut puta-
mus) quæ Decimi Derthoma. *nam quantum ad eius uerum*
nomen Dertonámne, an Derthoma fuerit, maluimus nos
hac parte antiquorum codicum fidem ſequi, quos admirandæ
uetuſtatis habuimus, quàm uulgatos Plinij *codices. Quòd ſi*
Strabonis orthographiæ fidem habeamus, rectè uetera ex=
emplaria aſpirationem retinent: melius tamen impreßi co-
dices DERTONA, *non* Dertomam *habent: ab eo enim*
Derthon *appellatur,* ἔστι δὲ ὁ δέρθων πόλις ἀξιόλογος κει-
μένη κατὰ μέσην τὴν ὁδὸν τὴν ἀπὸ γενούας εἰς πλακεν-
τίαν ἑκατέρας διήκουσα σταδίους υ. Nam quod nonnulli
DE RHOTONIA, *rem claram confundunt.*

Meæque illæ uehementes conciones:) Nos, CONTEN- 309
TIONES *ſcripſimus, ut inuenimus in duobus illis maxi=*
mè mihi probatis codicibus, quorum ope olim Politianus
hac ipſa in epiſtola Græcas uoces abolitas reſtituit: eoſdem
enim habuimus, accuratéque ſummo otio pertractauimus.
Loca autem ab Angelo *reſtituta ab omnibus nunc recepta,*
nos quoque mirabiliter probamus.

A Gabinio Conſule relegatus eſt:) Hanc rem tangit hi 311
ſtoriarum Romanarum *lib.* XXXVIII. Dion, *non tamen*
Lamiam *nominat. ſunt autem hæc eius uerba:* ἀλλ᾽ ἦν τὰ
τῶν ἀντιστασιωτῶν δυνατώτερα οὔτε ὁ κλώδιος χρηματί=
ζειν τι ὑπὲρ αὐτοῦ τῷ νοννίῳ ἐπέτρεψε οὔτε γαβίνιος τὴν
πρόσοδον

πρόσοδον τοῖς ἱππεῦσιν ἐς τὴν βουλὴν ἔδωκε, ἀλλὰ καὶ ἕνα τινα αὐτῶν ὃς πολὺς ἐνέκειτο ἐκ τῆς πολιτείας ἐξήλατο.

313 prope finem. *Te perterrefacto:)* Vetera omnia exemplaria PERTIMEFACTO: *quæ uox, quia rara eſt, cum eam fortaſſe pro Latina non haberent, non hinc tantum indigniſſimè deiecta eſt, ſed alijs etiam ſuis ſedibus deturbata. Inuenimus nos in multis manu ſcriptis Lucretij codicibus in proœmio ſecundi libri hanc uocem iterum eandem pœnam immerito paſſam: coſcilicet uerſu, His, tibi cum rebus timefactæ religiones. eius enim loco in uulgatis* TVMEFACTO *repoſitum eſt, priore dictione importunè deleta, cuius criminis culpam putamus nos Marullum Byzantium ſuſtinere: uidimus enim eius librum, qui cum* TIMEFACTÆ *antè ſcriptum habuiſſet, in* TVMEFACTO *eam dictionem conuerſam habebat. Fuit autem Marullus admirabilis ingenij uir, & elegantiſſimus poëta, Lucretiique in primis ita ſtudioſus, & admirator, ut fere nunquam è manibus dimitteret: magnam præterea operam in eo cum fœdiſſimis mendis ſcateret, purgando collocauit, multáque feliciter reſtituit. Quandoque tamen cum nimis ingenio ſuo indulgeret, nonnulla quæ corrigere uoluit, deprauauit: parum enim manu ſcriptos codices, cum tam corruptos paſſim inueniret, ſequebatur, quæq; ſuo iudicio probaſſet, ea recta iudicans, multis locis deceptus eſt. quæ longius percurri, ægre ferens tam bonum poëtam tot uulneribus conciſum iacere, cúmque ab omnibus ametur & colatur, nullum tamen ei tam miſerè temporum iniuria manco, & detrunco opem ferre, remediúmue ullum adhibere. Quàm rectius autem ibi (timefactæ) legatur, planum credo futurum omnibus, qui accuratè totum locum conſiderarint. cum enim ſuprà docuerit, opes, nobilitatem, regna, non poſſe morbos è cor-*

pore

pore tollere, neque perturbationes ex animo poſſe demere, uult: tollit tamen omnem, qua aduerſarius uti potuiſſet rationem, niſi forte inquiens metus mortis, ſuperſtitionéſque, quæ animi morbi ſunt, perterritæ aſpectu armorum militúmque in umbratilibus pugnis concurſu fugiunt, animúmque cura, ſolicitudinibúſque uacuum relinquunt. Si enim hoc accideret, tum magnum adferrent adiumentum diuitiæ, & imperia. uerum hoc credere ridiculum, & ſtultum eſt, nam metus mortis, aliæque animi perturbationes non metuunt uim militum, contemnúntque maieſtatem regum, & imperatorum, audactérque inter eos uerſantur, nec ſpecioſas ueſtes reuerentur, id eſt nulla res eſt quæ illis timorem incutiat. Quæ omnia lectionem illam TIMEFACTÆ *confirmant. nam* TIBI *quam uim hîc habeat, puto manifeſtum eſſe, eandem ſcilicet quam habet eo Ciceronis loco ad Atticum: At ille tibi* πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ *dicens pergit Brunduſium: & alijs multis locis, ne logiores ſimus in re clara exempla adducendo.*

Aiunt enim patriam amicitiæ præponendam eſſe:) Nos ueterem lectionem, quæ multos primo aſpectu falleret: ob 321 in fine
idque fortaſſe repudiata quondam eſt, ſua ſede repoſuimus PATRIÆ AMICITIAM. *cum enim poſſumus antiquorum exemplariorum dignitatem, autoritatémque tueri, libenter facimus: ſæpius enim qui ea paruifecerunt, deceptos uidimus: hánceque eorum uerborum ſententiam credimus eſſe, Aiunt enim patriæ amicitiam proponendam eſſe, ſcilicet amicitiæ neceſſariorum. duo enim ſunt quæ quiuis amare ſummo ardore debet, patria, & neceſſarij. fatetur hic ſe diſſentire ab illis, qui præponendum eſſe amorem patriæ dicebant, amori neceſſariorum, & familiarium: cum enim nemo ſit qui non patriam diligat, & amicos ſaluos uelit,*

potius

potius uter amor præponendus ſit diſputandum eſt.

AD C. CASSIVM. XII.

324 *Pecuniæ maximæ diſtribuuntur:*) *Nos, ut in ueteribus libris inuenimus, contrario ſenſu* DESCRIBVNTVR *legimus: eſt autem deſcribere pecunias, frequens apud M. Tullium, id eſt hanc huic, hanc illi pecuniæ ſummam, quam ſoluere debeat, definire. In oratione pro L. Flacco, Deſcripſit autem pecuniam ad Pompeij rationem, quæ fuit accommodata L. Syllæ deſcriptioni. Item in epiſtola magna ad Q. Fratrem, Nomen autem publicani aſpernari non poſſunt qui pendere ipſi uectigal ſine publicano non potuerint, quod ijs inæqualiter Sylla deſcripſerat.*

326 *Qui ſiue ad me referrent, ſiue non mea tibi tamen, &c.*) *Nos contra hæc uerba mendi notam collocauimus, quæ huc reiecto lectore diligentius hunc locum animaduertendum eſſe admoneret. eſt enim in antiquioribus codicibus diminutus, luxatúſque, ut quemadmodum nunc in uulgatis legitur, à recentioribus ſuppletum putem: alij de hoc ſuo unuſquiſque arbitrio iudicabunt: nos antiquam ſcripturam in medium proponemus,* QVI SIVE AD ME REFERRENT, MEA TIBI TAMEN IN BENEVOLENTIA, FIDES'QVE PRÆSTABITVR, *ut membrum alterum defeciſſe exiſtimandum ſit. quem fortaſſe defectum in ſuis etiam codicibus cum haberent Germani, nec aliquid deſiderari putarent, uerbis his aliquantum immutatis, ſic peruerſionem hanc ſe poſſe corrigere opinati ſunt,* SI QVÆ AD ME DEFERVNT, MEA TIBI, *&c. ut in impreßis. Omnino eſt locus corruptus.*

329 *Sin, quòd dij omen auertant, oppreſſus ibi erit:*) *Tria ultima uerba in antiquis exemplaribus non leguntur, nec*

(ut

(ut opinor) legi debent, eſt enim figura ἀποσιώπησις: in=
telliguntur enim ea, quæ reſtituta erant uerba, aut quæpiam
alia quæ parem uim habeant. frequens autem eſt hæc figura
apud hunc autorem, ſed multis locis contaminata: in epi=
ſtola tamen ad Terentiam incorrupta eſt: Si perficitis (in=
quit) quod agitis, me ad uos uenire oportet: ſin autẽ: ſed ni=
hil, &c.

Vt ſi hæc ex ſentẽtia confecta eſſent, conſilio, atque au- 332
toritate tua roboraremur:) In nullis paulò antiquioribus
libris ROBORAREMVR legi: & ſanè uacat, omnis
enim periodi ſenſus ab extremo eius uerbo bis repetito
pendet, & regitur. Vt ſi hæc, inquit, ex ſententia confecta
eſſent, conſilio, atque autoritate tua niteremur: ſin quid
forte titubatum (ut fit in bello) exercitu tuo niteremur. ipſe
ſententiam, ſtructurámque uerborum ſine ea uoce pulcher=
rimè poſſe ſtare exiſtimo. Quod autem inculcauerant uer=
bum, etſi non malum eſt, non eſt fortaſſe hic ualde aptum,
certe nõ neceſſarium. Alij poſtea caſtigarunt ROBORA=
RENTVR, de rebus intelligentes, quæ quamuis ex ſenten=
tia confectæ eſſent, eius conſilio & autoritate indigere ui=
debantur, ut firmius conſtituerentur. ego in eadem ſententia
permaneo, ut melior elegantiórque ſit uetus lectio: nã hæc
poſterior meo iudicio durior, cum à rebus ad homines, & à
tertia perſona ad primam importune tranſeat.

Vt hæc nouiſſima noſtra facta non ſubita, nec inconue= 335
nientia:) Omnes antiqui codices, etiam Mediceus, CON=
VENIENTIA habent: quam uocem non recepi: nec ta=
men uiſum eſt propter librorum uetuſtatem, dignitatémque
committere, ut, ſi forte hæc melior eſſet lectio, amplius in
tenebris, ſqualoréque iaceret. nec enim eſſe debet noſtra ali-
cuius rei inſcientia damno huic ſcriptori: quod enim igno=

ramus, alios optime callere poſſe intelligimus, & credimus. Neſcio enim (ut nihil taceam eorum quæ in mentē ueniunt) an hic conuenientia, caſu orta, & ut Græci dicunt, συμβεβηκότα ſignificare poßit: nam & hunc etymon τῶν συμβεβηκότων uidetur adferre Simplicius in commentario primi libri Ariſtotelis de anima, quòd cum alio eant, & unà uadant. Hæc autē ſunt eius uerba: κατὰ συμβεβηκὸς δὲ ἴδια τὰ ἀποδεικνύμενα λέγεται κἂν οὐσιώδη ἢ ὅτι ὡς. ἄλλο ἄλλου κατηγορεῖται πᾶν δεικνύμενον, καὶ διχῶς. τοῦτο μὲν συμβεβηκὸς ὡς σὺν ἄλλῳ βεβηκός. nec tamen memoria tenemus, alibi hanc uocem hoc ſignificatu legiſſe. Peritiores totam hanc rem diligentius animaduertent: nos eorum iudicio libenter ſtabimus, petimúſque ne ſtudium iuuandi omni ratione qua poſſumus Latinam linguam, in nobis culpetur. Quid enim hæc diligentia nocere poteſt? Dictionem autem hanc, cum ſine ullo autore probare non poſſemus, reliquimus, nec tamen adeo ſpernendam cenſuimus ut hic ſaltem de ea mentionem feciſſe nobis cōcedi non debeat. Cupidus autem laudis, & gloriæ C. hic Caßius acutè, & prudenter uideri uolebat, quæ tunc honeſtè geſſerat, ſimilia eſſe illis ſuis cogitationibus quarum teſtis erat Cicero: illi enim cogitationes ſuas aperuerat, & huius rei ab eo fidē omnibus fieri deſiderabat, ne nouißima ſua facta ſine conſilio, & electione facta eſſe ab hominibus exiſtimarētur. Maximum autem argumentum eſt, ſi oſtendere uelis ea quæ rectè feceris, à iudicio, & uirtute profecta, & non à fortuna & caſu (tunc enim nō multum laudis adipiſcerere) proferre quæ ſæpe antea ſimilia feceris, uel ſaltem cogitaris, ſi perficere non potueris. Docet hoc Ariſtoteles lib. primo Rhetoric. qui uult ea quoque, quæ caſu euenerint, poſſe probare auidos laudis cum conſilio ſe feciſſe, ſi multa illis ſimilia antea ſe geſſiſſe

ſiſſe planum fecerint. Eius *uerba quæ hæc declarant,* & *ſu-*
ſpicionem noſtram non parum augent. nõ importunum ui-
ſum eſt adponere, ἐπεὶ δ' ἐκ τῶν πράξεων ὁ ἔπαινος, ἴδιον
δὲ τοῦ σπουδαίου τὸ κατὰ προαίρεσιν, πειρατέον δεικνύναι
πράττοντα κατὰ προαίρεσιν χρήσιμον δὲ τὸ πολλάκις
φαίνεσθαι πεπραχότα διὸ καὶ τὰ συμπτώματα καὶ τὰ ἀπὸ
τύχης ὡς ἐν προαιρέσει ληπτέον ἂν καὶ πολλὰ καὶ ὅμοια
προσφέρηται συμεῖον ἀρετῆς εἶναι δόξει καὶ προαιρέσεως.

Caſtra habet poſita cum uallo:) Hæc *ſunt tam inepta* 366
uerba, ut nullus labor ſit inquinata ea oſtendere. quæ enim
caſtra uerè appellari poſſunt ſine uallo? cum autem Caſtra
dixiſſet, nihil attinebat addere (cum uallo.) Veteres *codi-*
ces, Caſtra habet poſita ΠΑΛΤΩι, *quæ lectio ſincera no-*
ſtro iudicio eſt. Eſt *enim* Paltos *teſte* Strabone *libro* XVI.
τῶν γεωγραφουμένων, *Syriæ* oppidũ, Laodiceæ *uicinum. hæc*
autem eius uerba, τῇ γὰρ λαοδικείᾳ πλησιάζει πολίχνια
τό, τε ποσείδιον καὶ τὸ ἡράκλειον καὶ τὰ γάβαλα εἶτα ἤδη
ἡ τῶν ἀραδίων παλαιὰ πάλτος καὶ βαλαναία, καὶ κάρανος
τὸ ἐπίνειον τῆς ἀράδου. Plin. *etiam lib.* V. *cap.* XX. *ſic de ea*
meminit, Hic *rurſus* Syria *deſinente* Phœnice: *oppida,* Car-
ne, Balanæa, Paltos, Gabale. Palto *autem aduerbialiter, ut*
in epiſtola ad Senatum, Pacorem Orodi Regis Parthorum
filium cum permagno equitatu Parthico *tranſiſſe* Euphra-
tem, & *caſtra poſuiſſe* Tybæ, *ut omnia iam conueniant:*
Quomodo *autem* πάλτῳ *hic tertio caſu dixerit, conſide-*
randum eſt. nã ſi Latinam *conſuetudinẽ ſecutus eſſet,* Palti
ſecundum formam genitiui dixiſſet: an quia Græce *id nomen*
poſuit, Latinorum *uſum non ſeruauit? quãuis* Græci *quo-*
que aliam quandam rationem habere uidentur. Quòd *uerò*
Laodiceæ *obſeſſus* Dolabella *perierit magno urbis illius*
detrimento, docet Strabo *lib.* XVI. *de* Laodicea *loquens:*

ἐλύπησε δὲ οὐ μετρίως δολοβέλλας καταφυγὼν εἰς αὐτὴν καὶ ἐμπολιορκηθεὶς ὑπὸ κασσίου μέχρι θανάτου συνδιαφθείρας ἑαυτῷ καὶ τῆς πόλεως πολλὰ μέρη.

336 *Ita pro noſtra parte celeriter iter nobis expediri poſſe confidere:) Sic omnes, quos uidimus, & uulgati, & antiqui codices habent. Quis tamen nō uideat abundare uocem eam* ITER, *inutilitérque à librarijs quatuor literas antecedentis dictionis repetitas eſſe? agitur enim de expedienda rep. & de uictoria paranda, non de itineris expeditione, quod ridiculum eſt. iubet bonam ſpem habere Ciceronem, confideréque etiam ipſos poſſe bene rem gerere, qui in Aſia reip. partes defendebant, ut illi in Italia geſſerant. Vidēdum potius (quod puto) an in illis uerbis,* ET VOLO BENE SPERARE, *pro* ET TE *legi debeat. nam quod antè* ET VOS, *legebatur, nos antiquis codicibus autoribus deleuimus.*

Ibidem *Data Id. Iun. Acromani Iacride:) Sic omnes uulgati codices habent, meo quidem iudicio, mendosè, & nullo intellectu: Alij* CYPRO ACROMANIA CLIDE *emendarunt, interpretantúrque his uerbis caſtigationem ſuam, quaſi dixerit apud ſummam Clidem ex Ptolemæo, Plinio, & alijs: nos credere non poſſumus ſi ſummam Clidem intelligere uoluiſſet, Acromaniam dictutū fuiſſe: quæ (niſi fallimur) uox neque Græcis, neque Latinis id habere poteſt ſignificati. Clides autem duæ paruæ inſulæ ſunt ex aduerſo Syriæ. Cum autem literas datas Cypro dicat, ut certiorem locum declararet ubi eſſent (eſt enim ſatis magna inſula Cypros) locum quempiam in ea inſula narrare debuit, non extra: ſi enim extra (ut ſunt Clides) non Cypro datæ literæ eſſent. Nos ex uetuſtis noſtris codicibus, in quibus penè incorruptus hic locus eſt (legitur enim* ACROMAMYV

ACRIDE,

ACRIDE, *una tantum abundante litera* (*legimus* ACROMMYV ACRIDE. *Eſt autē Cypri promontorium* κρομμύου ἄκρα, *contra Anemurium promontorium Ciliciæ: de quo Strabo in fine* XIIII. *libri* τῶν γεωγραφουμένων: ἔφαμεν δὲ που κατὰ τὸ ἀνεμούριον ἄκραν τῆς τραχείας κιλικίας ἀντικεῖσθαι τὸ τῶν κυπρίων ἀκρωτήριον τὴν κρομμύου ἄκραν ἐν τριακοσίοις καὶ πεντήκοντα σταδίοις *Nec multò pòſt iterum*, ὑπέρκειται δὲ ἐν μεσογαίᾳ λιμενία πόλις εἶθ' ἡ κρομμύου ἄκρα. *Quod autē in Ptolemæi Latinis codicibus* CROMMION EXTREMA, *appellatum eſt hoc promontorium, pudendus eſt error interpretis, qui Geographum uertere agreſſus ſit, cum neſciret Græcis* ἄκραν, *promontorium ſignificare. nā quod ab hoc* κρομμύου ἀκρίς *uocatum eſt, diminutiua forma uoluiſſe appellare credimus, ut* νησίδας *etiam paruas inſulas eadem ratione nominant. ſi quis noſtram opinionem non recipit, ipſe meliorem inueniat: nobis ſanè ſatis certa hæc lectio uidetur, & antiquæ ſcripturæ (quod maximum eſt) ſimilis, uel potius eadem quæ illa.*

Duûm milium amphorarū:) *Nos ut habent priſca exem-* 340
plaria AMPHORVM *ſcripſimus. Græco autem more à recto* ἀμφορεύς, *ſecundo multitudinis caſu amphorûm inclinauit.*

Αχημονέστερος:) *Cuncti ueteres libri* εὐθυρημονέστερος, 344
à uerbo, quo ad Pætum ſcribens utitur, εὐθυρήμον: *ſecunda collatione, id eſt aliquantulum in uerbis liberior, & rem ipſam nulla circunſcriptione quaſi rectis uerbis deſcribens. quod cum licentiam quandam primo præ ſe ferat, nonnullis reprehendendum uidetur, etſi Stoicorum erat præceptum, ut eorū ſapiens ſic loqueretur..* ἀσχημονέστερος *enim, id eſt deformior, & turpior, fœdā potius corporis effigiē declarat.*

351 *Vt Minerua noſtra cuſtos urbis:*) *Nullus eſt* (*ut exiſtimo*) *qui neſciat Ciceronem antequam Roma exiret expulſus à Clodio, ſimulacrum Mineruæ, quod domi ſuæ longo tempore religioſiſſimè coluerat, in Capitolium detuliſſe, ibique dedicaſſe, cum in baſi inſcripſiſſet,* MINERVAE CVSTODI VRBIS. *Non tamen uiſum eſt ſilendũ, quod Dion lib.* XLV. *rem quam nunc Cicero tãgit, prodigij loco notat, necémque ipſi præſignificaſſe confirmat. magnam autem uim uentorum extitiſſe docet, multáque loca urbis ea tempeſtate deformata,* καὶ πνεῦμα μέγα ἐπιγενόμενον τάς τε στήλας περὶ τὸ κρόνιον καὶ περὶ τὸν τῆς πίστεως νεὼν προσπεπηγυίας ἐπέρρηξε καὶ διεσκέδασε. καὶ τὸ ἄγαλμα τὸ τῆς ἀθηνᾶς τῆς φυλακίδος ὃ πρὸ τῆς φυγῆς ὁ κικέρων ἐς τὸ καπιτώλιον ἀνετίθει, κατέβαλε καὶ κατέθραυσε καὶ τοῦτο μὲν καὶ αὐτῷ τῷ κικέρωνι τὸν ὄλεθρον προεδήλωσεν, τοὺς δὲ ἄλλους ἐκεῖνα τε ἐτάραττε καὶ σεισμὸς μέγας γενόμενος.

Ibidem. *Summo gaudio, & approbatione minotauri, id eſt clauis, & tauri:*) *Sic omnes recepti, & uulgati codices: quam etiam lectionem in cunctis uetuſtioribus inuenimus. Quia tamen locus obſcurus eſt, nihil certi de eo proferre poſſum: Germani pro* CLAVIS ET TAVRI, CALVISII TAVRI *emendarunt: nos nec probamus, nec dãnamus. Veruntamen quia ſæpe cognouimus illos antiquos codices ſequi, eorum lectionem non ſpreuimus: nec tamen illi ualde confidimus, res enim penitus nobis incerta eſt. Quòd ſi eam ſequare donec uel meliorem inuenias, uel hæc comprobetur: melius fortaſſe, ut unum hominem tantum intelligat & deſcribat, coniunctio illa è medio duorum illorum nominum tolleretur. quamuis nullibi legimus quempiam Caluiſium Taurum appellatum.*

Quoddam

Quoddam Græcum tempus ſeruitutis:) Sic omnes im= 352
preſſi codices: ſed nec uetuſti meliorem, aut diuerſam ſaltem lectionem habent. Germani GAECVM TEMPVS legunt, ut nos arbitramur coniectura ducti in hăc lectionem: alij, GRAVE TEMPVS. Nos in tot diuerſis ſententijs quid ſentiremus, tacere, & occulere noluimus. EGREGIVM igitur repoſuimus, nō nimis omnino longè à uetuſtis ueſtigijs, & ſententia ualde congruente: illis tamē quæ nullius antiqui codicis autoritate freti caſtigamus, non firmiter nitimur. Quod ſi hanc noſtram emendationem diſplicere ſenſerimus, nos quoque facile illam deſeremus: ſi tamen meliorem quiſpiam uel inuenerit, uel excogitarit. uerum antiquorum codicum auxilio deſtituti, quod induſtria noſtra huic loco opis adferre potuimus, libenter fecimus.

Senatus ſæpius pro dignitate tua appellaretur ſi, &c.) 353
Nos communem lectionem ſecuti ſumus: nec tamen tacere uoluimus in ueteribus APPELLARET legi: ut Senatum fortaſſe intelligat commotum gloria rerum à Cornificio geſtarum, & ſtudio in omnibus rebus illi commodandi appellaturum fuiſſe, & per ſe à nullo etiam excitatum de rebus Cornificij acturum ſi cogeretur: ſed cum abſentibus conſulibus raro, aut nunquam niſi ad rem nouam cogatur, non poteſt quæ ſentit de eius dignitate conficere.

AD C. MEMMIVM. XIII.

Cum Patrone Epicureio omnia mihi communia ſunt:) 357
Nos COMMVNIA, deleuimus, uocem à nobis in nullis antiquis inuentam. Scimus autem hăc eſſe familiarem Ciceronis locutionem, ut omnia cum aliquo ſibi eſſe dicat, cum inter eos omnia intercedunt officia. In epiſt. ad C. Marcellum, Si mihi tecum minus eſſet, quàm eſt cum tuis omnibus,

allegarem ad te illos, à quibus intelligis me præcipuè dili-gi. Et ad Atti. lib. XIIII. *Bruto certè meo nullo loco de-ero: idque etiam ſi mihi cum illo nihil fuiſſet, facerẽ propter eius ſingularem, incredibilémque uirtutem.*

359 Orcæ:) *Titulum epiſtolarum ad* Q. *Valerium, nos ex antiquis codicibus accepimus, ne parua quidẽ re ab illis diſcrepantes: quod præcipue notauimus, quia alij dixerunt ueterem codicem ſemper* ORTAE *habere, nos autem in cunctis* ORCAE *legimus uno modo, & Mediceo & reliquis.*

365 *Cuius ex familia natus eſt L. Seſtius:) Sic ferè omnes impreſſi, & antiqui codices proculdubio corruptè :* EX FILIA *enim legendum eſt.* C. *autem hic Albinius ſenator ſocer fuit* P. *Seſtij, ut in oratione pro* P. *Seſtio traditur.* Eo *(inquit) autore duxit honeſtiſſimi, & ſpectatiſſimi uiri* C. *Albinij filiam, ex qua hic eſt puer, & nupta iam filia, &c. Cum autẽ quatuor locis in hac epiſtola nomen eius ponat, ſemel tantum* Albinium *Mediceus codex nominat, cum primum de eo mẽtionem facit,* De re C. Albinij *ſenatoris. poſtea ſemper* ALBANIVM, *mutato* I *in* A, *& una ſyllaba aucto nomine, niſi* Albini *etiam pro* Albinij *antiqua orthographiæ ratione ſcriptum ſit, ut puto : in orationibus tamen etiam alijs caſibus hoc nomen triſyllabum.*

370 En hic eſt ille, &c.) *Mediceus codex & alij ueteres* EM *ſine aſpiratione,* Vt Politiani *Terentius in Adelphis,* Em *tibi reſciuit omnem rem: id nunc clamat.*

Ibidem. Ως νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα:) *Hemiſtichiũ hoc Homeri in ueteribus cunctis exẽplaribus poſt alterũ eiuſdẽ poëtæ uerſum collocatũ eſt: hoc inquam ordine:* ὡς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα, *Sed tamen idem me conſolatur, &c. ut primo uerſu narret nũquam ſibi probaſſe Præciliũ conſiliũ ſuum, nec ſibi perſuaſiſſe ut ſe cum Cæſare cõiungeret: poſtea ad-*

dat

dat rationem, cur optimum illius conſilium neglexerit, Audiebam enim, inquit noſtros proceres clamitantis ἄλκιμος ἔσσ᾽ ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ. Nunc cur accidere potuerit, ut præclarum Præcilij cõſilium repudiarit, oſtendit, curq́; nõ animo ſuo ille fidẽ fecerit. Quoniã, inquit, atra nubes ita occulebat, ut ad eũ nulla ratione penetrare potuerit.

Ἀλλ᾽ ἄγε πῶς μέμονας) Sic omnes uulgati codices deprauatè. Noſtri ueteres hac etiam parte incorrupti manent: ſunt autem Homeri uerſus λ.χ. ab Hectore pronuntiati. Eoſdem etiã in prima epiſt. IX. libri ad Att. ponit Cicero. Generoſa autem & clariſſimo uiro digna ſententia his uerſibus continetur, & quæ ignauum etiam hominem ad gloriam excitaret, & incẽderet. Horum uerſuum ſententiam uult Polybius Cleomenem illum fortiſſimum, & glorioſiſſimum Spartæ regem ſecutum fuiſſe: cum omni ſpe deſtitutus, ne aliquid ſe indignum ſuſtineret, poſtremum illud auxilium tentauit, non tam ſpe conatum illum ad finem perducendi: quàm pulchram mortẽ obeundi. Eſt autem locus egregie ab eo ſingulari autore pertratactus: ideóque non inepte puto me facturum ſi hic eius uerba, quibus totum negotium exponit, poſuero: Εἰς ἃ βλέπων ὁ Κλεομένης καὶ μοχθηρὰς ἐλπίδας ἔχων ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος παντὸς πράγματος ἔκρινε πεῖραν λαμβάνειν: οὐχ οὕτω πεπεισμένος κατακρατήσειν τῆς προθέσεως (οὐδὲν γὰρ εἶχεν τῶν εὐλόγων πρὸς τὴν ἐπιβολὴν) τόδε πλέον εὐθανατῆσαι σπουδάζων καὶ μηδὲν ἀνάξιον ὑπομεῖναι τῆς περὶ αὐτοὺς προγεγενημένης τόλμης. ἅμα καὶ λαμβάνων ἐν νῷ τὸ τοιοῦτον ὡς ἐμοὶ δοκεῖ. καὶ προστιθέμενος ὅπερ εἴωθε συμβαίνειν πρὸς τοὺς μεγαλόφρονας τῶν ἀνδρῶν, μὴ μὰν ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην ἀλλὰ μέγα ῥέξας καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. ibidem

Nam domi meæ cum Diodoro Stoico, &c.) Nos & hic 371 in fi.

& alijs multis locis emendauimus DIODOTVM: *ſæpè enim de hoc mentionem facit, ut in epiſtola ad* Varronem *cuius initium* περὶ δυνατῶν, *eo loco,* Quum noſter Dio= dotus *non concoquebat. etſi etiam loco impreßi omnes,* Diodorus *mendoſe habebant. duobus autem his locis noſtri ueteres inuiolatam ſcripturam retinent: nec tantum horum autoritate* Diodotus *ſemper ſcripſimus, ſed nullos unquam uidimus* Ciceronis *libros manu ſcriptos, qui non hoc nomen rectè ſcriptum haberent, quemadmodum contrà nullos formis excuſos qui non contaminatum.* Item *in procemio primi de* Natura *deorum,* Quod *& orationes declarant refertæ philoſophorum ſententijs, & doctißimorum hominum familiaritates, quibus ſemper domus noſtra floruit. & principes illi* Diodotus, Philo, Antiochus, Poſidonius, *à quibus inſtituti ſumus.* Diodorus *autem dialecticus, de quo loquitur ſuprà citata epiſtola ad* Varronem, *& in libello de* Fato, *alius ab hoc eſt, & tempore antiquior.*

378 *Magnum tamen eſſe ſperauit apud te meas literas pondus habituras:*) Hic *tantum admonere uiſum eſt, nos hunc locum ex antiquioribus codicibus, ut in noſtro legitur, emendaſſe.* Quam *enim cultior ſit, & elegantior à nobis reſtitutus ſenſus, & modus dicendi, nullum puto dubitaturum.* Cur *autem non anteponam integram, & genuinam lectionem nouæ & contaminatæ?*

378 Heli *negotiatus eſt.*) Nonnullis *uiſum eſt rectius hic* ELIDE *legi, quàm* ELI: *adeo ut in poſteriorum editionum codicibus ita ferè ſcriptum ſit: quod miror, cum frequenter huius uerbis nomen in obliquis caſibus parem ſyllabarum numerum cum recto habeat.* Plinius *lib.* XVI. *Sunt qui fœminam* Ilicem *uocent, atque ubi non naſcitur ilex, pro caſubere utuntur, ut in carpentarijs præcipuè fabricis, ut cir*

prope finem

ut circa Elim, & Lacedæmonem. Sed ne multò pòſt iterum. eadem ignorantia aliqui fortaſſe decepti ita emendarūt hunc locum in III. *de Natura deorum, Venus prima Cœlo, & Die nata, cuius Elide delubrum uidimus: cum in ueteribus exemplaribus ibi etiam* ELI *legatur.*

Illud quod ſupraſcripſi, id in me recipio:) Sic uulgati omnes nulla defectus ſuſpicione. Nos ex uetuſtis exemplaribus cognouimus uerbum aliquod deſiderari: nec tamen id auſi ſumus (quod non difficile fuiſſet) reſtituere: maluimus locum qua conſueuimus nota ſignare, & ita uidemur officio noſtro ſatisfeciſſe. Qui locum mancum eſſe, ferre non poteſt, is PROMITTO, IN ME'QVE RECIPIO *legat, ut ipſe in epiſtola, qua M. Varronem Bruto commendat, loquitur: uel* SPONDEO, IN ME'QVE RECIPIO*: ut in ea qua Sulpitio Curium: uel ut alij locum hunc ſuppleuerunt,* CONFIRMO, IN ME'QVE RECIPIO. *Nos in re tam parua fidem fallere noluimus, quam dedimus ſtudioſis omnibus nunquam de noſtro aliquid, niſi certiſſimis argumentis ductos repoſituros: atque id quidem raro admodum, nec ſine teſtificatione licentiæ, qua uſi erimus.* 386

Hippiam Philoxeni F. *Calatinum:) Veteres noſtri codices ſemper* CALACTINVM *habent. uidetur etiam Priſcianus lib.* II. *oſtendere diuerſa oppida fuiſſe Calate & Calacte, à quibus Calatinus & Calactinus, ut nihil peccari poſſit ſi hic* CALACTINVM *legatur. In fine tamen epiſtolarum ad Terentiam menſis Quintilis per C. ſemper ſcriptus eſt: multæ enim eo menſe ſunt datæ literæ ad Terentiam, quod uidetur potius culpa librarij commiſſum eſſe, quam ullam rationem habere.* 387

L. Luceius meus familiariſſimus:) Nos ultimam dictionē in null 388

in fine *in nullis antiquis exemplaribus inuentam, & ſane abundantem neglexim9:ſatis fuit enim* MEVS *dixiſſe, maioremque omnino uim habet meus per ſe, quàm meus familiariſsimus,* Quemadmodum elegātiſsimus poëta Catullus, meus Caluus dixit. Nam quòd hoc nomē ſemper per duo c c ſcripſimus, dedimus hoc antiquorum exemplariorū fidei, quæ cum multis locis hoc nomen habeant, nullibi non ſic ſcriptum habēt.

392 *Sumpſi hoc mihi:) Aucto uolunt ſcriptam fuiſſe hanc epiſtolā ueteres libri, non Ariſto: ſic enim eſt in illis eius inſcriptio,* CIC. S. D. AVCTO PROCOS. *Nos nihil hic à uulgatis diſceßimus, rem tamen licet paruam & minutam ſilētio præterire noluimus, cum paruo noſtro labore noſtræ & antiquorum librorum fidei rationem habere poßimus.*

393 *Quot ei Patriana ciuitas decreuit:) Nos* PARIANA *ſcripſimus cum antiquis codicibus. Parion autem ciuitas in Helleſponto, Stephano, Straboni, reliquis. Parianam coloniam his locis nominat Plinius. Miror hoc mendum tanto tempore non ſublatum eſſe. cum enim negotia quæ in Helleſponto contraxerat cōmendet, quid hoc ad Patras Achaiæ urbē pertinet? ſi ulla ratione à Patris Patrianus deduci poſſet.*

394 *Quod in longa apparitione:) Omnes, quos uidimus ueteres codices, Mediceus etiam,* APPARATIONE *habent. Vt etiam lib. primo ad Q. Fratrem locum illum antiqui itidem codices, Quos uerò aut ex domeſticis coniunctionibus, aut ex neceſſarijs apparationibus tecum eſſe uoluiſti, &c. apparitores tamen ſemper recepti codices habent.*

Milaſij & Alabandenſes:) Nos autoritate uetuſtorum codicum Mylaſeis, & Alabandeis ſcripſimus. Sunt autem Græca declinatione à ſingulari recto μυλασεύς & ἀλαβανδεύς *deducti.*

400 *In hominem tantum, & talem:) Sic omnes uulgati & antiq*

antiqui codices. Quia tamen audiui nõnullos eruditos uiros aliter hunc locum legiſſe, quemadmodum illi ſubtiliter magis quàm uerè (ni fallor) corrigebant, exponam. Legebant, inquam, illi TAM TVVM, ET TAM CALAMITOSVM, *maximè (ut opinor) in hoc conſilium impulſi, quòd ſuprà dicit ipſum proprium clientem ipſorum familiæ. nos receptam & in cunctis ueteribus, nouiſque eandem lectionem nunquam reijceremus.* TANTVM *autem eum appellare credimus, quoniam fuit uerè ſummus uir, & maxima ingenij fama:* TALEM *autem, ut ingenuos & probatos mores intelligat. Laudatur autem mirifice cunctis locis à Cicerone. Seneca quãtopere eum admiretur, & celebret, omnibus notum eſſe arbitror. Sic etiam* Balbus *locutus eſt in epiſtola ad Ciceronem, Atque hoc non ſolum in te tali, & tanto uiro ſatis habebit, ſed etiam mihi ipſe ſua conceſſit bonitate, &c.*

Vt intelligeres me non uulgariter, nec ambitioſe:) Omnia 402 *ad finem*
uetera exemplaria, VVLGARE, *non uulgariter. Quod licet non receperimus (nec enim alibi hoc aduerbium legimus) tamen hic adnotare rectum putauimus. Nam alijs etiam nominibus pro aduerbijs uſos eſſe antiquos compertum eſt, ut ſublime pro ſublimiter, & recens pro recenter. Quare non mirum eſſet, ſi hic quoque (uulgare) pro (uulgariter) ſumptum eſſet.*

Cum Tito Appio Balbo*:)* Nos AMPIO *ſcripſimus* 403
& hic, & paulò poſt, ſed alijs etiam multis locis, eorundem codicum incontaminatam fidem ſecuti.

Cærelliæ neceſſariæ meæ:) Hæc *eſt Cerellia illa cum qua* 404
familiaritatem habuit ſenex Cicero, ut non ceſſarint aduerſarij hunc amorem, laſciuáſque epiſtolas ad illam ſcriptas ei exprobrare, maximèque Q. Fuſius Calenus perpetuus Ciceronis hoſtis, ea oratione quam apud Dionem lib. XLVI.

habet

habet, dum Antonium defenderet, criminaque in illum à Cicerone conlata dilueret: cuius uerba non importune hic ponam, cum uideantur nonnihil lucis rebus Ciceronis adſerre. Eadem autem acerbitate petulanter in Ciceronem inuectus eſt Calenus, qua Cicero antè Antonij peßima conſilia, & atrocia ſcelera ſenatui expoſuit. Sunt autem hæc uerba Caleni uel Dionis potius ex libris quos Antonius contra Philippicas orationes edidit (ut puto) collecta, Τίς δ' οὐκ οἶδεν ὅτι τὴν γυναῖκα τὴν προτέραν τὴν τεκοῦσάν σοι δύο τέκνα ἐξέβαλεν, ἑτέραν δὲ ἐπεσηγάγου παρθένον ὑπέργηρως ὢν ἵν' ἐκ τῆς οὐσίας αὐτῆς τὰ δανείσματα ἀποτίσῃς καὶ οὐδὲ ἐκείνην μέν τοι κατέσχες ἵνα Κερελλίαν ἐπ' ἀδείας ἔχῃς ἣν τοσούτῳ πρεσβυτέραν σαυτοῦ οὖσαν ἐμοίχευσας ὅσῳ νεωτέραν τὴν κόρην ἔγημας πρὸς ἣν καὶ αὐτὴν τοιαύτας ἐπιστολὰς γράφεις οἵας ἂν γράψειεν ἀνὴρ σκωπτόλης ἀθυρόγλωσσος πρὸς γυναῖκα ἑβδομηκοντούτην πληκτιζόμενος. *Nam quòd epiſtolas Cicero Cerelliæ ſcripſerit, etiam Quintilianus lib.* VI. *narrat his uerbis etiam illud quod Cicero Cerelliæ ſcripſerit, reddens rationem cur illa C. Cæſaris tempora tam patienter toleraret. Hæc aut animo Catonis ferenda ſunt, aut Ciceronis ſtomacho.*

AD TERENTIAM VXOREM XIIII.

410 *Quò neque Hypſo ueniret, nec milites:) Nos uulgatorum codicum lectionem non mutauimus, quia nihilo meliorem in uetuſtis inuenimus. eſt autem nobis obſcurum quis hic Hypſo fuerit, quem fugiebat. Mediceus, & Petrarcæ codex* IPSO *habent pro* HYPSO: *eruditiores hunc locum diligentius uidebunt.*

415 *Salluſtius officio uincet omnes ſpes. Cennius, &c.) Nos*

ex

ex duabus dictionibus unum nomen confecimus, ſcilicet Peſcennius, magis receptæ lectionis uitio offenſi, quam à ueteribus exemplaribus adiuti. Cum enim de officio, quod erga ſe in tam aduerſa fortuna præſtabant amici, familiaréſque, loqueretur, dicit (ni fallor) ſe ita animatum uidere Salluſtium, ut ſperet illum officio ſuperaturum eſſe reliquos amicos. Quid enim hic SPES *ſignificet? niſi ſatis ineptam meo iudicio ſententiam ex his uerbis elicias, ut dicat nunquam de Salluſtio ſe tantum ſpei habuiſſe, quantum ille oſtendit nunc re ipſa, & aßiduis officijs. Magis autem priore ſenſu delector horum uerborum, ut facta comparatione officiorum cæterorum domeſticorum & Salluſtij, pronunciet illum reliquos officio uicturum. Germanus etiam codex in margine ita emendat.*

Quòd noſtra tibi gratias agit:) V*idendus accuratius lo-* 416
cus obſcurus: nihil ſanè à recepta diſcrepat antiqua lectio, ut mendum difficilius ineſſe credi poßit. Quam tamen intelligat NOSTRAM, *non planè perſpicio, niſi* TULLIAM *ſignificet, quod puto. De rebus autē domeſticis, cum uxore, ſuiſque loquens non mirum eſt rem tātum indicaſſe; quod etiam ſuprà facit, cum dicit, quomodo ſatis fiat ei nec tamen nomen ponit cui ſatisfieri cupiebat. Nam, quòd* VIDEATIS & SCITIS *ſcripſimus, quod uulgati libri unitatis numero habebant, antiquos codices ſecuti ſumus, qui etiam hanc lectionem confirmant titulo epiſtolæ. ſic enim eſt in illis huius epiſtolæ inſcriptio,* SUIS S. D. V*t penè peccaſſe mihi uidear, quòd ab illis etiam hac parte diſceſſerim. nam dubijs temporibus ſcripta epiſtola uidetur uoluiſſe, ſi in alienas manus incidiſſet, à nullo cuius, & ad quos ſcripta eſſet, quibúſque de rebus ageret intelligi poſſe, ideóque non apertè, ut ſolet, ſcribit. Cum tamen ad ſuos ſcribat, qui & manum eius*

agnoſcerent, & res quas innueret, optimè callerent, non neceſſe fuit apertius ſcribi.

417 Χολὴν ἄκρατον) Alciphron etiam χολὴν ἄκρατον *appellat in epiſtola Callipidis ad Cnemonem his uerbis,* ἔσται δ’ ἔξεσι ὁ αὐτὸς οὗτος θεὸς καὶ παιὼν καὶ ἀπολύσει σε τοῦ ἀκράτου χολῆς οἴνῳ σβέσας τὸ τοῦ θυμοῦ ὑπέκκαυμα. *hortatur autem ut triſtitiam, acerbitatémque animi deponat, quod pulchre faciet, ſi ludos Bacchi celebrans, dei illius muneribus uſus meram bilem diſcuſſerit. fuit autem Cnemõ non minus, quàm Timon ille Athenienſis, humani generis oſor, ut ambo appellati ſint* μισάνθρωποι. *Ariſtoteles etiã* III. *Meteororum Irim* ἄκρατον *appellat: quam tamen cur appellarit* ἄκρατον, *dubitat interpres ille, qui nunc Alexander Aphrodiſius fuiſſe creditur. ſunt autem hæc eius uerba,* σημεῖον παραλίθεται ὅταν ᾖ νέφος μέλαν· σφόδρα τό τε μάλιστα ἄκρατον γίνεσθαι ἶριν τελέσι μὴ παρεμφαίνουσαν ἄλλο τι χρῶμα ἀλλ’ ἐπὶ τῶν τριῶν μένουσαν. Et paulò pòſt δύναται δὲ ἄκρατον ἶριν λέγειν τὴν μάλιστα ἔχουσαν τρανὰ καὶ διηκριβωμένα τὰ προειρημένα χρώματα. *quæ tamen diuerſæ expoſitiones in unam redeunt. neceſſe eſt enim ut quæ nullis alijs coloribus permixta ſit, ſed ſuos tantum & proprios, meros, puróſque habet, clariores eos, apertioréſque habeat, & magis expreſſos. ſed hoc quidem notauimus, ut uideãt omnes quàm propriè & eleganter Græco ſermone utatur Cicero.*

421 De Venuſio:) *Mediceus codex,* DE VENSINO, *nos de Venuſino ſcripſimus, unius literæ defectum illum habere arbitrati.* Petrarcæ *ſane liber (*De Venuſino*) habet: nam (*de Venuſio*) nullo pacto probamus.* Venuſia *enim hæc urbs appellatur, non* Venuſium *neutro genere. præterea non adpoſuiſſet præpoſitionem ciuitati, ut ſuprà.* Dat. pr. Non. Nouemb. Brunduſio*: & alij infinitis locis.* Quod

murem

autem in hac ipſa paruula epiſtola bis deleuimus FAC, *tribuimus id & antiquorum codicum autoritati, & familiaris ſermonis cōſuetudini. ſæpe enim huiuſmodi uoces elegantius deſiderātur: nam & facile intelligi poſſunt, & breuitatem ſermonis adiuuant. quàm autem ſæpe ſic Cicero, & comici maxime loquantur: quia crebra ſunt exempla, non longior ero id oſtendendo.*

AD SENATVM. XV.

Literæ redditæ ſunt à Tarcondimoto:)Dion Tarcon- 423
domotum hunc regulum appellat: nam apud alios autores aliquantulum hoc nomē librariorum uitio (ut puto) uariatū reperias. De clementia *Cæſaris loquens* Dion *lib.* XLI. *ſic argumentatur*, τεκμήριον δὲ ὅτι σανδάλου μὲν τοῦ θρακὸς καὶ δηιοτάρου τοῦ γαλάτου καίτοι καὶ ἐν τῇ μάχῃ γενομένων ταρκονδιμότου τε ἐν μέρει μέν τινι τῆς κιλικίας δυναστεύοντος πλεῖστον δὲ αὐτῷ πρὸς τὰ ναυτικὰ βοηθήσαντος ἐφείσατο.

Amicóſque in patris eius fide, atque iudicio probatos 426 ad finem.
&c.)Hoc loco ueteres codices manci ſunt ad unum omnes, ut ſuſpicer hunc locum, ut multos alios reſtitutum eſſe, ſuppletúmque ab aliquo arbitrio ſuo potius, & coniectura, quàm ueterum, & integrorum codicum auxilio. Nos tamen nulla re uulgatam, & receptam lectionem permutauimus, ſuſpectum tamen mirum in modum habemus: nec enim ualde ſincerus ſermo nobis uidetur IN PATRIS EIVS FIDE ATQVE IVDICIO PROBATOS. *Quid enim facit ibi præpoſitio illa* IN? *nobis ſanè omnem ſenſum (ſi legitima alia uerba ſint) perturbare uidetur:* PATRIS IVDICIO PROBATOS, *optima nobis locutio uidetur:* FIDE *non ita. uideant quæſo hunc locum accuratius doctiores, elegantioréſque uiri: niſi fallor,*

parum hunc ſermonem probabunt: ἄκυρος enim profecto
eſt, & male cohærens. nos tamen nihil aliud quàm ſuſpi-
cionem adferimus. cum fide tãtum antiquam multorum co-
dicum ſcripturam proponemus: quæ fortaſſe ſi diligentius
animaduerſa fuerit, magno erit adiumento ad ueram lectio-
nem inueſtigandam. eſt autẽ hæc, AMICOSQVE IN
PATRIS EIVS, ATQVE IVDICIO PRO-
BATO HORTATVS SVM, *&c.*

430 *Et toto ijs, qui nouari aliquid uolebant:*) *Hæc erat uul-*
gatorum omnium, necnon antiquorum corrupta profecto
lectio: alij alijs modis emendarunt, nonnulli ET PECV-
NIA PARATVS ET SOCIIS *legunt. Quidã,*
ET PECVNIA PARATVS, ET ANIMO.
Nos etiam pro uiribus conati ſumus hoc mendum corrige-
re, & in re tam incerta, & in qua omnes laborarint. ſibiq́;
indulſerint, nõnihil nobis permiſimus: abundare enim cen-
ſuimus ex priore monoſyllabo acceptam priorem literã ſe-
quentis dictionis, & eandem literam inter duas uocales ſi-
tam, ex I, *importune* T, *factam. nam paruam illam lineam*
quæ elemẽtum id commutat, exiſtimauimus ſupra tres illas
uocales adponi debuiſſe, ſic, O I O, *ut nota eſſet quæ com-*
pendioſam illam dictionem perficeret, ut OMNINO *ſigni-*
ficaret. nos hac coniectura ducti, auſi ſumus ita locum reſti-
tuere. nam quin ſententia egregia ſit ſi ita legas, nullum pu-
to contradicturum: minus etiam à priſcis ueſtigijs declina-
uimus, ut quiuis exiſtimare poteſt.

431 *Intercluſi reliqui, Fugeranam autem, &c.*) Nos hoc lo-
co Mediceum codicem, ut probiorem, integrioremque, ſecuti
ſumus: nullum enim meliorem, minúſue corruptum inueni-
mus. Quare cum hic noſtrum librum legis, puta te miræ ue-
tuſtatis exemplar ante oculos habere. Confugio autem hic

ad

ad uetuſtatem,fidémque antiqui codicis.ſunt enim hæc tam minuta caſtella,ut uix alibi reperias nomina eorum,ut poſſit aliorum ſcriptorum teſtimonio confirmari ueræ lectionis integritas. Vox illa RELIQVI, in nullis eſt antiquis,& profecto abundat:dicit enim ſe pleróſque nec opinantes oppreßiſſe,qui occiſi,captique ſunt interclusi fuga. Quos enim fuga ſubito aduentu intercluſerunt,hi occiſi, captique ſunt.docet autem quomodo capi,occidíque potuerint.non enim illis fuga patuit in caſtella,obſtructis à militibus uijs.Intercludi fuga,ut Intercludi commeatibus,dictum eſt.Eranam autē uicum.ſeu urbem(ut uult Cicero,ut ſe magnas res geßiſſe oſtenderet)nullibi memini me legiſſe.

Etſi non modo unus,uerum etiam multi &c.)Nos autoritate ueterū codicum,& ratione ducti,NON MODO OMNES emendauimus. Si inquit,omnes eſſent Catones in ciuitate noſtra,plus me putarē aſſecutum eſſe,poſtquam à te laudatus ſum,quàm ſi mihi triumphus decretus fuiſſet. ſed quid dico omnes? ſi multi eſſent Catones(minus autem eſt multi,quàm omnes)eiuſdem ſententiæ eſſem,ut currum, laureámque præ tua laudatione contemnerem. Cum autem nedum omnes,aut multi ſint Catones,ſed uix unus fuerit, oportet etiam me reliquorum rationem habere,qui non rectè,incorruptéque res iudicant:nam eorum quoque exiſtimationem de me magnifacere debeo,cum uelim famā & dignitatem meam Clodianis temporibus perculſam & labefactatam inſtaurare:apud quos ſi uiderint me à ſenatu ornatum,triumphóque decoratum,rurſus ut ſolebam,florebo:ſin autem eo honore indignus exiſtimabor,nunquam maculam illam delere potero.In longa autem ad ipſum epiſtola cauſam exponit quare uelit uel cupiat potius triumphare:ad ſanandum uulnus iniuriæ ſcilicet aptißimum triumphum 436

k 2 eſſe

eſſe ſibi iudicãs: quam etiam cauſam ad Atti. *adfert lib.* VI. *his uerbis*, Amicorum *literæ me ad triumphum uocant, rem à nobis (ut ego arbitror) propter hanc* παλιγγενεσίαν *noſtram non negligendam. uidebatur enim ſibi poſt integrè adminiſtratam prouinciam quaſi exoriri, iterúmque naſci: nec enim cenſebat aliter poſſe ſe acceptas iniurias delere ex animis hominum niſi ſummis poſtea honoribus ornatus eſſet, antiquáſque laudes ob conſeruatam patriam ſibi meritò tributas renouaſſet.* Si *autem omnes, aut multi ſaltem (gratius omnino, meliúſque fuiſſet ſi omnes) eo iudicio, quo* Cato *eſſent, non opus ſibi eſſe* Cicero *exiſtimaſſet nouis* Senatus, *populique de ſua laude iudicijs. ſciret enim in animis eorum nunquam ſuam laudẽ imminutam eſſe, caſúmque illum ſuum ab ipſis reipub. calamitatẽ ærumnámque potius, quàm ſuam habitum eſſe.*

444 *Cum hæc tertia iam epiſtola ante te oppreßit:)* Nos *cum antiquis codicibus* ANTE OPERIS SIT *ſcripſimus, eleganti (ni fallimur) ſenſu: etſi nos intelligimus eruditos uiros, ut in alijs quibuſdam, receptam lectionem ſecutos, eodem modo dicendi uſos eſſe, ut qui antiquam ſcripturã nõ uidiſſent: illam enim, ut opinor, magis probaſſent.* Puto *te ſuppudere, inquit, cum hæc tertia iam epiſtola ſit operis, id eſt opus, uolumenque penè conficere poßit, quam tu ſchidam, aut literam.* Hæc *enim infrà poſita nõ reſpondent numero epiſtolarum, ſed magnitudini ſuarũ iam trium: illius ſe mirari dicit ne ſchidulam quidem habere, aut literã.* Scidulam *autem ut in antiquis libris ſemper inuenimus, ſcripſimus ſine aſpiratione, licet à uerbo* σχίζω *uideatur deductum eſſe nomen. alia autem ſunt nomina à* Græcis *deriuata aſpiratam literam habentibus, ipſa tamen non retinent.* Sic *autem & in epiſtolis ad* Atticum *hoc nomen ſcriptum inuenimus*

mus libro primo, Enitere per amicos, clientes, hoſpites, libertos denique ac ſeruos tuos, ut ſcida nequa depereat. Et in Plinianis *uetuſtis codicibus. Alij autem (ſcedam) ſcribunt, ut hic omnes uulgati codices habebant, quod non tam probo.*

Κατ᾽ ἔδη ἢ φαντασίας:) Antiqui codices aliter, nec tamen, ut putamus, incorruptè, ſed longè minore errato, κατ᾽ εἴδων φαντασίας. Nos duas literas in medio defeciſſe arbitrati pro εἴδων, εἰδώλων ſcripſimus. Putabāt enim Epicuræi, ut infrà copioſe diſputat, nō aliter nos de aliquo abſente cogitare, niſi ſimulacrorū, ſpectrorúmue phātaſijs impulſi. Quod cū apertius hac epiſtola diſſeratur, planúmq; omnibus mediocriter doctis ſit, à nobis longius non tractabitur. 444

Catius inſuper Epicuræius:) Sic omnes uetuſti, & impreſſi codices. Quidam nuper INSVBER *emendarunt, quam nec damnamus, nec ſequimur adhuc lectionē: nuſquam enim patriam eius, regionémue, in qua ortus eſſet, inuenimus. Eſt autē Catius ille, de quo Horatius in Satyris: nam per Gargettium Epicurus intelligitur à loco ubi natus, Laërtius in principio eius uitæ,* ἐπίκουρος νεοκλέους καὶ χαιρεστράτης ἀθηναῖος τὸν δῆμον γαργήττιος, γένους τοῦ τῶν φιλλίδων. *Statius etiam eundē, ſenem Gargettium appellat.* Ibidem prope finem:

Quod uelis ipſa currunt:) Quis nō uideat hunc locum deprauatum eſſe? & tamen omnes codices ſic habent. Germanicus tātum pro CVRRVNT, OCCVRVNT *habet. Nos uocem illam* VELIS *in duas diuiſimus dictiones, ut à principio fuiſſe credimus, uitióque poſtea librariorum compactas, ut ſit,* VEL IIS. *ſæpe autem, cum duæ hærent uocales, in antiquo codice una tantùm ſcribitur, ut alibi adnotauimus. Adfert autem rationem, quare difficilius credat nos de aliquo cogitare occurſu ſimulacrorum, quam* Ibidem.

eorundem incurſu uidere quippiam (uidere autem nos διὰ τῆς εἰδώλων ἐμπτώσεως cenſebant Democritus & Epicurus: quod in epiſtola ad Atticum etiam oſtendit Cicero, in qua diſputat de feneſtrarum anguſtijs) Quod ſi inquit his ſpectris oculos feriri poſſe conceſſerim (uix autem hoc concedit, ut ſpectra cum ſint tam εὐπαθῆ oculos ferire poßint) ſed ſi cõceſſerim inquit, uidebor aliqua ratione facere, quòd ſaltem oculis ſpectra occurrunt, ut poßint τῇ ἐμπτώσει & occurſu uiſionem conficere, & excitare. Quomodo autem animus & διάνοια feriri poßint, nõ uideo. non enim ſpectra animo, ut oculis occurrunt: qua enim ratione corpus penetrare poſſent? frangerentur enim εὐπαθῆ ὄντα. Libro autem primo de finibus hanc eandem rem tangit, Imagines quæ εἴδωλα nominant, quorum incurſione non ſolum uideamus, ſed etiã cogitemus. Etſi antè uulgati deprauatè INCVRSIONEM *legebant. Sunt autem uerba Ciceronis contra L. Torquatum, qui Epicuri diſciplinam ſectabatur diſputantis. ubi etiam minus ueriſimile eſſe putat nos incurſione & ἐμπτώσει ſimulacrorum cogitare quàm uidere. De occurſu autem ſimulacrorum hac ipſa epiſtola paulò pòſt: ut prorſus hanc uerã eſſe credam huius loci lectionem, deprauatam autem ab aliquo, qui has Epicuri rationes (quòd nunc amißis eius diſciplinæ libris, obſcuræ ſunt) ne guſtaſſet quidẽ. Qui tamen ut Ciceronis infinita loca intelligat, atque Lucretiũ candidißimum poëtã legere poßit, non penitus rudis eius diſciplinæ eſſe uult, Epicuri uitã à Laërtio perſcriptam legat, ubi fere omnes illius ſentẽtias, decretáque ipſius uerbis explicata colligit. Liber autem primus de finibus, & non parua pars ſecundi, ex uerbis penè Epicuri contexti ſunt, à Cicerone ſummâ fide, & elegantia conuerſis.*

445 *Alteras habebis, has breues:) Nos putamus punctis malè diſtin*

diſtinctas eſſe has dictiones: ut longè diuerſum ſenſum præ ſe ferant à uero, niſi fallimur: non enim Alteras *habebis, intelligimus, quòd alias longiores, plenioréſque nunc polliceatur, idéóque æquiore animo uelit ferre illam harum breuitatem: nam id paulò pòſt largè promittit uerbis illis,* Sed *expecta* πάντα περὶ πάντων. *ſed ignoſci ſibi uult, quòd hæ non ſolum breues ſint, ſed alias etiam antè breues acceperit, ut hæ ſint iam ſecundæ literæ ad eum ſcriptæ breues.* Quo *magis poſtea liberalius ſpondet, ſe copioſe omnia perſcripturum: uidebatur enim ſibi nonnihil culpæ admiſiſſe, qui iterum iam breues miſiſſet: ut ſi* Alteras *has habebis breues, dixiſſet, nullus ſcrupulus fuerit. interpoſita autem uox illa* HABEBIS, *locum obſcuriorem facit, ſed eſt elegantiſſimus modus dicendi, à Cicerone crebro uſurpatus, ut lib. x. ad Atti. tres dictiones in medium inculcauerit.* Alteram tibi eodem die hanc epiſtolam dictaui. *Lib. autem* XIII. *ordine permutato,* Has alteras hodie literas, *dixit: ut etiam lib.* IIII. Nam ut ueni Romam, iterum nunc ſum certior factus eſſe cui darem literas: itaque has alteras dedi, prioribus tibi declaraui, &c. *Vt nihil ſcrupuli reſtet quin hic per has alteras, ſecundas ſignificet.*

Tamen ad te ſcribam aliquid, Nos hic D. Syllam patrem, &c.) *Omnino elegãtius in antiquis codicibus. quemadmodum nos ſcripſimus, legitur hic locus: ut uerba illa* TAMEN AD TE SCRIBAM ALIQVID, *ſint poſt duas illas dictiones,* NOS HIC. *Cum enim ſuprà dixiſſet non opus ſibi eſſe excuſatione cum Caſſio, nec debere ſe illi purgare, cum inanes ab eo ueniant tabellarij, ad eúmque cum epiſtolis reuertantur, quaſi hoc loco finem epiſtolæ facere uoluiſſet: imprudenter tamen addit,* NOS HIC, *principium narrationis. idéóque ſtatim co-* 445

gnito errore infert. Tamen ad te ſcribam aliquid. *ſe caſtigans quòd propoſitum mutauerit: quaſi dicat,* Non *tamen potui, ut decreueram, me continere quin aliquid ad te ſcriberem.* Nos *profectò hanc lectionem argutiorem politioremque putauimus: inuentámque in priſcis exemplaribus nullo pacto prætermittere debuimus. Speramus etiam eruditos ingenioſóſque multo hanc magis uulgata probaturos eſſe.*

446 *Si* ἀχχεῖος πίλος *fueris:*) Nos *deletis his ineptiſsimis uerbis, cũ antiquis codicibus* ἀκενόσπουδος *ſcripſimus, una tantum parum peruerſa litera,* In *illis clara hæc erat ſcriptura, ut mirer unde* Græcas *illas uoces eruerint: quæ in uulgatis nihil prorſus quod hic quadraret ſignificantes, legebantur.* Cicero *ad* Atti. *prima noni libri epiſtola, nimiam ſuam diligẽtiam in rebus inanibus, & nullius momenti inueſtigandis taxans,* Sed *hæc fortaſſe* κενόσπουδα, *dixit, ut non debeat maius ſtudium in illis inquirẽdis poni.* κενόσπουδος *autem* Suidæ *eſt, qui in rebus inanibus leuibúſque ſtudium ponit: ut quid hic* κενόσπουδος *ſignificet, dubiũ non ſit, elegans prorſus uerbum, & quod ſolum declaret ſententiã, quæ niſi pluribus uerbis* Latinè *exprimi non poſſet.*

446 *Si* φαιδρὸν *aliquem habuiſſet:*) Antiqua *exemplaria* φλύαρον *rectè.* φλύαρος *enim* φλήναφος καὶ λῆρος *ut docet* Suidas, *quod pulchre reſpondet ſequenti* Græcæ *dictioni.* Longior *inquit epiſtola fuiſſet. ſi nugas fabuláſque habuiſſet aliquas, quas iocosè ſcribendo pleniorem epiſtolã feciſſem: de rebus enim ſerijs uix ſine periculo agere poſſumus, quod tẽporum iniquitate accidebat. opponitur autẽ* σπουδάζειν *iocis, riſui, nugis, ut exprimit* Ariſtophanes σκώπτειν πειρᾶ καὶ κωμῳδεῖν τοῦ σπουδάζειν ἀμελήσας: *ut nihil de loci huius integritate dubitari poſsit.* Quod *autem paulò*

pòſt

pòſt in eadem epiſtola legitur: ET QVIDEM IN CVLINA MEA MOLESTA EST: uerba alicuius poëtæ uidentur: nullibi tamen ea me legere memini: nos autem nihil mutauimus: inuenimus enim hoc loco antiquos codices cum uulgatis conuenire: quare tantum librorum conſenſum condemnare temerarium uiſum eſſet. Scimus alios alijs modis emendaſſe: cum autem docuerint quo conſilio, autoritatéque hoc fecerint, nos ſentẽtiæ illorum ſubſcribemus: uerum dum nihil certius adferunt, non peccare nobis uidemur (ut in malis) qui antiquorum codicum fidem ſequamur.

Ἡδονὴν uerò & διαξίαν:) Sic omnes habebant uul- 447
gati codices, prorſus mendoſè. Germani uidentur exemplar habuiſſe, quod minus incorruptum hunc locum conſeruarit: credimus enim illos, ut teſtati ſint, ex uetuſto codice collegiſſe, quas in marginibus collocarunt, lectionum uarietates: ἀταξίαν enim legunt. Quod ſi in medio ſyllabam unam reponas, errore librariorum (ut puto) omiſſam, rectiſſime hic locus reſtitutus erit. nec mirum uideri debet in Latinis libris antiquitus exaratis Græcas uoces aliquantum peruerſas eſſe, & inquinatas: cum enim ſermonem illum ignorarent, uix poterant ab erroribus cauere: uidemus enim illos quaſi deſcripſiſſe, pinxiſſéque Græcos characteres non negligenter, ſi conſideres eos eorum quæ ſcribebant ſententiam non percepiſſe. Quod ſi quandoque aliqua deſunt, aut abundant, uenia digni ſunt: ego potius miror quomodo potuerint tam integras Græcas uoces effingere eius linguæ rudes: ſed de hoc nimis. ἀταραξίαν inquam facies, quam genuinam eſſe hic uocem puto, & antiquis ueſtigijs propinquam, & ſententiæ ipſi optimè quadrantem. Nam diuiſerat Epicurus uoluptates, ut quædam illarum in motu, quædam in ſtatu eſſent: ſed hæc uerbis ipſius Epicuri, quæ

apud Laërtium *ſunt, melius declarabuntur. ſic enim* Laër*tius dicit:* ὁ δ᾽ ἐπίκουρος ἐν τῷ περὶ αἱρέσεων οὕτω λέγει, ἡ μὲν γὰρ ἀταραξία καὶ ἀπονία καταστηματικαί εἰσιν ἡδοναὶ, ἡ δὲ χαρὰ καὶ εὐφροσύνη κατὰ κίνησιν ἐνεργεία βλέπονται. *quam etiam diuiſionem percurrit* Cicero *lib.* I. *de finibus his uerbis,* Non *enim hanc ſolam ſequimur, quæ ſuauitate aliqua naturam ipſam mouet, & cum iocunditate quadam percipitur ſenſibus, ſed maximam illam uoluptatem habemus quæ percipitur omni dolore detracto, &c. Sæpe autem eſt* ἀταραξία *in ſcriptis* Epicuri*: nam hoc præcipuè nomine tranquillum illum ſtatum hominis declarat, quo uiuus omni perturbatione degit. ut qui antè nos* ἀναλγησίαν *emendarant, cum locum corruptum eſſe in uulgatis animaduertiſſent, nihil laborantes circa antiqua ueſtigia, ſententiámque tantum ſecuti, non penitus aberrarint: noſtra tamen lectio uerior, ut quæ ex antiquis exemplaribus eruta ſit: & nomen illud habeat quo præcipuè uteretur ipſe* Epicurus*: nam qui* λείαν κίνησιν *emendarunt, multo audacius & improbius fecerunt: lenis enim motus, interpretatio eſt uoluptatis, ut idem ſit* ἡδονὴ *&* λεία κίνησις. *uoluit autem* Caßius *utranque uoluptatem declarare: per* ἡδονὴν *enim hic uoluptatem in motu intelligit. neceſſe igitur eſt uocem, quæ ſequitur, uoluptatem eam quæ detractis perturbationibus percipitur ſignificare.* Qui *autem* εὐεξίαν *repoſuerunt, conati ſunt ex corruptis illis characteribus, qui uulgò legebantur, uicinam, & ſimilem uocem elicere: ſed nimis ſe rudes rationis* Epicuri *oſtenderunt: & nedum* Epicuri *rationem expreſſerint, uix idoneam ſententiam effinxerunt. cum enim* εὐεξία *ſit bona corporis habitudo: quomodo ullus unquam proferret eam uirtute, iuſtitia, dignitate parari; cum uoluptas, ſecuritaſque ex his uirtutibus*

bus

bus in animis hominum gignatur?

Catij & Amaſinij:) *Vetuſti codices*, AMAFINII: 447
etſi noſter aliter operarum uitio habet: ſcilicet AMAFA-
NII. *C. enim Amafinius* Epicuri *diſciplinam ſectatus
edidit libros quieam ratione explicarent. nam de Catio ex*
Horatio *præcipuè notum eſt: etſi hi uidentur fuiſſe ex illis
quos legitimi* Epicurei σοφιστὰς (*ut ait* Laërtius) *ſoliti
eſſent appellare: degenerabant enim nonnihil ab* Epicu-
ri decretis, & ut inquit Caßius, mali erant Epicuri *uer-
borum interpretes. Amafinij multis alijs locis Cicero men-
tionem fecit, etſi ferè ſemper hoc nomen corruptum ali-
quantulum eſt in proœmio lib.* IIII. *Tuſculanarum quæ-
ſtionum bis Amaſanium appellat: ubi tamen manu ſcripti
codices Amafinium habent*, Cum interim illis ſilentibus
C. Amafinius extitit dicens. *Et paulò pòſt*, iterum. *Nos
cum tot antiqui & probati codices concurrant*, AMAFI-
NIVM *legi debere exiſtimamus. ſed cum hoc loco* AMA-
SINII *antè in cunctis libris ſcriptum eſſet, alijs uerò
multis locis in Cicerone* Amaſanius: *quis unquam putaſſet
eundem intelligi debere? Non parum igitur hæc menda, quæ
alioqui minuta uidentur, ſæpe tenebrarum offundunt, ut
omnia animaduertere non inutile, nec ineptum negotium
eſſe uideatur.*

AD TIRONEM XVI.

Cura te mi Tiro:) *Nos auxilio uetuſtorum codicum* 454
bis CVRA *ſcripſimus, nota figura, & quæ oſtendat ma-
iore quodam affectu pronuntiata eſſe hæc uerba. Quod ue-
riſimile eſt cum tantum de ſalute* Tironis *ſolicitus eſſet.*
Ariſtoph. *in* Ranis *non ſemel ſic locutus eſt*, ϖρᾶγμα
ϖρᾶγμα γὰρ κεκίνηται μέγα ἐν τοῖς νεκροῖς, καὶ στάσις
ϖολλὴ

πολλὴ πάνυ. item ἄρν' ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε. Sed tam frequens eſt apud poëtas & oratores hæc figura, ut omnes ſciant, uim quam habet, eiúſque elegantia capiantur. ſæpe tamen (quod incommodè accidit) uitio librariorum deleta eſt: qui cum in exemplari eandem uocem repetitam uiderent, mendum eſſe putantes, ſemel tantum ſcribebãt.

455 in fine Magnæ nobis eſt ſolicitudini, &c.) Nos ſecuti antiquorum codicum fidem, qui in hoc omnes conueniebant, hanc epiſtolam Q. Ciceroni reſtituimus. nam etſi quaſdam coniecturas quæ id confirmarent adferre poſſemus, ſatis eſſe putauimus librorum uetuſtatem, & teſtimonium, ut ſuum unicuique reddatur. Quod autem in cunctis impreſſis antè legebatur: Q. FRATER TIBI SAL. DIC. nos cum iiſdem codicibus ſcripſimus Q. F. TIBI SAL. DIC. F. autem, filium ſignificare non fratrem, nemo eſt qui neſciat.

Ibidem. Ad Caſſodem:) Vetuſta exemplaria CASSIODEM. Nos erratum unius literæ in illis eſſe exiſtimauimus, & CASSIOPEM reſtituimus: de quo portu Strabo lib. I. ἐν τούτῳ δ' ἐστὶ τῷ διαστήματι πάνορμος τε λιμὴν καὶ μέγας ἐν μέσοις τοῖς κεραυνίας ὄρεσι καὶ μετὰ ταῦτα ὅρχιμος ἄλλος, καθ' ὃν τὰ δυσμικὰ ἄκρα τῆς κερκυραίας ἀντίκειται καὶ πάλιν ἄλλος κασσιόπη ἀφ' οὗ ἐπὶ βρεντέσιον χίλιοι ἑπτακόσιοι στάδειοι, οἱ δ' ἴσοι ἐπὶ τάραντα ἀπὸ ἄλλου ἀκρωτηρίου νοτιωτέρου τῆς κασσιόπης ὃ καλοῦσι φαλακρὸν. Plinius etiam lib. IIII. cap. XII. Inſulæ autem ex aduerſo Theſprotiæ à Butroto XII. ∞ paſ. eadẽ ad Acroceraunijs L. ∞ cum urbe eiuſdem nominis Corcyra liberæ ciuitatis & oppido Caſſiope temploq; Caſij Iouis paſ. LXXXXVII. in longitudine patens. Sed & A. Gellius in initio lib. XXI. Nauigabamus à Caſſiope Brundiſium.

Sed

Sed mirus inuaſerat furor non ſolum improbos.) Noc hic 458
uulgatam, receptamq́; lectionem non mutauimus, priſca tamen exemplaria ab ea diſſentiunt: quorum lectionem à recentioribus Grammaticis repudiatam fuiſſe, ob idq́; hinc deletam exiſtimo. Non *ſum autem illam ego contra hos reſtituere auſus: nec tamen committere uolui ut huius locutionis exemplum è Latina lingua extinguatur, ſi forte doctioribus probaretur. Quare rectum me facere putaui, ſi hic eam adnotaſſem. Scias igitur optime lector* IMPROBIS *tertio multitudinis caſu in illis legi. Quod quia non facile credas librariorum negligentia accidiſſe: quod ſequitur, eadem ratione in illis legitur:* SED ETIAM HIS, *non* HOS *accuſandi caſu, ut in reliquis libris.* Vix *autem ueriſimile eſt imperitos librarios temerè in ambobus locis lapſos.* Noc *tam nouam, & noſtris auribus inauditam ſtructuram uerborum recipere, & probare auſi non ſumus: nec tamen culpam mereri nobis uidemur, quòd hanc rem, quantulacunque eſt, admonere non piguit. Quicquid de hoc ſtatuent elegantiores, & eruditiores uiri, nos libenter ſequemur.*

Itaque habui noctem plenam timoribus, ac miſerijs:) 460
Sic *omnes uulgati libri tam magno cõſenſu, ut noſter etiam* in fine.
communem culpam ſuſtineat. ut uerum enim fateamur, parum in hoc ipſo uidimus. Quod tamen tunc peccati cum alijs admiſimus, nunc omnino reiecimus, autoresq́; unicuique ſumus, ut noſter etiam liber caſtigetur, cum antiquisq́; concordare cogatur, qui rectam lectionem retinent: ſic enim legunt, Itaque *habui noctem plenam timoris: ac miſerius, tuis liberis nihilo ſum factus certior &c.* Vt *meo iudicio ſic prorſus legi, & intelligi debeat, duo accidiſſe quæ maxime Ciceronem cruciarint, unum Andricum*

∞ dabat. Noſter tamen hic pro nota qua ueteres mille ſignificabant, M. habet, cum nondum typi illi qui à nobis renouati ſunt, fabricati eſſent: alijs autem locis ſemper ubi M. habebant uulgati codices, ∞ in cunctis priſcis exemplaribus à nobis inuentam notam repoſuimus: neque ſolum in his uidimus epiſtolarum antiquis libris hoc ſemper ſeruatum eſſe, ſed etiam in Liuianis quibuſdam uetuſtiſſimis exemplaribus quæ in Diui Marci bibliotheca ſeruatur: quod idem & M.Varronis in eadem bibliotheca miræ antiquitatis codex retinet, & Columellæ non negligenter ſcriptus à Nicolao Nicolo liber, quem olim Politianus uiderat & laudat. Sed quid opus eſt hæc tam accuratè uel ambitioſè potius teſtimonia colligere? nullos unquam uidi antiquiores codices, qui non ſemper loco millenarij numeri hanc notam retinerent. Non debuimus igitur licet omiſſam & obſoletam rem contemnere: cum noſtrum totum ſtudium fuerit ad priſcam & genuinam ſcripturam hos libros reducere. nec enim caſtigare, aut emendare receptos Ciceronis codices uoluimus: ſed ope priſcorum exemplariorum importunas, & ineptas quorundam audaciorum caſtigationes eijcere, & delere: ſecuti conſilium Timonis Phliaſij, qui Diogene Laertio autore, ab Arato interrogatus quomodo ſincerum, & integrum Homeri poëma ſibi parare poſſet, reſpondiſſe fertur, ſi antiqua eius exemplaria ſibi propoſuiſſet, non quæ ab aliquo caſtigata iam eſſent. Cenſuit ille optimi iudicij uir, quo magis tractati eſſent, & caſtigati antiqui autores, eo magis contaminatos, inquinatóſque eſſe iam tum enim uigebat hæc peſtis, quæ noſtris temporibus adeo peruagata eſt, ut omnes meliores libros fœdis maculis deturpatos habeamus. Eandem igitur notam renouauimus, ut

quam

quantum à nobis fieri potuit,uetuſtatem illam,& integritatem,quam ſummo noſtro labore deprehendimus,exprimeremus. Quomodo autem hæc nota conflata fuit,quia ſcimus eruditos quoſdam uiros in hoc multum laboraſſe,nec tamen rem,ut erat,inuenire potuiſſe,ex Priſciano docebimus,qui in libello de ponderibus & menſuris id aperit,his uerbis, Mille ſecundum Atticos per χ literam,ſed ut ſit differentia, ad X circunſcriptis lateribus (X), quod infra etiam tangit. Quàm ſimile autem haberent Latini ſuum X(qua litera decem ſignificant) χ Græcæ literæ,declaratur maximè, quia id quod Græci χιάζειν, ab hac litera formato uerbo appellant,id ipſi à ſua itidem litera decuſſare dicunt. Licet igitur hac ætate omnes mille numerum prima eius nominis litera deſcribant,cum tamen antiquos potius hac nota uſos & antiqua omnia exemplaria,& non contemnendus Grammaticus doceant: non debuimus eorum libros aliter,quàm ipſis uiſum ſit deſcribere: nam qui in ſuis libris morē uſúmque noſtri temporis potius ſequetur, nunquam à nobis reprehendetur. quemadmodum nos culpa digni non ſumus,ſi antiquos autores antiqua conſuetudine, & quæ uſque ad hæc ferè tempora durauit,ſcribimus. nam in multis etiam non ita antiquis ijſdem notis hi numeri deſignati ſunt. modeſtiores enim librarij tunc erant,& non omnia,quæ aliquem ſcrupulum habebant reiiciebant,quod poſteriores nimis audacter fecerunt. Quòd autē olim hanc notam non perciperent, intemperanter temeréque aliquis pro ipſa,ducenta ſcripſit: quod erratum in omnes codices inuaſit.

De quadrimo Catone:) Sic omnes & antiqui & impreſ= 466
ſi codices habent. Aliquos tamen ſcimus DE QVA PRIMO CATONE emendaſſe: parua omnino licen=

parum hunc ſermonem probabunt: ἄκυρος enim profectò eſt,& male cohærens.nos tamen nihil aliud quàm ſuſpicionem adferimus.cum fide tãtum antiquam multorum codicum ſcripturam proponemus:quæ fortaſſe ſi diligentius animaduerſa fuerit,magno erit adiumento ad ueram lectionem inueſtigandam.eſt autẽ hæc, AMICOSQVE IN PATRIS EIVS, ATQVE IVDICIO PROBATO HORTATVS SVM,&c.

430 *Et toto ijs,qui nouari aliquid uolebant:)* Hæc erat uulgatorum omnium,necnon antiquorum corrupta profectò lectio:alij alijs modis emendarunt,nonnulli ET PECVNIA PARATVS ET SOCIIS legunt.Quidã, ET PECVNIA PARATVS, ET ANIMO. Nos etiam pro uiribus conati ſumus hoc mendum corrigere,& in re tam incerta,& in qua omnes laborarint,ſibiq; indulſerint,nõnihil nobis permiſimus:abundare enim cenſuimus ex priore monoſyllabo acceptam priorem literã ſequentis dictionis,& eandem literam inter duas uocales ſitam,ex I, importune T, factam.nam paruam illam lineam quæ elemẽtum id commutat,exiſtimauimus ſupra tres illas uocales adponi debuiſſe,ſic, O I O, ut nota eſſet quæ compendioſam illam dictionem perficeret,ut OMNINO ſignificaret.nos hac coniectura ducti,auſi ſumus ita locum reſtituere.nam quin ſententia egregia ſit ſi ita legas,nullum puto contradicturum:minus etiam à priſcis ueſtigijs declinauimus,ut quiuis exiſtimare poteſt.

431 *Interclusi reliqui,Fugeranam autem,&c.)* Nos hoc loco Mediceum codicem,ut probiorem,integrioremque,ſecuti ſumus:nullum enim meliorem,minúſue corruptum inuenimus. Quare cum hic noſtrum librum legis,puta te miræ uetuſtatis exemplar ante oculos habere. Confugio autem hic

ad

ad uetuſtatem, fidémque antiqui codicis. ſunt enim hæc tam minuta caſtella, ut uix alibi reperias nomina eorum, ut poſſit aliorum ſcriptorum teſtimonio confirmari ueræ lectionis integritas. Vox illa RELIQVI, in nullis eſt antiquis, & profecto abundat: dicit enim ſe pleróſque nec opinantes oppreßiſſe, qui occiſi, captique ſunt intercluſi fuga. Quos enim fuga ſubito aduentu intercluſerunt, hi occiſi, captique ſunt. docet autem quomodo capi, occidique potuerint. non enim illis fuga patuit in caſtella, obſtructis à militibus uijs. Intercludi fuga, ut Intercludi commeatibus, dictum eſt. Eranam autẽ uicum, ſeu urbem (ut uult Cicero, ut ſe magnas res geßiſſe oſtenderet) nullibi memini me legiſſe.

Etſi non modo unus, uerum etiam multi &c.) Nos au- 436
toritate ueterũ codicum, & ratione ducti, NON MODO OMNES emendauimus. Si inquit, omnes eſſent Catones in ciuitate noſtra, plus me putarẽ aſſecutum eſſe, poſtquam à te laudatus ſum, quàm ſi mihi triumphus decretus fuiſſet. ſed quid dico omnes? ſi multi eſſent Catones (minus autem eſt multi, quàm omnes) eiuſdem ſententiæ eſſem, ut currum, laureámque præ tua laudatione contemnerem. Cum autem nedum omnes, aut multi ſint Catones, ſed uix unus fuerit, oportet etiam me reliquorum rationem habere, qui non rectè, incorruptéque res iudicant: nam eorum quoque exiſtimationem de me magnifacere debeo, cum uelim famã & dignitatem meam Clodianis temporibus perculſam & labefactatam inſtaurare: apud quos ſi uiderint me à ſenatu ornatum, triumphóque decoratum, rurſus ut ſolebam, florebo: ſin autem eo honore indignus exiſtimabor, nunquam maculam illam delere potero. In longa autem ad ipſum epiſtola cauſam exponit quare uelit uel cupiat potius triumphare: ad ſanandum uulnus iniuriæ ſcilicet aptißimum triumphum

 eſſe

eſſe ſibi iudicās: quam etiam cauſam ad Atti. *adfert lib.* VI, *his uerbis,* Amicorum *literæ me ad triumphum uocant, rem à nobis (ut ego arbitror) propter hanc* παλιγγενεσίαν *noſtram non negligendam. uidebatur enim ſibi poſt integrè adminiſtratam prouinciam quaſi exoriri, iterúmque naſci: nec enim cenſebat aliter poſſe ſe acceptas iniurias delere ex animis hominum niſi ſummis poſtea honoribus ornatus eſſet, antiquáſque laudes ob conſeruatam patriam ſibi meritò tributas renouaſſet. Si autem omnes, aut multi ſaltem (gratius omnino, meliúſque fuiſſet ſi omnes) eo iudicio, quo* Cato *eſſent, non opus ſibi eſſe* Cicero *exiſtimaſſet nouis* Senatus, *populique de ſua laude iudicijs. ſciret enim in animis eorum nunquam ſuam laudē imminutam eſſe, caſúmque illum ſuum ab ipſis reipub. calamitatē ærumnámque potius, quàm ſuam habitum eſſe.*

444 *Cum hæc tertia iam epiſtola ante te oppreßit:)* Nos *cum antiquis codicibus* ANTE OPERIS SIT *ſcripſimus, eleganti (ni fallimur) ſenſu: etſi nos intelligimus eruditos uiros, ut in alijs quibuſdam, receptam lectionem ſecutos, eodem modo dicendi uſos eſſe, ut qui antiquam ſcripturā nō uidiſſent: illam enim, ut opinor, magis probaſſent.* Puto *te ſuppudere, inquit, cum hæc tertia iam epiſtola ſit operis, id eſt opus, uolumēnque penè conficere poßit, quam tu ſchidam, aut literam.* Hæc *enim infrà poſita nō reſpondent numero epiſtolarum, ſed magnitudini ſuarū iam trium: illius ſe mirari dicit ne ſchidulam quidem habere, aut literā.* Scidulam *autem ut in antiquis libris ſemper inuenimus, ſcripſimus ſine aſpiratione, licet à uerbo* σχίζω *uideatur deductum eſſe nomen. alia autem ſunt nomina à* Græcis *deriuata aſpiratam literam habentibus, ipſa tamen non retinent.* Sic *autem & in epiſtolis ad* Atticum *hoc nomen ſcriptum inuenimus*

mus libro primo, Enitere *per amicos,clientes,hoſpites,libertos denique ac ſeruos tuos,ut ſcida nequa depereat.* Et *in* Plinianis *uetuſtis codicibus.* Alij *autem(ſcedam)ſcribunt,ut hic omnes uulgati codices habebant,quod non tam probo.*

Κατ' ἔδη ἢ φαντασίας:) Antiqui codices aliter,nec tamen,ut putamus,incorruptè,ſed longè minore errato, κατ' εἴδων φαντασίας. Nos duas literas in medio defeciſſe arbitrati pro εἴδων, εἰδώλων ſcripſimus. Putabãt enim Epicuræi,ut infrà copioſe diſputat,nõ aliter nos de aliquo abſente cogitare,niſi ſimulacrorũ,ſpectrorúmue phãtaſijs impulſi. Quodcũ apertius hac epiſtola diſſeratur,planúmq; omnibus mediocriter doctis ſit,à nobis longius non tractabitur. 444

Catius inſuper Epicuræius:) *Sic omnes uetuſti,& impreßi codices. Quidam nuper* INSVBER *emendarunt, quam nec damnamus,nec ſequimur adhuc lectionẽ:nuſquam enim patriam eius,regionémue,in qua ortus eſſet,inuenimus.Eſt autẽ* Catius *ille,de quo* Horatius *in* Satyris:*nam per* Gargettium Epicurus *intelligitur à loco ubi natus,* Laërtius *in principio eius uitæ,* ἐπίκουρος νεοκλέους καὶ χαιρεστράτης ἀθηναῖος τὸν δῆμον γαργήττιος, γένους τοῦ τῶν φιλλίδων. *Statius etiam eundẽ,ſenem* Gargetium *appellat.* Ibidem prope finem:

Quod uelis ipſa currunt:) Quis nõ *uideat hunc locum deprauatum eſſe?& tamen omnes codices ſic habent.* Germanicus *tãtum pro* CVRRVNT, OCCVRVNT *habet. Nos uocem illam* VELIS *in duas diuiſimus dictiones,ut à principio fuiſſe credimus,uitióque poſtea librariorum compactas,ut ſit,* VEL IIS. *ſæpe autem,cum duæ hærent uocales,in antiquo codice una tantùm ſcribitur,ut alibi adnotauimus.Adfert autem rationem,quare difficilius credat nos de aliquo cogitare occurſu ſimulacrorum,quam* Ibidem.

corundem incurſu uidere quippiam (uidere autem nos διὰ τῆς εἰδώλων ἐμπτώσεως cenſebant Democritus & Epicurus: quod in epiſtola ad Atticum etiam oſtendit Cicero, in qua diſputat de feneſtrarum anguſtijs) Quod ſi inquit his ſpectris oculos feriri poſſe conceſſerim (uix autem hoc concedit, ut ſpectra cum ſint tam εὐπαθῆ oculos ferire poßint) ſed ſi cōceſſerim inquit, uidebor aliqua ratione facere, quòd ſaltem oculis ſpectra occurrunt, ut poßint τῇ ἐμπτώσει & occurſu uiſionem conficere, & excitare. Quomodo autem animus & διάνοια feriri poßint, nō uideo. non enim ſpectra animo, ut oculis occurrunt: qua enim ratione corpus penetrare poſſent? frangerentur enim εὐπαθῆ ὄντα. Libro autem primo de finibus hanc eandem rem tangit, Imagines quæ εἴδωλα nominant, quorum incurſione non ſolum uideamus, ſed etiā cogitemus. Etſi antè uulgati deprauatè INCVRSIONEM legebant. Sunt autem uerba Ciceronis contra L. Torquatum, qui Epicuri diſciplinam ſectabatur diſputantis. ubi etiam minus uериſimile eſſe putat nos incurſione & ἐμπτώσει ſimulacrorum cogitare quàm uidere. De occurſu autem ſimulacrorum hac ipſa epiſtola paulò pòſt: ut prorſus hanc uerā eſſe credam huius loci lectionem, deprauatam autem ab aliquo, qui has Epicuri rationes (quòd nunc amißis eius diſciplinæ libris, obſcuræ ſunt) ne guſtaſſet quidē. Qui tamen ut Ciceronis infinita loca intelligat, atque Lucretiū candidißimum poëtā legere poßit, non penitus rudis eius diſciplinæ eſſe uult, Epicuri uitā à Laërtio perſcriptam legat, ubi fere omnes illius ſententias, decretáque ipſius uerbis explicata colligit. Liber autem primus de finibus, & non parua pars ſecundi, ex uerbis penè Epicuri contexti ſunt, à Cicerone ſumma fide, & elegantia conuerſis.

445 Alteras habebis, has breues:) Nos putamus punctis malè diſtin

diſtinctas eſſe has dictiones:ut longè diuerſum ſenſum præ
ſeferant à uero,niſi fallimur:non enim Alteras habebis,in-
telligimus,quòd alias longiores, plenioréſque nunc polli-
ceatur,ideóque æquiore animo uelit ferre illam harum bre=
uitatem:nam id paulò pòſt largè promittit uerbis illis,Sed
expecta πάντα περὶ πάντων. ſed ignoſci ſibi uult,quòd hæ
non ſolum breues ſint,ſed alias etiam antè breues acceperit,
ut hæ ſint iam ſecundæ literæ ad eum ſcriptæ breues. Quo
magis poſtea liberalius ſpondet,ſe copioſe omnia perſcri=
pturum:uidebatur enim ſibi nonnihil culpæ admiſiſſe, qui
iterum iam breues miſiſſet:ut ſi Alteras has habebis breues,
dixiſſet,nullus ſcrupulus fuerit.interpoſita autem uox illa
HABEBIS, locum obſcuriorem facit,ſed eſt elegantiſſi=
mus modus dicendi,à Cicerone crebro uſurpatus,ut lib.x.
ad Atti.tres dictiones in medium inculcauerit.Alteram tibi
eodem die hanc epiſtolam dictaui.Lib.autem XIII. ordi=
ne permutato,Has alteras hodie literas,dixit:ut etiam lib.
IIII. Nam ut ueni Romam,iterum nunc ſum certior fa=
ctus eſſe cui darem literas:itaque has alteras dedi,prioribus
tibi declaraui,&c.Vt nihil ſcrupuli reſtet quin hic per has
alteras,ſecundas ſignificet.

Tamen a l te ſcribam aliquid,Nos hic D. Syllam pa= 445
trem,&c.) Omnino elegãtius in antiquis codicibus.quem=
admodum nos ſcripſimus , legitur hic locus:ut uerba illa
TAMEN AD TE SCRIBAM ALIQVID,
ſint poſt duas illas dictiones, NOS HIC. Cum enim ſu=
prà dixiſſet non opus ſibi eſſe excuſatione cum Caſſio,nec
debere ſe illi purgare , cum inanes ab eo ueniant tabella=
rij,ad eúmque cum epiſtolis reuertantur,quaſi hoc loco fi-
nem epiſtolæ facere uoluiſſet : imprudenter tamen addit,
NOS HIC, principium narrationis.ideóque ſtatim co-

 gnito

gnito errore infert. Tamen ad te ſcribam aliquid. ſe caſtigans quòd propoſitum mutauerit: quaſi dicat, Non tamen potui, ut decreueram, me continere quin aliquid ad te ſcriberem. Nos profectò hanc lectionem argutiorem politioremque putauimus: inuentámque in priſcis exemplaribus nullo pacto prætermittere debuimus. Speramus etiam eruditos ingenioſósque multo hanc magis uulgata probaturos eſſe.

446 Si ἀχρεῖος πίλος fueris:) Nos deletis his ineptiſsimis uerbis, cũ antiquis codicibus ἀκενόσπουδος ſcripſimus, una tantum parum peruerſa litera, In illis clara hæc erat ſcriptura, ut mirer unde Græcas illas uoces eruerint: quæ in uulgatis nihil prorſus quod hic quadraret ſignificantes, legebantur. Cicero ad Atti. prima noni libri epiſtola, nimiam ſuam diligẽtiam in rebus inanibus, & nullius momenti inueſtigandis taxans, Sed hæc fortaſſe κενόσπουδα, dixit, ut non debeat maius ſtudium in illis inquirẽdis poni. κενόσπουδος autem Suidæ eſt, qui in rebus inanibus leuibúſque ſtudium ponit: ut quid hic κενόσπουδος ſignificet, dubiũ non ſit, elegans prorſus uerbum, & quod ſolum declaret ſententiã, quæ niſi pluribus uerbis Latinè exprimi non poſſet.

446 Si φαιδρὸν aliquem habuiſſet:) Antiqua exemplaria φλύαρον rectè. φλύαρος enim φλήναφος καὶ λῆρος ut docet Suidas, quod pulchre reſpondet ſequenti Græcæ dictioni. Longior inquit epiſtola fuiſſet. ſi nugas fabuláſque habuiſſet aliquas, quas iocosè ſcribendo pleniorem epiſtolã feciſſem: de rebus enim ſerijs uix ſine periculo agere poſſumus, quod tẽporum iniquitate accidebat. opponitur autẽ σπουδάζειν iocis, riſui, nugis, ut exprimit Ariſtophanes σκώπτειν πειρᾶ καὶ κωμῳδεῖν τοῦ σπουδάζειν ἀμελήσας: ut nihil de loci huius integritate dubitari poſsit. Quod autem paulò

pòſt in eadem epiſtola legitur: ET QVIDEM IN
CVLINA MEA MOLESTA EST: uerba alicu-
ius poëtæ uidentur: nullibi tamen ea me legere memini: nos
autem nihil mutauimus: inuenimus enim hoc loco antiquos
codices cum uulgatis conuenire: quare tantum librorum con
ſenſum condemnare temerarium uiſum eſſet. Scimus alios a-
lijs modis emendaſſe: cum autem docuerint quo conſilio, au-
toritatéque hoc fecerint, nos ſentẽtiæ illorum ſubſcribemus:
uerum dum nihil certius adferunt, non peccare nobis uide-
mur (ut in malis) qui antiquorum codicum fidem ſequamur.

Ἡδονὴν uerò & διαξίαν:) Sic omnes habebant uul- 447
gati codices, prorſus mendoſè. Germani uidentur exemplar
habuiſſe, quod minus incorruptum hunc locum conſerua-
rit: credimus enim illos, ut teſtati ſint, ex uetuſto codice
collegiſſe, quas in marginibus collocarunt, lectionum ua-
rietates: ἀταξίαν enim legunt. Quod ſi in medio ſyllabam
unam reponas, errore librariorum (ut puto) omiſſam. re-
ctiſsime hic locus reſtitutus erit. nec mirum uideri debet in
Latinis libris antiquitus exaratis Græcas uoces aliquantum
peruerſas eſſe, & inquinatas: cum enim ſermonem illum
ignorarent, uix poterant ab erroribus cauere: uidemus e-
nim illos quaſi deſcripſiſſe, pinxiſſéque Græcos characteres
non negligenter, ſi conſideres eos eorum quæ ſcribebant ſen
tentiam non percepiſſe. Quod ſi quandoque aliqua deſunt,
aut abundant, uenia digni ſunt: ego potius miror quomo-
do potuerint tam integras Græcas uoces effingere eius lin-
guæ rudes: ſed de hoc nimis. ἀταραξίαν inquam facies,
quam genuinam eſſe hic uocem puto, & antiquis ueſtigijs
propinquam, & ſententiæ ipſi optimè quadrantem. Nam
diuiſerat Epicurus uoluptates, ut quædam illarum in motu,
quædam in ſtatu eſſent: ſed hæc uerbis ipſius Epicuri, quæ

*apud Laërtium ſunt, melius declarabuntur. ſic enim Laër-
tius dicit:* ὁ δ' ἐπίκουρος ἐν τῷ περὶ αἱρέσεων οὕτω λέγει, ἡ
μὲν γὰρ ἀταραξία καὶ ἀπονία καταστηματικαί εἰσιν ἡ-
δοναί, ἡ δὲ χαρὰ καὶ εὐφροσύνη κατὰ κίνησιν ἐνεργείᾳ βλέ-
πονται. *quam etiam diuiſionem percurrit Cicero lib. 1. de
finibus his uerbis,* Non *enim hanc ſolam ſequimur, quæ ſua-
uitate aliqua naturam ipſam mouet, & cum iocunditate quæ-
dam percipitur ſenſibus, ſed maximam illam uoluptatem ha-
bemus quæ percipitur omni dolore detracto, &c. Sæpe au-
tem eſt* ἀταραξία *in ſcriptis* Epicuri: *nam hoc præcipuè
nomine tranquillum illum ſtatum hominis declarat, quo
uacuus omni perturbatione degit. ut qui antè nos* ἀναλγη-
σίαν *emendarant, cum locum corruptum eſſe in uulgatis a-
nimaduertiſſent, nihil laborantes circa antiqua ueſtigia,
ſententiámque tantum ſecuti, non penitus aberrarint: no-
ſtra tamen lectio uerior, ut quæ ex antiquis exemplaribus
eruta ſit: & nomen illud habeat quo præcipuè uteretur ipſe*
Epicurus: *nam qui* λείαν κίνησιν *emendarunt, multo au-
dacius & improbius fecerunt: lenis enim motus, interpre-
tatio eſt uoluptatis, ut idem ſit* ἡδονὴ *&* λεία κίνησις. *uo-
luit autem Caßius utranque uoluptatem declarare: per* ἡδο-
νὴν *enim hic uoluptatem in motu intelligit. neceſſe igitur
eſt uocem, quæ ſequitur, uoluptatem eam quæ detractis per-
turbationibus percipitur ſignificare.* Qui *autem* εὐεξίαν
*repoſuerunt, conati ſunt ex corruptis illis characteribus,
qui uulgò legebantur, uicinam, & ſimilem uocem elicere:
ſed nimis ſe rudes rationis* Epicuri *oſtenderunt: & nedum*
Epicuri *rationem expreſſerint, uix idoneam ſententiam ef-
finxerunt. cum enim* εὐεξία *ſit bona corporis habitudo:
quomodo ullus unquam proferret eam uirtute, iuſtitia, di-
gnitate parari; cum uoluptas, ſecuritaſque ex his uirtuti-*

bus

bus in animis hominum gignatur?

Catij & Amaſinij:) Vetuſti codices, AMAFINII: *etſi noſter aliter operarum uitio habet: ſcilicet* AMAFANII. *C. enim Amafinius* Epicuri *diſciplinam ſectatus edidit libros quieam ratione explicarent. nam de Catio ex* Horatio *præcipuè notum eſt: etſi hi uidentur fuiſſe ex illis quos legitimi* Epicurei σοφιστὰς *(ut ait* Laërtius*) ſoliti eſſent appellare: degenerabant enim nonnihil ab* Epicuri *decretis, & ut inquit* Caßius, *mali erant* Epicuri *uerborum interpretes. Amafinij multis alijs locis* Cicero *mentionem fecit, etſi ferè ſemper hoc nomen corruptum aliquantulum eſt in proœmio lib.* IIII. *Tuſculanarum quæſtionum bis Amafanium appellat: ubi tamen manu ſcripti codices Amafinium habent, Cum interim illis ſilentibus C. Amafinius extitit dicens.* Et *paulò pòſt, iterum.* Nos *cum tot antiqui & probati codices concurrant,* AMAFINIVM *legi debere exiſtimamus. ſed cum hoc loco* AMASINII *antè in cunctis libris ſcriptum eſſet, alijs uerò multis locis in* Cicerone *Amafanius: quis unquam putaſſet eundem intelligi debere?* Non *parum igitur hæc menda, quæ alioqui minuta uidentur, ſæpe tenebrarum offundunt, ut omnia animaduertere non inutile, nec ineptum negotium eſſe uideatur.* 447

AD TIRONEM XVI.

Cura te mi Tiro:) Nos *auxilio uetuſtorum codicum bis* CVRA *ſcripſimus, nota figura, & quæ oſtendat maiore quodam affectu pronuntiata eſſe hæc uerba.* Quod *uerißimile eſt cum tantum de ſalute* Tironis *ſolicitus eſſet.* Ariſtoph. *in* Ranis *non ſemel ſic locutus eſt,* πρᾶγμα πρᾶγμα γὰρ κεκίνηται μέγα ἐν τοῖς νεκροῖς, καὶ στάσις πολλὴ 454

πολλὴ πάνυ. item ἄρν᾽ ἄρνα μέλεναν παῖδες ἐξενέγκατε. *Sed tam frequens eſt apud poëtas & oratores hæc figura, ut omnes ſciant, uim quam habet, eiúſque elegantia capiantur. ſæpe tamen (quod incommodè accidit) uitio librariorum deleta eſt: qui çum in exemplari eandem uocem repetitam uiderent, mendum eſſe putantes, ſemel tantum ſcribebãt.*

455 in fine *Magnæ nobis eſt ſolicitudini, &c.)* Nos *ſecuti antiquorum codicum fidem, qui in hoc omnes conueniebant, hanc epiſtolam* Q. Ciceroni *reſtituimus. nam etſi quaſdam coniecturas quæ id confirmarent adferre poſſemus, ſatis eſſe putauimus librorum uetuſtatem, & teſtimonium, ut ſuum unicuique reddatur.* Quod *autem in cunctis impreſſis antè legebatur:* Q. FRATER TIBI SAL. DIC. *nos cum iiſdem codicibus ſcripſimus* Q. F. TIBI SAL. DIC. F. *autem, filium ſignificare non fratrem, nemo eſt qui neſciat.*

Ibidem. *Ad Caſſodem:)* Vetuſta *exemplaria* CASSIODEM. Nos *erratum unius literæ in illis eſſe exiſtimauimus, &* CASSIOPEM *reſtituimus: de quo portu* Strabo *lib.* I. ἐν τούτῳ δ᾽ ἐστὶ τῷ διαστήματι πάνορμός τε λιμὴν μέγας ἐν μέσοις τοῖς κεραυνίας ὄρεσι καὶ μετὰ ταῦτα ὄρχιμος ἄλλος, καθ᾽ ὃν τὰ δυσμικὰ ἄκρα τῆς κερκυραίας ἀντίκειται καὶ πάλιν ἄλλος κασιόπη ἀφ᾽ οὗ ἐπὶ βρεντέσιον χίλιοι ἑπτακόσιοι στάδιοι εἰσι, οἱ δ᾽ ἴσοι ἐπὶ τάραντα ἀπὸ ἄλλου ἀκρωτηρίου νοτιωτέρου τῆς κασιόπης ὃ καλοῦσι φαλακρόν. Plinius *etiam lib.* IIII. *cap.* XII. *Inſulæ autem ex aduerſo* Theſprotiæ *à* Butroto XII. ∞ *paß. eadẽ ad Acroceraunijs* L. ∞ *cum urbe eiuſdem nominis Corcyra liberæ ciuitatis & oppido Caßiope temploq; Caſij Iouis paß.* LXXXXVII. *in longitudine patens. Sed &* A. Gellius *in initio lib.* XXI. Nauigabamus *à Caßiope* Brundiſium.

Sed

Sed mirus inuaſerat furor non ſolum improbos.) Hoc hic uulgatam, receptamq́; lectionem non mutauimus, priſca tamen exemplaria ab ea diſſentiunt: quorum lectionem à recentioribus Grammaticis repudiatam fuiſſe, ob idq́; hinc deletam exiſtimo. Non ſum autem illam ego contra hos reſtituere auſus: nec tamen committere uolui ut huius locutionis exemplum è Latina lingua extinguatur, ſi forte doctioribus probaretur. Quare rectum me facere putaui, ſi hic eam adnotaſſem. Scias igitur optime lector IMPROBIS *tertio multitudinis caſu in illis legi. Quod quia non facile credas librariorum negligentia accidiſſe: quod ſequitur, eadem ratione in illis legitur:* SED ETIAM HIS, *non* HOS *accuſandi caſu, ut in reliquis libris. Vix autem ueriſimile eſt imperitos librarios temerè in ambobus locis lapſos. Hoc tam nouam, & noſtris auribus inauditam ſtructuram uerborum recipere, & probare auſi non ſumus: nec tamen culpam mereri nobis uidemur, quòd hanc rem, quantulacunque eſt, admonere non piguit. Quicquid de hoc ſtatuent elegantiores, & eruditiores uiri, nos libenter ſequemur.* 458

Itaque habui noctem plenam timoribus, ac miſerijs:) 460 in fine. *Sic omnes uulgati libri tam magno cõſenſu, ut noſter etiam communem culpam ſuſtineat. ut uerum enim fateamur, parum in hoc ipſo uidimus. Quod tamen tunc peccati cum alijs admiſimus, nunc omnino reiecimus, autoresq́; unicuique ſumus, ut noſter etiam liber caſtigetur, cum antiquisq́; concordare cogatur, qui rectam lectionem retinent: ſic enim legunt, Itaque habui noctem plenam timoris: ac miſerius, tuis liberis nihilo ſum factus certior &c. Vt meo iudicio ſic prorſus legi, & intelligi debeat, duo accidiſſe quæ maxime Ciceronem cruciarint, unum Andricum*

cum poſtridie ueniſſe, quàm expectarat, ut ſolicitus de ualetudine Tironis, multaq; quæ nollet cogitãs, noctem quæ interceßit inter diem illum quo expectabat & illum quo uenit, plenam timoris habuerit. Alterum quod (miſerius) appellat, in literis Tironis, quas Andricus attulit, nõ ſcriptum fuiſſe quomodo ſe haberet, ſe tamen recreatum dicit. Cognouit enim & aduentu Andrici, & ipſius literis illum uiuere: quare maiorem illum metum depulit quem mora Andrici attulerat de morte ipſius: magnum tamẽ ei dolorem adportauit poſt ſolitudinem quam ea nocte habuerat, non eſſe ſe accuratè à Tirone certiorem factum quomodo ſe haberet. Quod ipſe miſeriam quandam ſuam, & infelicitatem putat. Nolumus hic amplius cõmunem lectionem damnare, ne noſtrum iudicium unà condemnemus, qui primo tam contaminatam & fœdam ſcripturã non animaduertimus: ueræ tantum & incorruptæ collatio, quam beneficio priſcorum codicum nunc promulgamus, ſatis ualet ad illam conuincendam in hac ipſa epiſtola. Iidem codices Vmmium habent, ubi uulgati Mummium: quod nomen noſtri librarij corruperũt, quare corrigatur. Ne autem hoc nomen quia rarum eſt, amplius ut nouum repudietur, adſcribemus epitaphium quod Piſis in antiquo lapide uidimus: in quo ualde ſimile huic & quaſi ab eo deriuatum nomen legitur.

D. M.
VMMIDIAE CALE
FELICIO PATER
CALE MATER
MYRTILVS TATA
ET EROSCONIVX
FECER.
VIX. A. XVI. M. VIII. DIEB. VIII.

Tibi

Tibi διαφόρησιν gaudeo profuiſſe:) Hæc eſt uetus & ſincera lectio: TIBI διαφόρησιν &c. Quid ſit διαφόρησις, docet Galenus lib. XIIII. Therapeutices, cap. de iecoris inflammatione, his uerbis, τὴν ἰκῦν τα γοῦν ἡ μὲν ἀπὸ τῆς φλεγμονῆς ἔνδειξις τῶν ποιητέων ἐστὶ μία, καλοῦσι δ' αὐτὴν διαφόρησιν ἐκκενοῦσαν λόγῳ θεωρητοῖς πόροις τὸν ἐν τῷ φλεγμαίνοντι μορίῳ χυμόν. Latini digeſtionem aut euaporationem dixerunt. huiuſcemodi res non meum eſt hic longius declarare: ſunt enim medicorum uocabula. & ad eorum artem pertinet ea accuratius explicare. ſatis mihi fuit priſcam lectionem notam facere, & quàm ea huic loco conueniat, oſtendere. 462

Ἀλυπίαν:) Non emendauimus ἀκοπίαν, adiuti ab antiquis exemplaribus: quid enim ἀλυπία poteſt ad bonam ualetudinem? quæ uacuitas eſt doloris. nam quòd ſanitatem adiuuat lætitia animi delectatióque, paulò pòſt addit, τέρψιν dicendo. ἀκοπία autem, id eſt uitatio immodicarum defatigationum, neceſſaria eſt ei qui ſanitatem tueri uult. κόποι enim, id eſt nimiæ defatigationes, febrim gignunt: ut rectè ἀκοπίαν poſuerit inter ea quæ bonam ualetudinem conſeruant. Simp. in Commentarijs in Phyſica Ariſtotelis: τῷ γὰρ ἰσχύος χάριν γυμναζομένῳ πλείω καὶ διὰ κόπον πυρέξαντι ἀπροαίρετον μὲν τὸ πυρέξαι οὐκ ἀπὸ τύχης μέντοι εἴωθε γὰρ ἐπὶ τῶν πλεῖστον τῶν ἀσυμμέτρων γυμνασίων κόπος ἐπιγίνεσθαι ἐπὶ δὲ τούτῳ πυρετὸς: ſed tam frequens eſt hoc uerbum apud medicos & alios etiam bonos autores, ut nihil notius ſit. Remedia etiam quædam medici, quæ defatigationes has ex nimijs laboribus ortas leuent, ἄκοπα appellant. Ibidem

Helluo nequiſſimus ſeſtertia ducenta dabat &c.) Vetuſti libri ſic habent, HELICO NEQVISSIMVS H-S Ibidem

∞ dabat. Noſter *tamen hic pro nota qua ueteres mille ſignificabant,* M. *habet, cum nondum typi illi qui à nobis renouati ſunt, fabricati eſſent: alijs autem locis ſemper ubi* M. *habebant uulgati codices, ∞ in cunctis priſcis exemplaribus à nobis inuentam notam repoſuimus: neque ſolum in his uidimus epiſtolarum antiquis libris hoc ſemper ſeruatum eſſe, ſed etiam in* Liuianis *quibuſdam uetuſtiſſimis exemplaribus quæ in* Diui Marci *bibliotheca ſeruatur: quod idem & M.Varronis in eadem bibliotheca miræ antiquitatis codex retinet, &* Columellæ *non negligenter ſcriptus à* Nicolao Nicolo *liber, quem olim* Politianus *uiderat & laudat. Sed quid opus eſt hæc tam accuratè uel ambitioſè potius teſtimonia colligere? nullos unquam uidi antiquiores codices, qui non ſemper l loco millenarij numeri hanc notam retinerent.* Non *debuimus igitur licet omiſſam & obſoletam rem contemnere: cum noſtrum totum ſtudium fuerit ad priſcam & genuinam ſcripturam hos libros reducere. nec enim caſtigare, aut emendare receptos* Ciceronis *codices uoluimus: ſed ope priſcorum exemplariorum importunas, & ineptas quorundam audaciorum caſtigationes eijcere, & delere: ſecuti conſilium* Timonis Phliaſij, *qui* Diogene Laertio *autore, ab* Arato *interrogatus quomodo ſincerum, & integrum* Homeri *poëma ſibi parare poſſet, reſpondiſſe fertur, ſi antiqua eius exemplaria ſibi propoſuiſſet, non quæ ab aliquo caſtigata iam eſſent. Cenſuit ille optimi iudicij uir, quo magis tractati eſſent, & caſtigati antiqui autores, eo magis contaminatos, inquinatóſque eſſe iam tum enim uigebat hæc peſtis, quæ noſtris temporibus adeo peruagata eſt, ut omnes meliores libros fœdis maculis deturpatos habeamus. Eandem igitur notam renouauimus, ut*

quan

quantum à nobis fieri potuit, uetuſtatem illam, & integritatem, quam ſummo noſtro labore deprehendimus, exprimeremus. Quomodo autem hæc nota conflata fuit, quia ſcimus eruditos quoſdam uiros in hoc multum laboraſſe, nec tamen rem, ut erat, inuenire potuiſſe, ex Priſciano docebimus, qui in libello de ponderibus & menſuris id aperit, his uerbis, Mille ſecundum Atticos per χ literam, ſed ut ſit differentia, ad X circunſcriptis lateribus (X), quod infra etiam tangit. Quàm ſimile autem haberent Latini ſuum X (qua litera decem ſignificant) χ Græcæ literæ, declaratur maximè, quia id quod Græci χιάζειν, ab hac litera formato uerbo appellant, id ipſi à ſua itidem litera decuſſare dicunt. Licet igitur hac ætate omnes mille numerum prima eius nominis litera deſcribant, cum tamen antiquos potius hac nota uſos & antiqua omnia exemplaria, & non contemnendus Grammaticus doceant: non debuimus eorum libros aliter, quàm ipſis uiſum ſit deſcribere: nam qui in ſuis libris morē uſúmque noſtri temporis potius ſequetur, nunquam à nobis reprehendetur. quemadmodum nos culpa digni non ſumus, ſi antiquos autores antiqua conſuetudine, & quæ uſque ad hæc ferè tempora durauit, ſcribimus. nam in multis etiam non ita antiquis iiſdem notis hi numeri deſignati ſunt. modeſtiores enim librarij tunc erant, & non omnia, quæ aliquem ſcrupulum habebant reiciebant, quod poſteriores nimis audacter fecerunt. Quòd autē olim hanc notam non perciperent, intemperanter temereque aliquis pro ipſa, ducenta ſcripſit: quod erratum in omnes codices inuaſit.

De quadrimo Catone:) Sic omnes & antiqui & impreſſi codices habent. Aliquos tamen ſcimus DE QVA 466
PRIMO CATONE emendaſſe: parua omnino licen=

tia, unius ſcilicet tantum literæ conuerſione, ut cũ ſuperiore ſermone cõiunctum ſit hoc membrum: de qua omnino interpoſitione primo Catone diximus ſeu aliquid tale intelligentes. ſed quia nunquam ſcimus illum ſic appellaſſe librum de ſenectute, ſed ſemper Catonem maiorem: ideo receptã lectionem commouere auſi non ſumus. Quia tamen res non omnino contemnenda uiſa eſt, noluimus præterire quin lectorem admoneremus, præſertim cum ſit locus obſcuriſſimus, & noſtro etiam iudicio non uacuus mendo.

467 *Vtrique ad aquas ſemas:) Sic omnes habebant uulgati codices. Nos his neglectis, ut in ueteribus libris inuenimus, ſcripſimus. Ad aquas autem intelligit Baianas, quemadmodum in epiſtolis ad Atticum lib.* XIIII. *Haud amo uel hos deſignatos, qui etiã declamare me coëgerunt, ut ne apud aquas quidem acquieſcere liceret. Id eſt, Baijs: nam quod in cunctis in fine epiſtolæ* APPIAM *legebatur, nos iiſdem antiquis codicibus autoribus* PAPIAM *ſcripſimus.*

EX LIBRO EPISTOLARVM AD M. BRVTVM.

519 *Vindici illi quidem:) Veteres codices,* VINDICI QVIDEM ALIENAE DOMINATIONIS *&c. Quia tamen hunc locum ſuſpectum habemus: conſuetam notam adpoſuimus. Alij ut planior ſententia eſſet,* SVPPLICA, *de ſuo addiderunt, legúntque* SVPPLICA ILLI QVIDEM.

524 *An hoc ipſum ea re facit:) Manu ſcripti libri,* CARE FACIT:

FACIT: *etſi nouum uerbum, non tamen contemnendum. Quia uiſus eſt nobis ualde cõſyderandus, & huic etiam loco notam adpoſuimus: & quam habent meliores libri uarietatem propoſuimus.* Non multò *ſuprà in hac ipſa epiſtola locus eſt non minus obſcurus, & in antiquis codicibus ualde perturbatus, & mancus, quorum nos lectionẽ in medium proponemus, ut iudicium faciant doctiores, ſitne habendus & ipſe inter deprauatos.* Eſt *autem hic,* Imo *triumphus, & ſtipendium, & omnibus decretis hortationis: pudeat concupiſcere fortunam, cuius nomen ſuſceperit conſularis ut Ciceronis eſt.* Nos *tantopere peruerſione horum uerborum, & defectu etiam conturbati ſumus, ut quid dicamus non ſuccurrat.*

AD Q. FRATREM
LIBRO PRIMO.

Aut ex domeſticis coniunctionibus:) Diligenter *conſy=* 532
derandum an potius CONVICTIONIBVS *legẽdum*
ſit: quo nomine utitur M. *Cicero filius in epiſtola ad* Ti=
ronem, Tum *etiam iucundiſsima cõuictio, etſi eo etiam lo=*
co in pluribus codicibus deprauatè (coniunctio) legebatur.
Quod autem hic paulò pòſt legimus, APPARITIO=
NIBVS, *uetus ille codex,* APPARATIONIBVS,
habet, quemadmodum in epiſtola qua Q. Thermo *cõmen=*
dat M. *Marcilium, ſcriptũ habet Mediceus codex,* Ego *cum*
antea ſtudioſè commendabam Marcilium: *tum multò nunc*
ſtudioſius, quòd in longa apparatione ſingularem, &c.
Quam tamen orthographiam neutro loco nos ſecuti ſumus.
Αλλ' αἰεί τινα φῶτα μέγαν:) *Hemiſtichium eſt* Home- 546
ri ex lib.x. O*dyſſeæ, pronunciatum à* P*olyphemo, cum, ue=*

rò nomine Vlyßis audito, recordatus eſt ſibi olim à Thelemo uate hanc calamitatem præſignificatam eſſe: quod tamen cum decepit, inſidijſq; expoſitum reddidit, fuiſſe dicit, quòd nunquam putaſſet illum Vlyſſem eſſe tam paruo corpore, & tam nullis uiribus præditum: ſed ſemper ſe exiſtimaſſe magnum quempiam uirum, & formoſum illuc uenturum, à quo ſibi timendum eſſet, quod Stathio pulchre conuenit. cum enim Romæ multus ſermo fuiſſet Stathium quendam eſſe, qui tantum apud Quintum poſſet, ut eius uoluntate omnia in prouincia gereret: exiſtimaßéntque omnes hunc prudentem quempiam uirum eſſe, & magni conſilij: cum poſtea ſpecioſum puerum uidiſſent, eúmque eſſe cognouiſſent Stathium illũ, cuius nutum cuncta prouincia obſeruabat, ſe tantæ ſtultitiæ damnantes in ſententiam uerborum Polyphemi cadebant, pariter ut ille, decepti: quas omnes uoces Quinto abſente emiſſas eſſe, omniáque ea confecta ante aduentum eius lætatur Cicero: magis enim timendas fuiſſe maleuolorum linguas ſi unà ſecum illum duxiſſet: nec antea Romæ puer ille uiſus eſſet: quicquid enim dici poterat, quod Q. pudorem adferret, iam exhauſtum erat. Scimus Eraſmum aliter de hoc loco ſenſiſſe in prouerbijs: nec tamen ueriti ſumus noſtram ſententiam liberè cõtra tanti uiri iudicium exponere, quia ueriorem eam putamus: tam autẽ ueritatis amici ſumus, quàm qui maxime.

550 Ορθὰν τὴν ναῦν:) *Videtur alludere ad ſententiã illam uulgatam* ὦ ἴσθι ποσειδᾶν ὅτι ὀρθὰν τὰν ναῦν καταδύσως *quam Seneca lib.* XII. *epiſtolarum Latine pronunciat in illo loco, Gubernator tibi non felicitatem promiſit, ſed fidelem operam, & nauis regendæ ſcientiam: hæc eo magis apparet, quo illi magis aliqua fortuita uis obſtitit, qui hoc potuit dicere, Neptune nunquam hanc nauem niſi re-*

ctam;

ctam: arti ſatisfecit, &c. Ad eandem puto ſpectare Quintilianum, cum dicit, Nam & gubernator uult ſalua naue in portum peruenire: ſi tamen tempeſtate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator: dicet notum illud, Dum clauum rectum teneam.

LIBRO SECVNDO AD Q. FRATREM.

Diem dicendo eximere cœpit:) *Nos ut in manuſcriptis libris inuenimus, DICENDI ſcripſimus, quod etiam Germani adnotarunt in marginibus ſui codicis.* Diem *autem dicendi, id eſt tempus: ad* Atti. *lib.* IIII. Metellus *calumnia dicendi tempus exemit.* 559

Idem mihi aiebat ſe uelle nobis placere:) Omnes *manu ſcripti* FACIEBAT *pro* AIEBAT *habent.* Quare *nos exiſtimauimus unius literæ defectu locum hũc eſſe peruerſum. pro* IDEM *igitur* FIDEM *ſcripſimus, niſi fallimur longe meliore ſententia.* Cum *enim* Longilium *redemptorem cohortatus eſſet: dicit illum ita reſpondiſſe, ut fidem ſibi fecerit, ſe uelle nobis placere: quod in ſermone ſuo cupere ſe ipſe maximè oſtenderat.* 565

Non. Aprilibus S. C. Pompeio pecunia decreta in rem frumentariam ad H S MCCCC:) Nos *notam hanc* M *deleuimus, nunquam à nobis in antiquis libris neque hic neque alibi inuentam.* Habent *tamen hoc loco antiqua exemplaria ſupra numerum illum lineam, quæ augmentũ* Millenarij *numeri ſignificat: quam nollem librarios noſtros omiſiſſe.* 569

Μουσοπάταγος:) Nos *rectius ut in aliquo libro uidimus* μουσοπάτακτος *legi putauimus, id eſt à muſis percuſſus &* 170

uulneratus: πάταγος enim ſonus eſt qui ex percuſſione reſultat. hanc etiã uocem uidentur Germani in ſuo antiquo inueniſſe.

571 *Lucretij poëmata (ut ſcribis) lita ſunt multis, &c.)* Non *ueriti ſumus hanc licet ſatis receptam lectionem delere. In manu enim ſcriptis libris nõ inuenimus, & nullo modo rectam eſſe iudicamus. Nam quæ infrà poſita ſunt uerba* MVLTAE TAMEN ARTIS: *neceſſe ut antecedenti ſententiæ repugnent. Cum igitur artem in illis laudet, ueriſimile eſt aliquid prius improbatum fuiſſe. Quod ſi cui mirum uidetur iudicatum eſſe quandoque Lucretium elegantiſſimum, & ornatiſſimum poëtam, non ſatis multis ingenij luminibus ſua poëmata ſcripſiſſe, is iudicium Quinti reprehendat. nam ſuſpicari poſſumus, cum quo modo poteſt cum tueatur, & ornet M. Cicero, non ualde (etſi uideatur illud cõfirmare) fratris iudicio de hac re ſtetiſſe: noluiſſe tamen iracundo homini aduerſari: qui fortaſſe quòd ipſe quoque uerſus ſcribebat, inuidia motus uerum non uidebat: potuit tamen ſic iudicare, quòd Lucretius poëma ſuum non contexuit ut ingenium eius eluceſcat, ſed rationem ab Epicuro traditam ſumma induſtria & artificio explicauit.*

573 *Secutus ille capitalis:)* Nos SICVLVS ILLE, *auxilio meliorum librorum reſtituimus. cum enim de Calliſthene, & Philiſto ſuprà locutus eſſet, iudiciúmque ſuum de Caliſthene iam protuliſſet, nũc de Philiſto quid ſentiat exponit: quem Siculum quaſi uafrum, & callidum appellat. ſic enim de Epicharmo quoque loquitur libro primo ad Atti. Ille Siculus inſuſurret Epicharmus. Fuit enim Syracuſius Dionyſij tyranni cognatus, pro quo contra ciues ſuos pugnans, ab illis captus, & interfectus eſt.*

Cum equis,tum uiris,quoniam ſcribis poema noſtrum 575
ab eo probari quadrigis poeticis:) Omnes excuſi codices,
& manu etiam ſcripti unam,eandémque hanc lectionē ha=
bent:ſed tamen nos eam peruerſam,& deprauatam eſſe pu=
tamus. Eraſmus *pro* VIRIS, VELIS *legit,quod non*
improbamus:ut ſit prouerbium Equis,uelíſque ſequi,*aut fu-*
gere:cum omni conatu,& totis uiribus ſignificare uolu=
mus. Nos *tamen pro* VIRIS, VERO *ſcripſimus ali=*
quantulum,quod neceſſe erat,à ueſtigijs illis corruptis de=
clinantes:ut totum illud (quoniam ſcribis poema noſtrum
ab eo probari) κατὰ παρένθεσιν *dictum ſit,maneátque in*
tranſlatione curſus tum equorum, tum quadrigarum.cum
enim fortaſſe uelis inferre uellet:aptius uiſum eſt,quadrigis
poeticis dicere,cum recordatus eſſet poema ſuū ab eo pro=
bari.nam ſi aliter legas,uerba illa (quadrigis poeticis) quaſi
abundare uidebuntur,& cum à nullo pendeant,otioſa ni=
mis eſſe,& inania.

Τοιαῦτα ἐξεργάζεται:) *Nos hunc ſenariolum diſſolu=* 576
tum,& fractum in ſuos numeros reſtituimus, quos in no=
ſtro etiam uetere codice conſeruarat. Eſt autem Euripidis
uerſus in Icetidibus *à* Theſeo *pronunciatus cum* Adraſto
loquente.cum enim ille aduerſam ſuam fortunam lamentare=
tur,narrans cædem fortium uirorum,ducúmque in Theba=
na clade, dixiſſétque, ἐνταῦθ᾽ ἀπώλεσ᾽ ἄνδρας ἀργείων
ἄκρως, *ſubiungit* Theſeus, τοιαῦθ᾽ ὁ τλήμων πόλεμος
ἐξεργάζεται.

Ambitus redit immanis,nunquam fuit par: Quintanus 577
&c.) Locus *hic in uulgatis codicibus ualde corruptus &*
mancus legebatur,in noſtro multò minus deprauatus eſt,
etſi aliquid adhuc deſyderetur. Nos *enim quæ tutò potuimus*
caſtigauimus. Quæ *enim in antiquis libris ſententiæ opti=*

mè quadrantia inuenimus, ſi recipimus, non uidemur nobis in culpam incidere poſſe: quæ autem in illis quoque deprauata deprehendimus, ut ab illis accepimus alijs damus. Videtur hic eandem rem exponere, quam ad Atti. ſcripſit libro quarto his uerbis, Ardet ambitus, σῆμα ὃ τοι ἐρέω. fœnus ex triente Id. Quintilibus factum erat beßibus. ut fortaſſe notæ hæ, quas nos, ut potuimus, ex antiquo noſtro libro depinximus, trientem, & beſſem ſignificent hoc ſenſu Idib. Quint. fœnus fuit beßibus ex triente. Hanc tamen ſuſpicionem, & coniecturam quandam eſſe fatemur, & ita accipi uolumus. Notis autem quibuſdam ſolitos eſſe maiores illos ſignificare partes, & nomina libræ, nemini dubium eſſe debet. nam etiam Voluſius Metianus libellum de illis compoſuit, qui extat: nec omnino his dißimiles quaſdã habet, quibus hæc nomina ſignificari docet. etſi ueriſimile eſt, notas has uetuſtate, & incuria librariorum corruptas, deformatas eſſe. In uerbis etiam, quæ ſtatim poſt has ſunt, nonnihil mendi ineſt, ut propter hoc nos ſtellulam appoſuerimus. Quod autem pro MESSALA FLERET, ſcripſimus MESSALA FLACCET, uetuſto codici tribuimus, & concordat cum illo in epiſtola ſuprà citata, Meſſala languet.

577 H-S, quæ in ſingulos apud M. Catonem depoſitis:) Nos pro QVAE, QVINGENIS ſcripſimus. uerbáq; hæc omnia κατὰ παρένθεσιν dicta intelligimus, & ita notauimus: QVAE, autem pro Q. errore librariorum ſcriptum fuiſſe putauimus, per quam literam eum numerum quandoque ſignificabant cum prima eius nominis eſſet: pro Q. etiam, cum nomen ſignificat, ſæpe in antiquis libris QVAE legitur: hic autem in noſtro ſanè antiquiore Q. rectè eſt. Eandem rem IIII. libro ad Atticum his uerbis explicat,

explicat, Tribunitij candidati iurarunt ſe arbitrio Catonis petituros, apud eum H-S Quingena depoſuerunt, ut qui à Catone damnatus eſſet id perderet, & competitoribus tribueretur. Quam rem & Plinius in proœmio ſuorum librorum tangit: & Plut. in uita Catonis diligentiſsime narrat. qui depoſuiſſe dicit δραχμῶν ἕκαστον ἀργυροῖς δέκα δύο ἥμυσι μυριάδας.

EX LIBRO TERTIO AD Q. FRATREM.

Vel honeſtate teſtudinis, uel ualde boni.) Hic locus præcipuè debuit mendi nota ſignari. eſt enim corruptiſsimus. 579 prope finem. *Noſtri meliores codices nihil à uulgatis hic diſcrepant. nonnulli pro* BONI, BONVM *legunt, nulla utilitate uetera ueſtigia licet corrupta, magis contaminantes, & peruertentes. etenim nihilominus uera ſententia latet.*

De Fufidio H-S CCCC *emeramus.) Sic uulgati codices. Noſter antiquus H-S* CCCIↃↃↃ ∞ *emeramus: quæ* 580 *notæ centum milia ſignificant, ut ait Priſcianus non ſpernendus grammaticus in libello de ponderibus, & menſuris, ſeu quis magis alius uerus eius libelli autor eſt: nam à doctiſsimis uiris Priſcani eſſe non creditur. Noſtri librarij pro* CI *in medio* ET *ſcripſerunt perversè. Quare locus emendandus eſt. ſunt autem pluribus locis hæ notæ in libris Ciceronis, quas nos ex antiquis exemplaribus reſtituimus: ſæpe tamen eadem negligentia uſi noſtri librarij, uirgulam illam uel lineam, quæ cum his apoſtrophis* C. *ponitur, per* L. *literam expreſſerunt, omnino malè, & contra ueterum codicum autoritatem, in quibus* I *ſemper ſcriptum eſt.*

Seſe autem menſum pedibus aiebat CCCCM.) *Longe* 580 *diuerſus numerus eſt pedum in noſtro antiquo exempari.*

Sic enim in illo legitur: P*aſſuum* I I I.*bus ut paſſuum* I I I. *milibus putem legi debere.* Q*uod autem paulò ſuprà* RESINERE, *in excuſsis libris legebatur, nos* RETINERE, *una tantum mutata litera, caſtigauimus.* Q*uod uerbum, ſi diligenter locus conſiderabitur, optimè quadrare, ni fallor, iudicabitur. Germani improbius, deteriore ſignificatu* RESCINDERE *emendarant.*

584 *Honeſtè uergit in tectum inferioris porticus:)* M*anu ſcripti* VERTIT *habent: quam uocem hic non improbo.* P*aulò pòſt, Sed his iudicijs nihil audeo cõfidere: ijdem libri,* INDICIIS *habent.* N*os receptam lectionem ſecuti ſumus, nec tamen ueterem ſupprimere uoluimus: poſſunt nunc ſtudioſi, ſi has magis probauerint, ipſi ſuo arbitrio reſtituere.*

585 *Ego uerò nullas* δευτέρας φροντίδας, *& cetera.)* E*tſi nos hic nihil mutauimus, non ingratum tamen fore putamus, ſi ſententiam horum uerborum aperuerimus.* P*rouerbium eſt,* δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι: *quod pronunciare ſolent qui ſe quòd ſententiam mutarint excuſant. re enim à ſe melius, & accuratius conſyderata, ſe cognouiſſe errorem, perſeuerareque in illo noluiſſe oſtendunt.* E*uripides in* H*ippolyto* C*oronato ex perſona nutricis, quæ cum* P*hedræ amorem grauiter increpuiſſet, poſtea re diligentius, meliúſque cognita, & animaduerſa, cum ipſam intempeſtiuæ ſeueritatis pœniteret, ſe conſilium mutaſſe dicit his uerbis:* νῦν δ' ἐννοοῦμαι φαῦλος οὖσα κἀν βροτοῖς αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι, *operámque illi ſuam in eo amore conficiendo pollicetur.* A*thenæus etiam libro* XIII. *ſex uerſus* E*uripidis ex* C*reſsis, (quæ tragoedia perijt) citat: quorum primus eſt idem qui in* H*ippolyto,* αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι. Q*uin etiam*

etiam Cicero in XII. *Philippica hoc prouerbium interpre*
tatur, Poſteriores enim cogitationes (ut aiunt) ſapientio-
res ſolent eſſe. Quare cognoſcere poſſumus, nihil aliud
hic Ciceronem per hæc uerba ſignificare uoluiſſe, niſi ſe,
quod ſemel conſilium cęperit de Cæſaris rebus, id perpetuo
uelle retinere, etiam ſi non nimis ſapienter feciſſet, in inte-
grúmque reſtituere poſſet: nec enim ullas ſe habere in illis
poſteriores cogitationes, quamuis uulgato prouerbio ſa-
pientiores haberi ſoleant.

De epiſtolis illis, quas in Tuſculano eius, &c.) Omnes 586
quos uidi manu ſcripti codices hic EPVLIS *retinent, quos*
nos ſecuti ſumus: nec tamen ita damnamus receptam lectio-
nem, ut prorſus eam deleamus, repudiemúſque.

In re hæſit ſumma in frequentia.) Germani INRE- 588
PSIT *caſtigarunt, quam lectionem non contemno. Quia*
tamen in nullis inueni manu ſcriptis, eam reponere non
ſum auſus. ſatis admonere lectorem uiſum eſt. Quod autem
paulò pòſt legatur: HOMO VNDIQVE A TVIS,
nullo ſenſu, caſtigauimus HOMO VNDIQVE A-
CTVS. *Quam lectionem uerba quæ ſequuntur non parum*
confirmant: Cum omnes hominem (inquit) agerent, & tru
derent, & cum ego eum maxime uulnerarem, ſuſtinere non
potuit. quia grauioribus & acerbioribus uerbis, quàm ce-
teri in illum uſus erat dicit ſe illum uulneraſſe, cum illi tan-
tum proturbarent, & de recto gradu deijcerent.

Ille enim & Appium Conſulem ſecum habebit.) Magno 592
fuit auxilio Appius Pomptino in hoc ſuo negotio: ſeque
ab eo magnum beneficium accepiſſe Pomptinus ſemper præ
ſe tulit, gratóque animo operam illi ſuam poſtea præſtitit,
cum legatus Ciceronis in Cilicia illum a Dolabella reum
factum audiſſet. Quod Cicero ad Appium his uerbis ſcripſit,

Pomp

Pomptinus qui à te tractaturus eſt præſtanti, ac ſingulari fide, cuius tui beneficij ſum ego teſtis, præſtat tibi memoriam, beneuolentiámque quam debet. Non tamen parum *negotij habuit Pomptinus, ut putabat* Cicero. *Valde ipſi* Tribuni *plebis moleſti fuerunt ut ſine magnis concertationibus, & cædibus illi triumphum ducere non licuerit. Cur autem tantopere illi infenſi eſſent, narrat* Dion *hiſtoriarum lib.* XXXIX. *quem locum diligenter ab ipſo explicatum, quo melius tota hæc res intelligatur, hic ſcribemus,* κἂν τούτῳ καὶ ὁ πομπτῖνος ὁ γάϊος τὰ ἐπινίκια τῶν γαλατῶν ἔπεμψεν, ἐς γὰρ ἐκεῖνο τοῦ χρόνου μηδενός οἱ διδόντος αὐτὰ ἔξω τοῦ πομηρίου διέμεινε καὶ τότε δ᾽ ἂν αὐτῶν ἥμαρτεν εἰ μὴ ὁ γάλβας ὁ σέρουιος συστρατευσάμενος αὐτῷ κρύφα καὶ ὑπὸ τὴν ἕω στρατηγῶν τὴν ψῆφον τισὶν καίπερ οὐκ ἔξον ἐκ τῶν νόμων πρὶν πρώτην ὥραν γενέσθαι ἐν τῷ τι χρηματισθῆναι ἔδωκε καὶ διὰ τοῦτο τῶν δημάρχων τινὲς ἀπολειφθέντες τῆς ἐκκλησίας. ἐν γοῦν τῇ πομπῇ πράγματα αὐτῷ παρέσχον ὥστε καὶ σφαγὰς συμβῆναι.

Ἄμπωτις *ad ea uerò, &c.)* Verbum Græcum, *qual*-
593 *cunque eſt, coniugi debet cum ſequenti clauſula, ſimúlque ordo trium primarum uocum reſtituendus, qui peruerſus erat: quod etiam cum noſtro concordantes adnotarunt* Germani *in margine ſui codicis.* Reſtat *nunc de characteribus illis Græcis diuinare, qui non mediocriter corrupti ſunt. nos* ὑποθέσεις *ſcripſimus, uidentes ex uerborum ſtructura accuſandi caſu eſſe omnino debere dictionem illam, in noſtróque antiquo libro formas eas literarum huic uerbo uiciniores, & ſimiliores inuenientes, itáque deſinentes ut caſum illum multitudinis numero præ ſe ferant.* Vtitur *autem ſæpe hac Græca uoce* Cicero, *eáque huic loco rectè conuenire*

uidetur

uidetur: uel enim ὑποθέσεις appellat argumenta, ex quibus poëtæ ſua poëmata conficiunt, uel quas intelligit, de oratione *quapiam* Bruti *cum* Attico *loquens.* Ego *tamen, ſi illam cauſam habuiſſem, ſcripſiſſem ardentius* ὑποθέσεις. Ego *quod potui præſtiti: ſiquis, qui noſtram hanc opinionem non probarit, meliorem ipſe certiorémque inuenerit, me quoque habebit ſuæ ſententiæ comitem, & defenſorem.*

Et κλέος *quæris.) Eſt etiam nobis hæc dictio Græca non parum ſuſpecta: non enim ex antiquo codice manifeſto comprehenditur quomodo leg̃nda ſit. Alij alijs modis caſtigarunt. nonnulli* χλέος *legunt. Germani,* πλέον. *nobis immutare non tutum uiſum eſt: magis enim adhuc uulgatas lectiones improbare poſſumus, quàm ueram eſſe ullam ex ipſis confirmare, aut ipſi certiorem in medium adferre. huiuſcemodi ſunt ueſtigia in manu ſcriptis libris ut qui* πάθος *legerent, non longè ab illis diſcederent (primum enim eius dictionis elementum, potius* π *Græco ſimile eſt quàm* κ *literæ.* Λ *autem, &* Α *tam ſimiles ſunt, ut altera pro altera paßim ſumatur) ſed quæ idonea ſententia elicere tur?* Nos *rem incertam reliquimus, cupimúſque integriorem aliquem codicem in lucem uenire, qui hanc litem dirimat. nam etiam minutæ quædam peruerſiones tantam caliginem offundunt, ut uix, aut ne uix quidem ueritas poßit pulſis tenebris apparere.* 595

Sed & iſtam, & Erigonam:) *Germani putantes de duabus tragœdijs ſuprà ſermonem habitum eſſe (iſtas) corrigunt.* Nos *ut in cunctis & excuſis, & manuſcriptis inuenimus,* ISTAM *retinuimus.* Potius *ſuſpicamur ſuprà uitium eſſe in illis uerbis,* Electram, & Troada*: nec enim* Troas *proprium nomen unde appellata ſit tragœdia: &* Ibid.

in

in noſtro antiquiore non legimus TROADA, *ſed* CRODA, *omnino deprauatè, & deformiter, non nego: ſed tamen ut ſuſpicionem noſtram augeat, de una tantum tragœdia intelligere, uocémque hanc cum antecedente copula coniunctam,* Electræ *fortaſſe cognomen quoddam debere ſignificare. nunc tamen nihil habemus quod certius proferamus. ſcripturam quam inuenimus, eam conſeruauimus.* Quod *tamen iudicij habuerim de hac re, non potui ſilentio præterire: quod ſtudio iuuandi hos libros ea qua poſſumus ingenuitate facimus, petimus ne in nobis culpetur. Confidimus autem eos qui hunc locum accuratius conſiderarint, non penitus hanc noſtram ſuſpicionem coniecturámque contempturos.*

595 *Cadit enim in abſolutionem Garrini.)* Sic *iam excuſi codices habebant.* Nos *cum de* Gabinio *manifeſto agatur,* Gabini *emendauimus: & tamen noſter melius codex* GARIRNI *retinet, ſeu fuerit hoc librarij uitium, quod puto: ſeu aliquod illius obſcurum cognomen: poſt quod nomen duos* Homeri *uerſus reſtituimus, qui à* Germanis *quoque inuenti, & ſuo loco repoſiti fuerant, qui ſuperiores duos conſequuntur, quibus iudicium facit, quid immodici illi imbres portendant: ſunt autem omnes* ἐν τῷ π. λ.

595 *Cum eſſes ſanæ mentis.)* Nos *(cũ eſſes)* Sami *reſtituimus (ni fallimur) recte, ab antiquo noſtro codice ferè nihil, aut nihil potius diſcedentes: tantum aliquantulum uox illa* SAMI *diuulſa erat. ſed tamen ut nullum eius membrum deeſſet, extrema ſolum pars eius importune ſequenti dictioni implicata erat, ut poßit integra iterum componi. intelligit autem, ut putamus, tempus, quo* Aſiam *regebat.*

598 Qui *ludos* H·S CCC) Vereor *ne hi numeri, qui ſumptum, quem* Milo *in ludis faciebat, indicant, corrupti ſint.*

nam

nam cum ſuprà in alia (ut arbitror) epiſtola quæ tamen in omnibus impreſsis cum hac cohæſit, dixerit, Ludós apparat magnificentiſsimos, ſic inquam, ut nemo ſumptuoſiores: & cætera. non mihi uidetur hæc ſumma pecuniæ talis eſſe, quæ profuſa rem poſſet eius familiarem euertere, & quæ omnes impenſas quæ unquam in ludis factæ eſſent, ſuperaret: multo enim maiores ſumptus erant, qui paſsim in huiuſcemodi rebus ab eis fiebant, unde ſæpe multi fortunarum ſuarum naufragia faciebant. Tradit autem Plinius *tot milia æris alieni* Milonem *debuiſſe, ut ad illam ſummam hæc non magna pecuniæ portio ſit. Quod autem mihi ſuſpicionem auget, & rem (ut arbitror) manifeſtiorem facit, eſt quòd in ueteribus exemplaribus poſt tres illos* CCC *eſt alius quidam character, qui fortaſſe ſummam eam maiorem reddit. cuius ego certam rationem adferre non poſſum, eſt enim deformatus & non parum contaminatus, ut puto. Non eſt autem uirgula illa, quæ ſolet, figuras has rectas ab apoſtrophis diſtinguere, ſed potius apoſtrophus* Ↄ: *ſed neque hæc etiam compoſita, & bene formata: nec tamen fruſtra ibi eam deſcriptam eſſe exiſtimandum eſt. non eſt mirum harum notarum imperitos librarios omnia confudiſſe & commaculaſſe: nullam certiorem de hac re coniecturam & ſcientiam adferre poſſum: rem totam doctiores cognoſcent, & quicquid eis uiſum fuerit ſtatuent.*

Cuius in hoc uno conſyderantiam.) Ego hunc locum corruptum puto: *uerbum enim hoc barbarum eſt: quod ſi Latinum ſit, & elegans, ſententiæ tamen admodum repugnat & contrarium eſt: erat enim temeritas, inſania potius quædam rem ſuam familiarem effundere in ludorum apparatione. Oſtendit autem uerbis* Homeri *nunc il-* Ibidem

lum

lum tantopere inſanire, ut non amplius ſuſtineri poßit: ut quod de illo Plinius *lib.* XXXVI. *cap.* XV. *tradit, cum hoc loco conueniat: itaque & ipſum* Milonem H-S *ſeptuaginta milia æris alieni debuiſſe inter prodigia humani animi iudico.* Nos *contra hoc uerbum ſtellulam adponi uolebamus:* Librarij *uerò è regione Græcorum uerborum importunè ſtatuerunt, quæ & integra ſunt, & plana. huiuſmodi tamen errata præſtare non debemus: nec enim præſentes eorum negligentiam corrigere potuimus, quæ ſanè tanta eſt, ut à nullo regi, & refrenari queat.*

598 Quod ego nactus.) *Locus corruptus, & lacer:* Germani *ſic in margine ſui codicis ſcripſerunt,* NE ACCIPIAT QVOD ERIGONÆ TVÆ QVOD SOLI CÆSARE *&c.* Vt *ſi coniecturis locus ſit, putem legi non incommode poſſe,* SED QVÆRO LOCVPLETEM TABELLARIVM, NE ACCIDAT QVOD ERIGONÆ TVÆ, CVI SOLI CÆSARE IMPERATORE ITER EX GALLIA TVTVM NON FVIT: *ut intelligamus* Q. Ciceronem M. Fratri ex Gallia Erigonam *tragœdiam miſiſſe: quæ tamen in itinere amiſſa ſit: uel aliquem caſum paſſa, ut ſalua non uenerit.* Timens *igitur ne idem ſuo accidat poëmati* M. Cicero, *ſe locupletem tabellarium quærere dicit, qui illud ad Cæſarem portet.* Parua *nobis omnino licentia uidetur poſſe ſatis aptè locus hic deprauatißimus reſtitui, ſi teſtimonio Germanorum fides habeatur: qui omnia ſe è uetere codice, quæ in marginibus adnotarunt, accepiſſe teſtati ſunt.* Quod *ſi noſter antiquus liber cum* Germanico *penitus concordaſſet, non ueriti fortaſſe eſſemus aliquantulum nobis indulgentes locum, ut ſuprà ſcripſimus, reſtituere: ſed paulò ille uulgatis*

hoc

hoc loco melior eſt: ERGO tantũ habet, ubi excuſi, EGO, ut tamen & ipſe (Erigonæ) ueſtigium aliquod retineat: ſed tamen cum ſtatim tam abrupte in ſermonem de ædificijs ueniat, neceſſariò cogimur locum hunc mancum, & decurtatum eſſe credere.

Imagines enim iſtæ & palæſtra: & piſcina, & in his.) 599
Nos ex melioribus libris, ET NILVS, ſcripſimus. Quis enim non uidiſſet antè IN HIS corruptè legi? nec tamen ſine antiquorum librorum ope poterat locus reſtitui. Vox enim hæc rara admodum eſt: & ex illis maximè, quæ, quia raro inueniebantur, ferè è Latinæ linguæ finibus eiectæ ſunt. Cicero lib. II. de Legibus, Ductus uero aquarum, quos iſti Nilos & Euripos uocant, quis non cum hæc uideat inriſerit? Ex quo loco integritas huius uocis oſtenditur, & ſignificatus aperitur, etſi illinc etiam penè deiecta eſt: plures enim excuſi codices, & hi etiam qui meliores putantur, TVBOS habent, cum tamen omnes manu ſcripti Nilos retineant. Videndum quoquè eſt accuratius an è loco etiam quodam Plinij, qui eſt lib. XXXII. cap. II. eadem uox indigniſſime deturbata ſit. Sic enim in omnibus impreſſis ſcriptum eſt, E manu ueſcuntur piſces in pluribus quidem Cæſaris uillis. Cum (ut opinor) Cæſaris Nilis ſcribendum ſit. nam & antiqua exemplaria NILLIS habent: & uulgaris illa lectio parum apta & propria mihi uidetur. Quis enim qui propriè loqui uellet, unquam diceret piſces in uillis uiuere, & non potius in ſtagnis, piſcinis, & aquis omnino, ubi illi aluntur, & extra quas degere non poſſunt? non enim uillæ ſemper piſcinas habere intelliguntur. ſed non tam facile huius lectionis inconcinnitas & ruſticitas refelli poteſt, quàm ueræ ſinceritas & probitas ab unoquoque cognoſci. Non ignotum fuit hoc nomen erudito

& diligenti uiro (ut tempora illa ferebant) Blondo Foroliuienſi. Sic enim lib. I X. Romæ triumphantis cum de Pegaſo loqueretur (quod inſtrumentum quoddam in domibus uult fuiſſe à Pegaſo equo, quem poetæ fingunt, denominatum, ſuper quo ueſtes ſuſpenderentur) inquit, De qua duriore forſan tranſlatione minus mirabitur, qui infrà uidebit Euripos, Nilos, à ſimilitudine dicta fuiſſe parua in domibus aquarum canalia. Adducit autem non multò pòſt, cum iterum de hoc ageret, locũ Ciceronis è I I. de legibus emendatum: nondum enim ea quæ poſtea per omnes libros diu impune graſſata eſt tempeſtas inuaſerat, è quo ſignificatum eius ut puto elicuit. Idem fatum fuit etiam Latinæ, & elegantiſſimæ uocis, eandémque penè rem ſignificantis S I L A N V S: ut cum paucis admodum locis inueniretur, illinc ferè ſemper ab his qui ſe corrigere libros putant, cum uerius inquinent, & corrumpant, ſublata ſit: ut ex libro V I. Lucretij, ubi atrocem illam peſtilẽtiam deſcribit, quæ Athenas uaſtauit, uel potius ex I I. libro Thucididis interpretatur, à quo accuratiſſimè narrata eſt, Multa ſiti proſtrata uiam per próque uoluta Corpora Silanos ad aquarum ſtrata iacebant, Intercluſa anima nimia dulcedine aquai. quod Thucidides his uerbis expreſſerat, καὶ περὶ τὰς κρήνας ἁπάσας ἡμιθνῆτες τῇ τοῦ ὕδατος ἐπιθυμίᾳ. Quem locum in cunctis ante ſe & excuſis & manu ſcriptis codicibus integrum Marullus Byzantius uitiauit, S I C A M N I S pro S I L A N O S emendando. Quod etiam nuper candidiſſimo autori Cornelio Celſo accidit, cum enim dixiſſet lib. I I. Confert etiam aliquid ad ſomnum Silanus iuxta cadens. quidam contra ueterum codicum autoritatem, Solenos Græcam uocem reponere pro illa auſi ſunt. Silani autem nominãtur etiam à Sexto Pompeio in dictione Tullij.

lij. Tullios alij dixere eſſe Silanos, alij riuos, &c.

Quædam in epiſtola ad Octauium ex ueteribus exemplaribus caſtigauimus: quæ quia ſatis firma ſunt, & per ſe plana, omittemus, properantes ad epiſtolas ad Atticum, in quibus multus ſe nobis offert labor: quem tamen non fugiemus, ut fidem noſtram ſoluamus: argumẽta, & rationes adferentes, quibus ducti maioris momenti locos (nam omnia quæ mutauimus, infinitum eſſet retractare) reſtituerimus. Hanc autem epiſtolam non pauci docti, & ingenioſi uiri minimè Ciceronis eſſe arbitrantur, falsóque illi attributam eſſe iudicant: ſcriptam autem ab aliquo, qui non ſolum perſonam illius, & conſilia exprimere uellet, ſed ſtylum etiam imitari. Quod ſanè ſi ita eſt, ut hi opinantur, egregie quicunque ille fuit, quod uoluit conſecutus eſt. nam quin ſententiæ ipſius conueniat, & ſtomacho, quem extremis illis temporibus contra Octauium habuit, cum ſe ab eo deluſum ſenſit, & remp. (ſcelerata regni ſocietate ab eo cum Antonio & Lepido inita) deletam, dubitari non poteſt: cum cogitaſſe etiam eum tradat Plutarchus audita nefaria illa proſcriptione domum Cæſaris iunioris clàm ingredi, ibique ſe in penetralibus domus iugulare, manéſque ſuos iratos qui eum ſemper exagitarent, ita in illum, domúmque eius immittere, ut facile credi poßit uoluiſſe quoque Ciceronẽ hac acerbißima epiſtola dolorem animi ſui effundere, Octauiánóque, cum aliter non poſſet, his cõuicijs, & maledictis dolorem adferre. Nobis igitur nec uerbis nec ſententijs uidetur ualde ab illo diſcrepare. Nunc ſuum quiſque iudiciũ conſulat, & quod ei rectum uidetur id ſequatur. 599

E PRIMO AD ATTICVM.

Pag. 3. prope finem. Meridie non lucere:) Nos(non liquere)emendauimus. dedit autem huius erroris occaſionem quòd in antiquis libris hoc uerbum hoc loco per C, non per Q, ſcriptum eſt. Quod tamen & frequens eſt,& ſæpe obſeruatum,ut in codice Mediceo in epiſtola ad Lentulum ſic locus ille legitur, Eſſe & tuæ & noſtri imperij dignitatis Ptolemaide aut alico propinquo loco.De iudicijs autem quæ exercebantur meridie,Cicero ad Q. Fratrem meminit,Ego eodem die poſt meridiem Vatinium aderam defenſurus. Et autor Rhetoricorum ad Heren.lib.primo,Rem ubi pagunt,oratione pagunt in comitio,aut in foro ante meridiem cauſam coniicito. Quando autem iudices non liquere pronunciarent,& quæ uis eſſet horum uerborum,& quòd hoc tempore Catilina reus eſſet,omnia ab Aſconio Pædiano diligenter tradita,ſi uoles,accipies.

4 Quoniam uidetur in ſuffragijs multum poſſe Galba:) Nos ex uetuſtis codicibus GALLIA emẽdauimus. Quis enim neſcit multos Galliæ Ciſalpinæ populos ius ferendorum ſuffragiorum habuiſſe:quò ſe Cicero excurrere uelle dicit,ut illorum animos ſibi conciliaret,cum Romæ à iudicijs forum refrixerit?multos enim defenſionum ſibi beneficio obligabat,ut nollet(dum poſſet forenſi labore,& induſtria amicos ſibi,fautoréſque parare)eam occaſionem amittere.Libro II. ad Quintum,Sed magna manus ex Piceno,& Gallia expectatur.Hirtius in Comment.ulti.de bello Gallico,T. Labienum Togatæ Galliæ præfecit,quo maiore commendatione conciliaretur ad Conſulatus petitionem.Cic.etiã in II.Philippica,Ex omnium omnibus flagitijs

gitijs nullum turpius uidi, nullum audiui, quàm quòd, qui magiſter equitũ fuiſſe tibi uiderere, in proximũ annum conſulatum peteres, uel potius rogares: is per municipia, coloniáſque Galliæ, à qua, cum conſulatus noſter petebatur, nõ rogabatur: petere conſulatum ſolebamus: cum gallicis, ac lacerna cucurriſti.

Negant me ei iratum fore, &c.) NEGA *habent ueteres libri: quam lectionem recepi: nam & ueriorem & elegantiorem eſſe iudicaui.* Hanc *autem ex toto hoc loco ſententiam elicio, ut cum paulò ſuprà inquit, illam manum tu mihi cura ut præſtes: intellexerit manum* Pompeij, *id eſt nõ paruam hominum multitudinem, in quibus* Pompeius *ita regnabat, ut eos poſſet, quibus uoluiſſet conciliare.* Hoc *autem autoritate uir ille ampliſsimus & egregijs ſuis meritis conſecutus erat: ſed cum* Pompeius *tam longè abeſſet) gerebat enim hoc tempore bellum aduerſus* Mithridatem, & Aſiæ *reges)* Atticus *autem quamuis & ipſe quoque abeſſet, quia tamen propius* Roma *aberat quàm* Pompeius, *petit ab eo ut ſumma diligentia, tanquam familiariſsimus* Pompeij *totam illam illius manum ſibi conciliet.* Poſtea *autem iocatur cum* Attico *familiariter: uult enim ipſum* Pompeio *ſignificare,* Ciceronem *non ei iratum fore ſi ad ſua comitia non uenerit: nec uelle ſe ullo pacto* Pompeium *nunc relictis omnibus rebus* Romam *properare, ut tempori ſuo ſeruiat, ſéque illi hoc officium remittere. uerba autem illa (quoniam propius abes) per* παρένθεσιν *dicta ſunt.* Abeſſe *autem propius ab aliquo loco, frequens eſt* Ciceronis *locutio, ut libro primo* Tuſculan. Et *primum omnium antiquitate, quæ quo propius aberat ab ortu & diuina progenie, hoc melius ea fortaſſe quæ erant infrà cernebat.* Et *in libello de ſenectute,* Equidem *non uideo cur quid*

ipſe ſentiam de morte, non audeam uobis dicere, quòd eam melius cernere mihi uidear, quòd ab ea propius abſum. Poſterior tamen hic locus in uulgaribus libris antea mendoſe legebatur. Quia autem propius aberat, ideo poterat hoc commodius uel literis uel aduentu ſuo præſtare Atticus. Nam etiam ſequenti epiſtola rogat eum accuratè ut Romam ueniat, illiúſque aduentu docet ſibi opus eſſe maturo ad uoluntatem nobilium conciliandam, quos audiuerat honori ſuo aduerſarios fore. Ex priſtina lectione nullus neque urbanus neque ſatis commodus ſenſus meo iudicio elici poterat: quare meliore (ut arbitror) inuenta, illam repudiaui.

5 Θεῖον γὰρ ἀγαθὸν ἡ τιμὴ) *Sic quondam legebant deprauatè. Cum enim literas Græcas, quæ in manuſcriptis exemplaribus aliquantum confuſæ, & deformatæ eſſent, nō intelligerent, eam repoſuerunt ſententiam quæ illorum iudicio huic loco quadrare uidebatur: ſed mirum eſt quantò magis illuſtrent uerba Homeri, quæ Germani etiam reſtituerant, & nos magno noſtro labore ex antiquo noſtro libro erueramus: ea ſunt in* χ. λ. *cum de Achille loquitur, qui Hectorem fugientem ſequebatur effuſo curſu. Quem locum Virgilius Aeneidos lib.* XII. *accuratè expreſſit, ut ſic horum uerborum ſententiam reddiderit, neque enim leuia, aut ludicra petuntur Præmia. Celeriter (inquit) & magna feſtinatione currebant: neque enim eorum curſus erat pro adipiſcendis præmijs quæ curſoribus proponi ſolent: uerum de uita, & morte Hectoris. Cum autem Homeri locum oſtenderimus, ſatis officio noſtro feciſſe putamus: non erimus in uerbis illis explicandis longiores, quæ & aperta ſunt, & nunc paſſim (magna ſeculi huius felicitate cum Græca lingua tantopere perdiſcitur, & tanta Græcorum librorum copia in lucem uenit) omnibus nota, & expoſita.*

ſita. Quòd ſi quis nimis obſtinate uulgatam illa lectio=nem adhuc amplexaretur, conſyderet uerba Ciceronis, quæ ſequuntur: VIDES ENIM IN QVO CVR=SV SVMVS. quæ omnem ſcrupulum tollunt: ſuum enim enim honorum curſum, ut illorum uerum curſum, non eſſe de leui re docet, ſed pro adipiſcendo conſulatu. Talem au=tem eſſe, & tam iuſtam illam ambitionem, ut etiam ſi illa occecatus in aliqua re lapſus fuerit, ſibi ignoſcendum ſit. 7

Vt totum Gymnaſium ἑρμαθῆνα eſſe uideatur.) Nos in noſtro antiquo ἡλίου ἀνάθημα inuenimus, quod etiam Germani in ſuo codice modica omnino peruerſione ſe re=periſſe teſtati ſunt. Quare non paßi ſumus amplius ue=ram lectionem (ut putamus) iacere. Quis enim conſenſum tam bonorum, & ueterum exemplariorum audeat repu=diare? Ibidem

De meis ad te rationibus.) Non mutauimus hic receptam lectionem: Admonemus tamen lectorem, meliorem noſtrum codicem DE MEIS DETRACTIONIBVS ha=bere. ſiquis hanc magis probat, is eam ſuo arbitrio ſequa=tur. Vulgata lectio & defendi poteſt, & ueriorem fortaſſe ſententiam retinet. Nos epiſtolam, in qua hæc uerba ſunt, à ſuperiore ſeiunximus. nam importune illi adhæſerat: quod multis argumentis (quæ unuſquiſque qui diligenter attende=rit, uidebit) cognoſci poteſt. Ibidem

Si qua ornamenta gymnaſio reperire poteris.) Anti=quus noſter liber: GYMNASIO DEREPERIRE POTERIS. Nos ſyllabã illam DE arbitrati ſumus con=iungi debere cum antecedente dictione: quemadmodum eo etiam loco, quod retinet idem codex, Quæ gymnaſiode ma=xime ſunt: cum uulgati ibi etiam deprauati ſint: γυμ=νασιώδη quæ in ambobus locis ſcripſimus, ea intelli= 8

 gentes

gentes ornamenta γυμνασιώδη, *quæ gymnaſij ſint illique loco præcipuè conueniant.quod etiam inquit in epiſtola ad* Fabium Gallum,Ea *enim ſigna ego emere ſoleo, quæ ad ſimilitudinem gymnaſiorum exornent mihi in palæſtra locum.*

10 Ευμολπιδῶν πατρίδα:) πάτρια *ferè omnes excuſi, quemadmodum eſt in antiquis,habēt,ut intelligat ritus patrios,& inſtitutiones illius ſacræ familiæ,& auguſta myſteria, ut inquit* Cicero II. *de legibus. Cupiebat igitur* Chilius *ſibi mitti ab* Attico Eumolpidarum *ſacra,fortaſſe ut poematibus ſuis includeret.erat enim poeta,ut ex illo loco colligitur,*Epigrammatis *tuis,quæ in* Amalthea *poſuiſti,contenti erimus,præſertim cum &* Chilius *nos reliquerit,&* Archias *nihil de me ſcripſerit.nihil tamen illius ad nos peruenit,ut* Archiæ *cuius quædā legimus:epigramma ſanè illud de quatuor* Græciæ *certaminibus ipſum autorem habet.* πάτρια σύρων *appellat* Athenæus *lib.* VIII. δειπνοσοφιστῶν, *leges & ritus quoſdam* Syrorum: καὶ τοσαῦτα μὲν ἔφη ὁ δημώκριτος καὶ αὐτος ἡμῖν προσεψάνησεν οὐκ ὀψοφαγήσων παρῆλθον διὰ τὸ πάντα ἄριστον οὐλπιανὸν ὃς διὰ τὰ σύρων πάτρια καὶ ἡμᾶς τῶν ἰχθύων ἀπεστέρησεν ἐπ' ἐξερετρίας παρεισφέρων.

10 *Et ſi quid aliud* ὤνιον *eius loci &c.)* Præter *antiqui codicis fidem,quædam etiam argumenta habuimus, quæ fecerunt ut* οἰκεῖον *ſcriberemus:non paruum illud,quod animaduertimus, nunquàm ferè* Ciceronem Græca *uoce uti cum* Latinam *habet,quæ egregiè quod uult exprimat.tam autem plenè ſignificat* VENALE Latinis, *& tam receptum eſt,quàm* Græcis ὤνιον: *quod non accidit de alia uoce quam reſtituimus:nec enim* Latini *ullum habent uerbum, quo plenè* οἰκεῖον *dicant. Itaque* Cicero *in* Lucullo

Græcam dictionem ponit, cuius antea uim complexus fuerat, ut manifeſtius faceret, quid ſuperioribus uerbis intelligere uoluiſſet. Nam quomodo non poteſt animal ullum non appetere id quod accommodatum ad naturam appareat, Græci id οἰκεῖον *appellant, &c. Vt quod illi uno nomine dicunt, uix ipſe duobus exprimat. Et in eodem libro, Idq́; initium eſſe naturæ accommodatum. pro* οἰκεῖον *dixit: ut hic etiam* οἰκεῖον *eius loci, id eſt, illi maxime aptum & accommodatum, ſignificet, quod ſuprà dixit, Ornamentum academiæ proprium meæ, & tamen nunc expreßius dicit* οἰκεῖον*, id eſt, ſuum & ualde adpoſitum. Paulò autem antè* HERMERACLAS *ſcripſimus ex antiquo illo codice, ubi* HERMEROTAS *prius erat ex Mercurij & Herculis formis compactis ſtatuis.*

Typos tibi mando.) Scimus Hermolaum in ſui Corollarij libro primo, cap. XXXIIII. *Rhypos potius legere, quàm emendare, ſic enim dicit, Sed & apud Ciceronem in epiſtolis ad Atticum Rhypos ſcriptum eſt, pro ceris ſiue formis unde ſigilla fingebantur, fortaſſe à ſitu uetuſtatis appellatas, &c. Quod tamen in nullo unquam uidimus neque excuſo neque manu ſcripto. Noſter ſanè antiquior* LYPOS *habet. Nos adhuc magis receptam lectionem ſecuti ſumus, & magis antiquæ uicinam: cum certius aliquid ipſi inuenerimus, aut ab alijs docti erimus, tunc hanc delebimus, ac meliorem reponemus.* *Ibidē in fine 6.5.*

Plutealia ſigilla.) Sic aiunt olim emendaſſe Beroaldum: quod in quoſdam etiam propter uiri autoritatem excuſos libros manauit: nobis non tanti ea fuit, ut non magis ueteribus libris crederemus, quorum mirificam concordiam in hoc perſpeximus: nec tamen iudiciū illius contemnimus: lectio certe ab eo conformata plana & expedita eſt. *Ibidem*

poterit unuſquiſque, ſeruata antiqua ſuo loco ſcriptura, quod magis probabit eligere. Scyphos ſigillatos nominat Cicero in Verrinis, accurrit Venerius, iubet me ſcyphos ſigillatos ad prætorem ſtatim adferre.

11. *Sin autem eum & offendes.)* Quamuis hic notam, quæ mendum indicet, non adpoſuerimus, tamen locum deprauatum eſſe exiſtimamus: cùm autem ab antiquo codice adiuti non ſimus, uulgatam lectionem magis quàm eſt, contaminare noluimus.

12. *Teucris illa:)* Nos ante hæc uerba, MVLTA DESVNT ſcripſimus, plurimis argumentis in hanc opinionem ducti. Cùm enim paulò ſuprà adhuc ſe candidatum eſſe fateatur, quæ ex hoc loco traduntur poſt peractum conſulatum geſta ſunt. paulò enim infrà de prodromis Pompeianis agit, & de uoluntate Pompeij (qui iam ex ſua expeditione reuertebatur) qui aperte agere cogitabat Antonio ſuccedi oportere. is autem poſt peractum conſulatum (collega enim fuit Ciceronis) in Macedoniam cum imperio profectus erat. Manifeſto etiam colligitur ex pluribus locis Pomponium Atticum Romam ueniſſe, ut ex illo ſequentis epiſtolæ, Sunt autem poſt diſceſſum à me tuum, &c. Vt nullo modo cohærere potuerint, quæ poſt ſpatium ſaltem duorum annorum ſcripta ſint. Deeſſe autem quædam hic præcipuè iudicauimus: non enim TEVCRIS ILLA idoneum epiſtolæ principium uidetur: nam intermiſſionem etiam ſcribendi factam, cum Romæ manſerit Pomponius, nemo poteſt inficiari. Pluribus autem locis infrà de Teucride hac loquitur, cum ſuprà nunquàm de hoc negotio mentionem fecerit. Hæc autem ſufficiant. Qui uerò attentius conſiderarint, plures etiam coniecturas uidebunt, quas nos ſcientes omiſimus: nemo autem miretur nos inter-

dum

dum mancos, & decurtatos eſſe hos libros credere, apud optimos enim autores inuenimus citatos eſſe locos ex epiſtolis ad Atticum, qui nuſquam in his reperiuntur, ut Suetonium, cuius in Cæſare hæc ſunt uerba, De hac ſignificare uidetur & Cicero in quadam ad Atticum epiſtola, referens Cæſarem in conſulatu confirmaſſe regnum, de quo ædilis cogitarat. Poſſemus & alia non infirmiora teſtimonia proferre, quæ nunc omittemus.

Teucri Syllani:) Nos moti autoritate uetuſti codicis ita emendauimus, Teucris illa lentum, &c. qui ſemper ſic ſcriptum habet: infrà enim de hoc negotio bis agit: cum autem obſcurè ſcripſerit, & διὰ αἰνιγμάτων, uix poſſumus quid intelligere uoluerit diuinare. In extremo ſecundæ ab hac epiſtolæ ferè hoc nomen in uulgatis etiam rectè ſcriptum erat, cum dixit, τεῦκρις promiſſa patrauit. quia autem ignotis hominibus has literas dabat, parum in illis liberè loquebatur: nam ſequenti epiſtola cum dicit, Tuus autem ille amicus, &c. credimus nos eum Pompeium intelligere: quod ex ultima huius uoluminis epiſtola manifeſtius colligitur: iiſdem enim penè uerbis idem de illo iudicium facit: ſuppreſſo tamen nomine, ſed ita certis indicijs, ut dubitari non poſsit. Ibidem.

Nihil ego illa impudentius, nihil aſtutius, nihil entius uidi:) Sic nos emendauimus ex uetuſto codice. (illa) autem, Teucride intelligimus (lentius) uerò quia ſemper hoc eius negotium lentum eſſe dicit. Ad hunc autem locum, NAM A CÆCILIO PROPINQVI, &c. alludit Seneca epiſtolarum lib. XXI. his uerbis, Quàm durus ſit fœnerator Cæcilius, à quo minoris centeſimis propinquis numus moueri non poſsit. in quibus nonnihil mendi ineſt, ut ſiquis cum hoc loco concordare uelit, præpoſitione Ibidem.

tant

tantum addita facilè poſſit, A PROPINQVIS legendo. nam Propinquis moueri, pro à propinquis intelligere, nimis durum uidetur: aliter quomodo locus ille intelligi debeat, non uideo.

Ibidem. Tito mandaui σκέψεις.) Hoc Græcum nomen in noſtro antiquo Latinis literis SCEPSIS ſcriptum eſt, ut Græcum quondam σκήψεις fuiſſe exiſtimem. Sunt autem σκήψεις excuſationes & προκαλύμματα quæ cogitamus & fingimus, cum alicui negotio adeſſe nolumus. Sophocles, ἀλλ᾽ εἰσόρα μὴ σκῆψιν οὐκ οὖσαν τιθῇς. Ariſtophanes etiam πλούτῳ ſycophantem, cum interrogatus eſſet an mercaturæ operam daret, reſpondentem inducit, ναὶ, σκήπτομαι ὅταν τύχω, id eſt, cum mihi commodum eſt, fingo me mercatorem eſſe, ut fugiam officia ac munera quibus illi ſoluti ſunt: utor hac excuſatione, & prætextu quodam, ut uacationibus illorum fruar. Denique Cicero lib. XVI. harum epiſtolarum, cum crebris eum literis Octauianus rogaret ut in cauſam ſuam deſcenderet, inquit, Ille urget, ego autem σκήπτομαι, non confido ætati, &c. id eſt, ſimulo aliquid impedimenti mihi ortum eſſe, & prætextum aliquem inuenio quare id facere non poſſim. ἀναβολὴ autem procraſtinatio, & in alium diem dilatio. Mandarat igitur Cicero Tito ut ſe excuſaret, & negotium illud in aliud tempus reijceret.

Ibidem. Sed neſcio an ταυτόματον.) Sic quondam in excuſis etiam legebatur, poſtea ταυτομάτων ἡμῶν ſcribere cœperunt. Antiquior etiã noſter TAVTOMATON habebat: ἄλλων autem alia manu poſtea repoſitum fuit, ex quo nonnulli (ut puto) ἡμῶν fecerunt. Nos uulgatam nunc lectionem (etſi non probemus) ſecuti ſumus. ſed quia locus obſcurus eſt, cum nihil certi adferre poſſemus, eum intactum

reliq

reliquimus: potius tamen ſuſpicamur, ταυτόματον legendum eſſe, hac ſententia, ut dicat ſe profectò T. mandaſſe σκήψεις atque ἀναβολὴν, quæ tamen fortaſſe non neceſſariæ erunt. res enim ταυτόματον, id eſt ſponte ſua quem opto exitum habebit. Poſtea *addit rationem quare non opus fore excuſationibus & dilatione putet,* Nam *(inquit) mihi* Pom*peiani prodromi nuntiarunt, &c.* Nos *in re dubia ſuſpicionem etiam quam habemus reticere noluimus, ſimúlque innuere quam ueriorem, & caſtiorem lectionem eſſe putemus: doctiorum tamen iudicio uirorum de hac re ſtare uolumus.*

Per *manus ſeruulæ ſeruatum, & eductum.*) Sic *etiam nos ſcripſimus, cum tamen* Germani *ex antiquo codice,* SEPRVLLÆ *in margine ſui codicis pro* SERVVLÆ *ſcribant: & nos in noſtro etiam meliore, & antiquiore* SEPRVLÆ *ſcriptum inuenerimus: noluimus rem ſilentio præterire quin noſtrum iudicium de ea proferremus, & antiquam lectionem teſtatam relinqueremus, ſiquid fortaſſe lateret quod nos ignoraremus.* Cicero *tamen in oratione de* Aruſpicum *reſponſis receptam lectionem confirmat, cum inquit de* Clodio *loquens,* Niſi *ex eo loco, quò cum adire fas non fuerat, ancillarum beneficio emiſſus eſſet.* Et Plutar*chus in uita* Ciceronis *eidem adſtipulatur.* 15

Quomodo *ἐνεπερπερευσάμην:*) Sic *ferè omnes uulgati codices deprauatiſsimè: quod etiam ita negligenter interpretati ſunt, ut nullam rationem habuiſſe uideantur neque huius loci ſententiæ, neque* Græcæ *etiam ſcripturæ.* Nos *ἐνεπερπερευσάμην legimus ex noſtro meliore libro, id eſt, me oſtentaui, & quaſi iuueniliter iactaui, omnibus adhibitis fucis & ornamentis orationi meæ tanquam exultaui, & placere illi ſtudui.* Hinc *autem colligere poſſumus quàm perfecte* Græcum *ſermonem calleret* Cicero, *qui tam propriè, &* 17

aptè

aptè abſtruſioribus etiam uerbis eius linguæ utatur. Originem & rationem huius uocis ex Suida accipies, & alijs quorum ſtudium eſt hæc minute explicare: ea autem non una eſt: cum tamen omnes in ſignificatu conſentiant. Nouum autem auditorem Pompeium appellat, quia tunc ab illa feliciſſima expeditione contra Aſiæ reges redierat.

Ibidem. *Si unquam mihi ἐπιχειρήματα ſuppeditauerunt.) Nos ex uetere noſtro libro noſtram lectionem accepimus: quam etiam Germani ex uetuſto codice adnotarant: ut conſentientibus tam remotis teſtibus, fides omnino illis haberi debeat. eſt autem hæc lectio uehementior, & illo animi ardore, quo hæc pronunciabat Cicero dignior, multas uno ſpiritu argumentorum ſpecies, & orationis ornamenta nominare. Quid autem καρποὶ hoc loco ſint, fatemur, nos non compertum habere, in quo etiam dubitarunt Germani: cum multa apud Græcos hoc nomen ſignificare ſciamus, nunquam inuenimus hoc ſignificatu quo hic uidetur Cicero ponere: niſi mendum fortaſſe ſit eo loco in his ueteribus codicibus, quod tamen alijs iudicandum relinquimus. Reprehendit Ariſtoteles lib. III. Rhetorices inane ſtudium eorum qui nimis curioſe nomina quibuſcunque rebus imponerent: & maximè Lycimnium quendam rhetorem qui multa huiuſcemodi uocabula finxerat, taxat: ἐπέρυσιν, ἀποπλάνησιν, ὄζους, ut fortaſſe ab eodem quoque hæc uox καρποὶ excogitata fuerit. Si enim quaſdam orationis partes ille μεταφορικῶς ramos appellauit, cur non credi poteſt eundem nonnullas alias ab eadem re tranſlato nomine fructus appellaſſe? Verum hæc leuis coniectura eſt, quam tamen non ſpreuimus, ſi fortè noſtro indicio poßit aliquando certior quædam ratio huius nominis aßignari.*

29 *Fuſius circunceßit.) Hic locus uarijs modis legitur: cum*

enim omnes corruptum eſſe exiſtimarint, quiſque pro ſuo ingenio ſuppleuit. Germani corrigunt FVSIVS TERT. CONSVL CESSIT, *quod inane, & falſum puto. Noſter antiquior* FVSIVS TERTIVM CONCESSIT: *quod nos recepimus. in tantis enim tenebris quid potius faceremus non habuimus, quàm ut libri illius, quem infinitis locis fidelem experti ſumus, non certam etiam lectionem ſequeremur. Eſt autem hic* QU. *Fuſius Calenus perpetuus inimicorum Ciceronis defenſor, qui cauſam Clodianam acerrimè defendebat. ſi autem noſtram lectionem probes, intelligere potes, cùm antè bis conceſſiſſet, tertiùm nunc conſenſu optimatium uictum, coactum eſſe concedere.*

21 *Tribuni non tam ærarij, quàm ut appellantur ærati.) Contrà in noſtro antiquiore libro* TRIBVNI NON TAM ÆRATI, QVAM VT APPELLANTVR ÆRARII. *Appellabantur ſanè ærarij tribuni à tribuendo ære, autore Feſto unuſquiſque, quæ commodior lectio uiſa fuerit, eam ſequatur.*

22 Ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχοντες:) *Germani uidentur in ſuo antiquo codice non parua ueſtigia ueræ lectionis inueniſſe: nec tamen plenè locum reſtituerunt. Eadem nos, & paulò fortaſſe integriora in noſtro probatiore habemus: quamuis neſcio cuius culpa cum Germanico exemplari noſtrum etiam impreſſum aliquantum iniquinatum ſit: nunc tamen omne uitium eius detrahemus. Eſt ſæpe apud* Homerum *(ut omnes ſciunt) uerſus ille, qui totus antè in cunctis impreßis legebatur,* ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχουσαι: *quando auxilium muſarum implorat, aliquam nouam narrationem exordiens.* In XVI. *autem* Iliadis *cum in naues* Græcorum Troiani *faces iniicere*

cœp

cœpiſſent, ut claſſem incenderent, nouum nouæ rei princi-pium faciens, eundem uerſum repetit, ſtatimque infert ὅπως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε νηυσὶν ἀχαιῶν. *Quare Cicero hic rem admirabilem exponere uolens, loco illo Homeri eleganter, & accommodate utitur, poſtremam partem prioris uerſus ut non neceſſariam omittens, & tantum poſterioris adſumens, quantum ſibi ad declarandum quod uolebat, utile erat. & ſane rectè in antiquo totum id ſcriptun eſt: quia tamen aliqua ſemper dictio aliquantulum peruerſa eſt, fit ut non parum perturbationis adferant Græci hi loci, niſi intelligas cuius autoris ſint, & literas cum integris, & incorruptis uerbis ſcriptoris illius cõferas: tunc omnia quæ prius diuulſa erant uerborum membra componuntur. nam elementa ipſa nunquam ferè deſunt, etſi deformata aliqua parte ſint. Quare ne longiores ſimus ſi ex uetere ſcriptura, & ratione ipſa locus hic legendus eſt,* ἔπετε νῦν μοι μοῦσαι, ὅπως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε: *ut non tantùm opem muſarũ inuocet, ſed exponat etiam in qua re narranda uelit illas ſibi auxilio eſſe. Plato etiã* V I I I. *lib. polit. hoc eodẽ Homeri principio utitur, cum tradere uellet quibus motibus ſua ciuitas perturbari poſſet, quæque ſeditiones oriri inter ſocios & eos qui Remp. regerent. Cùm autem ſermo Platoni futurus eſſet de ſeditionibus, & diſcordijs ubi Homerus ignis, ille ſeditio excitata eſt, inquit. Hæc illius uerba ſunt,* πῶς οὖν δὴ ἔπον ὦ γλαύκων ἡ πόλις ἡμῶν κινηθήσεται. καὶ πῆ στασιάσουσιν οἱ ἐπίκουροι καὶ οἱ ἄρχοντες πρὸς ἀλλήλους, καὶ πρὸς αὐτοὺς ἢ βούλει ὥσπερ ὅμηρος εὐχώμεθα ταῖς μούσαις εἰπεῖν ἡμῖν ὅπος δὴ πρῶτον στάσις ἔμπεσε καὶ φῶμεν αὐτας τραγικῶς ὡς πρὸς παῖδας ἡμᾶς παιζούσας καὶ ἐρεσχελούσας ὡς δὴ σπουδὴ λεγούσας ὑψηλολογουμένας λέγειν. *quæ eo libentius poſui, ut uiderẽt omnes quomodo grauiſſimi ſcriptores iiſdẽ*

Homer

Homeri locis unuſquiſque pro ſuo commodo uterentur.

Ne aut ignorãdo ſtultiſsimi iudicaremur.) Nos hic menſdi notam adpoſuimus:manifeſtò enim deeſt quiddam: cum enim duas propoſuiſſet,uni tantùm parti reſpondet.nonnulli(ut putò) coniectura ducti ſic locum suppleuerunt: NE AVT IGNORANDO STVLTISSIMI AVT METVENDO IGNAVISSIMI IVDICAREMVR. qui integriorem codicem nactus erit,hic tutò poterit omnes hos uerborum defectus reſtituere:noſtrum ſemper conſilium fuit hæc mutila,& decurtata loca,ut in ueteribus libris inuenimus potius dare,quàm aut nos ſupplere,aut ut ab aliis ſuppleta ſunt,tradere. 24. in princ.

Comeſatores.) Nos(commiſſatores) ſcripſimus, ut hic noſter uetus codex habet:& in epiſtolis ad P. Lentulum, Medicæus:ubi uerſus Terentij citat,Phædriam intromittamus commiſſatum.In noſtro ſanè Terẽtio,quem olim Politianus cum uetuſtiſsimo illo Petri Bembi accuratiſsimè contulit,ſemper ita in illo quidem uetere,hoc uerbum ſcriptum eſſe Politiani manu adnotatum eſt. 25

Itaque & ludentes Gladiatoribus:) Nos ex noſtro antiquiore exemplari ET LVDIS ET GLADIATORIBVS ſcripſimus: quam eſſe legitimam,& ueram huius loci lectionem non dubitamus:ſed ne hic iterùm eadem repetamus,uidenda ea quæ adnotauimus ſupra locum illum in epiſtola Aſinij: GLADIATORIBVS AVTEM FADIVM QVENDAM, &c. ἐπισημασίας autem hic intelligit:quas libro primo ad Qu. Fratrem ſignificationes appellat,eo loco de Aſia loquens,ut theatro μεταφορικῶς, Natura autem ita reſonãs,ut uſque Romam ſignificationes,uocéſque referantur.Item Liuius,Deinde ex dignitate magis uiſum ſcribere cum de quibus uideretur, Ibidem 8.

n

retur, quàm præſentem aut referendis ſuis in ciuitatem beneficijs erubeſcere, aut ſignificationibus, acclamationibúſq; multitudinis aſſentatione immodica pudorē onerantis, &c. Polybius etiam lib. III. πάντων δὲ ἐπισημηναμένων ὡς δίκαια λέγοντος τοῦ κήρυκος, &c. ideſt, plauſu, & clamore ſignum ſuæ mentis, uoluntatíſque dantibus. In his etiam epiſtolis lib. XIIII. Tu ſiquid pragmaticon habes, ſcribes: ſi minus, populi ἐπισημασίαν, & mimorum dicta perſcribito. Non enim hic dicit ſe abſtuliſſe mirandas ἐπισημασίας gladiatoribus, eſſet enim ineptum: ſed populo ludorum gladiatorúmque conſeſſu: tunc enim propter multitudinem quæ ſimul coit, populi R. iudicium, ac uoluntas ſignificatur.

Ibidem In comitiorum cauſa.) Hæc poſtrema dictio in noſtro antiquo non eſt, ut fortaſſe dictum ſit quemadmodum lib. XII. Maxima eſt in Scapulæ celebritas, propinquitas. Et lib. XIII. Eum uideo in Libonis prætorem. ut enim ſuprà (hortis) ſic hic (annalibus) intelligendum eſt. uidentur enim hæ locutiones ſimiles illi eſſe qua uſus eſt Cicero ad Qu. Fratrem de aquæductu ſcribens, Præſertim cum tu neque per Locuſtæ, neque per Varronis uelles ducere. De qua doctiſſimus uir Budæus eruditè diſſeruit: qui alias quoq; huic conſimiles apud Ciceronem eſſe docet, & omnes à Græco ſermone originem ducere: illis autem receptis & probatis, cur non huic quoque pari locus eſſe poteſt? ſed omnia ut puto imperiti librarij contaminarunt.

25 Vt quoad uiuat ſingulis tribubus H S. CCCCXXXV. debeat.) Nos numerum H-S. quem in antiquo codice iiſdem etiam notis perſcriptum inuenimus, repoſuimus. Quid autem per notas illas ſignificetur, iam declaratum eſt. Germani pro TRIBVBVS, TRIBVLIBVS legunt. Nos

tamen

tamen receptā lectionem,quam etiam in cunctis manuſcri=
ptis uidimus,retinuimus,etſi illam non improbemus.

Fabam mimum:)Adeo perturbatus eſt & obſcurus hic locus,ut quid de eo ſtatuendum ſit,mihi non conſtet.qui= cunq; manu ſcripti meliores ſunt, FABA MINIMVM primo habebant:ex quibus tam deprauatis uocibus factum poſtea fuerat FABAM MIMVM ab iiſdem qui libros illos ſcripſerant.Eam igitur caſtigationem recepi:non quòd illi ualde confiderem,ſed quia meliorem,& certiorem non habui.quid enim in tantis tenebris aliud facerem,quàm à priſcis exemplaribus ut optimis ducibus ne tantulum qui= dem declinare? Qui integriores codices nactus erit,is po= terit ex hoc loco hanc quaſi fuliginem abſtergere,aut erudi= tiores fortaſſe aliqui ueterem ueram & ingenuam eſſe le= ctionem probabunt,nec meliorem quærendam eſſe oſten= dent. Alij FABAM NVMVM legunt,non minus du- bia & incerta mihi lectione.Sententia huius loci perſpicua eſt:queritur Cicero cōſulatum illum ſuum quem antea opti- mus & clariſſimus uir ſummis laudibus in cœlum tollere ſolitus erat,ſi indigniſſimæ perſonæ honorem illum adipi= ſcentur(quod accidet ſi L.Afranius Cos.factus erit)omnem dignitatem amiſſurum,& rem uilem & abiectam euaſu= rum.quare laudat conſilium Attici,qui ſe literis & ſapien= tiæ ſtudijs dediderit,& honores omnes,magiſtratúſque ne= glexerit. 25.prope finem.

Nónne ἐλαφητέον:) Antiquior noſter,& omnes manu ſcripti, FLOCIFACTEON prima tantū litera aliqua= tenus peruerſa,ſed errore ſatis frequenti:multis enim lo= cis(quod ſæpe magnas peruerſiones produxit) E pro F ſcri= ptum eſt: credo ſimilitudine,quam inter ſe in antiqua illa ſcriptura hæ literæ habebant,quæ maioribus literis cōſta= Ibidem

bat: ut ex lapidibus & multis etiam peruetcribus libris deprehenditur. Latinum autem uerbum Græcorum more inflexit: alludit enim ad uocem illam φιλοσοφητέον, quam paulò antè poſuit. nam ut alibi formauit Sullaturit, Lentulitates, & Appietates, ſic (ut opinor) in hoc loco Floccifacteon dixit: non quòd eadem omnino ſit ratio huius & illarum formationum, ſed quia conſimilem quandam habent licentiam diſcedentis aliquo modo ab uſu, & conſuetudine Latini ſermonis, ut aptius quod uolebat, effingeret, & uno uerbo exprimeret: & iſtos conſulatus non floccifacteon, id eſt, non debemus facere flocci, & dignos exiſtimare, in quibus aſſequendis tantum ſtudij, & laboris ponamus.

31. in fine. *Vt anniuerſaria ſacra iuuentuti non committerentur:) Meliores codices rectam lectionem retinent, IVVENTVTIS. non enim dicit ſacra anniuerſaria non eſſe commiſſa iuuentuti, ut iuuentus illis excluſa intelligatur: ſed ſacra iuuentutis, quæ ſcilicet pro iuuenibus ſunt inſtituta autore Feſto (ſingulis autem annis redibant) non eſſe commiſſa dicit eodem ſignificatu, quo cõmittere ludos, & commiſsionem ludorum dicit.*

32. in princ. *Memmius ſuis ſacris uitiauit:) Nos in cunctis manu ſcriptis INITIAVIT legimus: Germani quoq; in margine ſui codicis ſic ſcribunt. Credimus omnino intelligere Ciceronem Luculli uxorem à Memmio uitiatam & ſtupratam eſſe: ſed cum ſuis ſacris id flagitium commiſerit, cũ ioco (initiauit) dixiſſe: mos eſt enim in ſacris mulieres initiare, & non ſtuprare. Vt rem igitur turpem honeſto nomine proferret, ſimulque ſiniſtrum morem initiandi, quo Memmius uſus erat, taxaret, pro uitiauit (initiauit) dixiſſe. Quæ autem ſacra Memmij intelligat, cõſiderandum. Multa argentea nomiſmatã uiſuntur, quæ in auerſa fronte Cereris imaginem*

imaginem habeant cum hac inſcriptione, MEMMIVS AED. CVRV. CERIALIA PREIMVS FECIT. *Quam rem etiã Politianus animaduerterat, & tradit Miſcellaneorum capite* LXXXV. *fortaſſe igitur Cerialibus intelligit: cum enim ea primus fecerit, rectè eius ſacra appellari poſſunt: uel quibuſdam ſuæ genti, & familiæ proprijs ſacris.*

Auet filius:) Nos in manu ſcriptis AVLI AVTEM FILIVS *legimus. Vt L. Afranium intelligat Metelli collegam in conſulatu. cùm enim ſuprà de Metello, quid ei uideatur expoſuerit: nunc iudicium ſuum de altero conſule profert: ſic enim ſuprà etiam Afranium appellat, Omnibus inuitis trudit noſter Magnus Auli filium.* 32

Νῆφε καὶ μέμνησο:) *Hæc uerba Græca corruptè antea legebantur: nam & pro* ἄρθρα, ἀνέρα *ſcriptum erat: & alijs mendis fœda erant. Nos ex noſtro codice illa reſtituimus. Suidas etiam in dictione* πρόχειρος *locum Polybij adducit, ubi dictum hoc Epicharmi celebratur:* ἀλλ᾽ ἔστιν αἴτιον τοῦ μὴ πρόχειρον ὑπάρχειν, τὸ παρ᾽ ἐπιχάρμῳ καλῶς εἰρημένον νῆφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα φρενῶν: *quam rectam eſſe lectionem confirmat Qu. Cicero, qui in libello de petitione conſulatus ſic ea interpretatur, Quamobrem* ἐπιχάρμειον *illud teneto: neruos, atque artus eſſe ſapientiæ non temerè credere.* 35. in fine.

Barbara quædam, & obſoleta:) Meliores codices, quos nos ſecuti ſumus σόλοικα *habent, tam certè & huic loco accommodatè, ut nullo opus ſit argumento ad hanc lectionem confirmandam.* 36

Nam ut ait Rhinton.) Poëta hic Comicus fuit, patria Tarentinus. Athenæus lib. III. δειπνοσοφιστῶν *ipſum citat in comœdia Amphitryone. Ad hunc Rhintonis ſenario-* 38

lum uice prouerbij iactatum puto M. Varronem *lib.* III. *de re ruſtica alludere cùm inquit, Quis cõtra nunc* Rhinton *non dicit ſua nihil intereſſe, utrum his piſcibus ſtagnum habeat plenum, an ranis?* Noſtri *librarij ſecundam uocem huius uerſus deprauarunt: pro* μὲν *enim,* μετὰ *ſcripſerunt, turpi, ſed manifeſto errato.*

EX LIB. II. AD ATTIC.

Vt σεμνότερός τις & πολιτικώτερος *uideretur.)* Quamuis *hic receptam lectionem conſeruauerim, & antiquam contempſerim, fortaſſe nõ ſine culpa: uolo nunc ipſam mea opera in lucem prodire: nec enim eàm ita prauam iudico, ut penitus repudiari debeat.* Ne σεμνότερός τις, &c. *habent priſca exemplaria, quod prima ſpecie ualde abſonum uidetur, cum* NE, *pro, ut non, poni ſoleat. perſpicuum autem ſit* Philippicas *orationes ſcripſiſſe* Demoſthenem, & *ſe à iudiciali genere abiunxiſſe, ut ea res ſibi honorem dignitatémque adferret, & ut grauior grandiórque orator haberetur: id enim eſt* σεμνότερος: *quod ex* Cicerone *colligitur, qui in* Oratore *ſic uerba hæc* Ariſtotelis *in tertio* Rhetorices *interpretatur,* ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ λεκτικὸς καὶ ἁρμονίας δεόμενος, ὁ δ' ἴαμβος αὐτὴ ἔστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν: διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες: δεῖ δὲ σεμνοτέραν γενέσθαι καὶ ἐκστῆσαι. Quod *longè* Ariſtoteli *uidetur ſecus, qui iudicat heroum numerum grandiorem quàm deſideret ſoluta oratio.* Iambum *autem nimis è uulgari eſſe ſermone: itaque neque humilem nec abiectã orationẽ, nec nimis altam & exaggeratam probat: plenam tamen eam uult eſſe grauitatis, ut eos qui audient, ad maiorem admirationem poßit traducere.* Alibi σεμνὸς *diuinus à* Cicerone *dicitur, ut opinor. nam*

cùm

cùm dixit in proœmio ſecundi libri de oratore, Sed hæc tragica atque diuina: puto illum hoc uerbum exprimere uoluiſſe. nam Ariſtotel. lib. II. Meteororum cum ferè eandem ſententiam proferre uellet, ita locutus eſt, τραγικώτερον γὰρ οὗτοι καὶ σεμνότερον ὑπέλαβον ἴσως εἶναι τὸ λεγόμενον. *Quamuis autem huius uerbi ſignificatus notiſsimus eſſet, non malum tamen fuiſſe puto hæc è tam claris autoribus diſſeruiſſe. Si igitur* NE, *ſemper* VT NON *ſignificet, uidetur omnino ſententiæ repugnare, & nullo modo antiqua lectio probari poſſe: ſed alibi mihi legiſſe uideor (niſi fallor)* NE *pro* VT, *affirmatiuè poſitum eſſe, ut in Oratore, Tantúmque abeſt ne (quod ij qui hoc aut magiſtrorum inopia, aut ingenij tarditate, aut laboris fuga non ſunt aſſecuti, ſolent dicere) eneruetur oratio compoſitione uerborum, ut aliter in ea nec impetus ullus, nec uis eſſe poſſit. Sunt autem omnes, qui illo uolumine continentur Ciceronis libri (meo iudicio) minus quàm cæteri contaminati. nam hæc cum in ea incidunt, conſueuerunt iuniores quidam ſine ulla dubitatione peruertere: quod fortaſſe etiam fecerunt hoc loco, quem in manibus habemus: quo fit ut huius locutionis pauciora exempla adferre poſsimus. Nihil autē nunc aliud mihi occurrit quo poſsim antiquam lectionem magis confirmare: eruditiores hoc diligentius conſyderabunt: & ſi uidebitur, ipſi priſcam hic uocem quamuis rariorem reſtituent. Contrà autem* VT *pro* NE, *ab optimis autoribus frequenter uſurpatum eſt, & à doctis uiris accuratè animaduerſum. nos etiam id pluribus locis temeritate quorundam ſiniſtrorum correctorum ſublatum in ſuam ſedem reſtituimus.*

Cùm in Sicilia ædilitatem ſæpe dictitaſſet:) Quia hic lo 41
cus obſcurus eſt, nō uerebor antiquam lectionem (etſi corru-

ptam, & ineptam) proponere. nam quum tam uariè in melioribus legatur, auget mihi ſuſpicionem, locum non carere mendo. Elegantiores homines, ſinceræq; M. Tullij locutionis amatores diligentius hunc locum conſiderabunt: mihi enim difficilis admodum uidetur. Quod ſi commentitijs fabulis contenti eſſe uolumus, omnia erunt plana, & aperta: ſed illas nec aures eruditorum delectare arbitror, nec animum alere: ſic ſcriptum eſt in antiquioribus, CVM IN SICILIA HAEREDITATEM SAEPE HAEREDITASSET, NEQVE MAGNOPERE, &c. Hæc uideant ſtudioſi: quid enim nocere poſſunt hic notata? Saltem ut conſiderent quantum etiam antiqua exemplaria aliquibus locis deprauata ſunt.

Sed ſoror, quæ tantum habeat conſularis loci.) Munera Gladiatorum in foro dabantur. Conſules autem, & alij
42. in princ. magiſtratus gerẽtes, pro magiſtratus dignitate ſpatium habebant ubi ſpectare poſſent, ſiue amicis, familiaribúſque ad ſpectandum dare. Virgines item Veſtales ſuum locum gladiatorium habebant, & conſulum uxores. Qui magiſtratus petebant, ſoliti erant à propinquis, & neceſſarijs uel precario, uel mercede magnam uim horum locorum impetrare, & hac liberalitate candidati multorum animos ſibi cõciliabant: cum nonnulli etiam nobiles uiri in circo totas tabernas tribulium cauſa compararent. Decreto autem M. Tullij, liberi, poſterique Seruij Sulpitij circum eam ſtatuam, quæ illi, quòd ob rempub. mortem obijſſet, in roſtris erecta eſt, locum Gladiatoribus, ludíſque habebant quaque uerſus pedes quinque. Cùm igitur Clodius candidatus eſſet, petierat à ſorore Clodia Metello Celeri nupta, quæ multum haberet loci conſularis, ut ſibi aliquantum concederet: illa autem parum liberaliter ei uſa eſt

reſpondere, *cum unum tantum pedem promiſiſſet, de quo cum Cicerone queſtus reſponſum tulit iniuria illum de ſororis uno pede queri: poſſe enim, cum ei commodum eſſet, etiam alterum pedem tollere, acerbo, ſed laſciuo nimis dicto. & parum grauitate, dignitatéque Ciceronis digno. putabatur enim Clodius tres ſorores ſtupraſſe. Tollere autem pedem figuram quandam Veneris deſignat, de qua Martialis intellexit, cum dicit, Suſtulit ille pedes. ſuſtulit hic tunicam. Sed & lib. XI. Tolluntúrque pedes, ô medicina grauis. Locus igitur Ciceronis iam planus eſt. ſed cur primam uocem poſterioris epigrammatis Martialis, quod adduxi, meo iudicio deprauatam, non corrigam? præſertim cum, ſi rectè cogites, omnem uim illius & elegantiam perturbet? nec enim* HICTERICAM *legi debet. Quis enim unquam audiuit Hictericos eo modo curari? falſum hoc profectò eſt, & à nullo unquam traditum, ſed* HYSTERICAM. *Sic enim appellantur mulieres quæ uuluæ ſuffocationibus laborant, quas Venere curari notiſſimum eſt. Galenus lib. VI. de locis affectis,* ἐγὼ δὲ θεασάμενος πολλὰς γυναῖκας ὑστερικὰς ὡς αὐταί τε σφᾶς αὐτὰς ὀνομάζουσι, αἱ ἰατρῖναι πρότεραι παρ' ὧν εἰκός ἐστιν κἀκείνας ἀκηκοέναι τοὔνομα, *&c. narrat autem in hoc epigrammate malitiam Ledæ, quæ finxit ſe hyſtericam eſſe, ut non modo lubente, ſed etiam iubente marito poſſet libidinem ſuam explere, exclamatque in tam facilem & ſuauem medicinam. Si autem hictericam legas, cum regius morbus nullo modo ea curatione indigeat, falſa & inepta totius epigrammatis ſententia erit. nec enim ea ratione potuiſſet Leda uetulo marito imponere, et quod uolebat, hoc artificio aſtutè ab illo extorquere.*

Neque te in Decurionibus habebam.) Sic uulgati habebant: manu ſcripti TOCVLIONIBVS, *quemadmodum* 44

& nos etiam ſcripſimus, deprauatè omnino (ut puto) ſed tamen tali rectæ, & ſinceræ lectionis ueſtigio, ut nunc poſſit uel intelligi obſcura, & inaudita uox, uel induſtria ſtudioſorum reſtitui: nos ſanè nihil de illa compertum habemus. quiddam de uſuris præ ſe ferre uidetur, quas Græci τόκους appellant. putamus tamen quæ nobis ignota ſunt ea doctioribus hominibus, & qui plura legerint, percepta eſſe: quare noluimus committere, ut noſtra huius rei ignoratio alijs noceret: miramur tamen non eſſe contra ipſam adpoſitum aſteriſcum: ſtatueramus enim donec alicuius eruditionis opera & ingenio magis declararetur, notam illi hanc adpoſitam eſſe ut ſuſpectæ & inquinatæ. Vulgatam lectionem exiſtimamus nos falſam eſſe & ab aliquo ſuppletam eorum qui omnes obſcuriores uoces tanquam ſcopulum fugiunt: dúmque omnia Ciceronis uulnera occulere ſtudent, faciunt ut nequeant ea remedia adhiberi, quibus acri iudicio uiri poſſent has quandoque Ciceronis plagas ſanare. nobis certum eſt hos nullo pacto imitari. Decuriones tenuiſſimis in Italiæ municipijs, magiſtratus erat. Quid igitur hoc ad Atticum? uidetur potius, ut ſuſpiciones omnes noſtras ingenuè proferamus, tale eius negotiũ innuere, quod parum honeſtum & ingenuum eſſet: ſed de tota hac re alijs doctioribus ſtatuendum relinquimus.

45 Gyrus agebatur niridiorum. αἱ διαφάσεις &c.) Sic locus hic antea corruptiſſimè legebatur. Nos auxilio noſtri antiqui codicis illum emendaſſe nobis uidemur, CYRVS AIEBAT RADIORVM διαφάσεις, hoc ſenſu; Cum idem mihi quoque quod tibi uideretur, rem cum Cyro contuli: ille autem affirmabat radiorum διαφάσεις latis luminibus non tam eſſe ſuauis. Qua de cauſa non poſſant reprehendi feneſtrarum anguſtiæ. Erat autem Cyrus architectus,

quod

quod etiam ex epiſtola ad Trebatium *manifeſtò colligitur: ait enim, Chryſippus* Vetitus Cyri *architecti libertus fecit ut te non immemorem putarem mei.* Ratione igitur *ductus Cyrus anguſtas feneſtras fecerat: cum enim uidere noſtrum fieri* κατὰ ἀκτίνων ἔκχυσιν, καὶ πρόπτωσιν *crederet, indicabat radiorum ipſorum exitus, & tranſparentias (ut uulgo appellant) per anguſtas feneſtras magis ſuauis eſſe: in quo non fallebatur. ſiquidem cum ſemper ſe radij magis aperirent, & in laxius ſpatium ex anguſtis meatibus effunderentur, tanquam recreabantur, & ita iocundiorem aſpectum efficiebant.* Lumina *autem appellat feneſtras, & omnia foramina, per quæ lux domum ingreditur.* Atticus *autem qui putabat* διὰ τῆς τῶν εἰδώλων ἐμπτώσεως, *uiſionem noſtram effici (delectabantur enim ratione, & ſententijs* Epicuri*) rectè putabat erratum eſſe in feneſtrarum anguſtijs: uidebat enim ſimulacra quæ à rebus à nobis uiſis diſcedant, ad oculóſque noſtros perueniunt, ſi per anguſta lumina tranſirent, neceſſario laboratura in anguſtijs illis, idque nobis inſuauiorem illarum rerum aſpectum efficere debere, ideóque illas improbabat. Laudandus igitur eſſet an uituperandus Cyrus, ex eo pendebat, utra uerior eſſet ratio, & opinio de origine, ac cauſa noſtræ uiſionis. nam ſi* Democriti *&* Epicuri *ſententia recta eſſet, non poterat ille culpam effugere. Si autem* Academicorum *opinio, nihil peccauerat.* Cicero *autem quaſi opinionem* Democriti *confutauerit, inquit,* Nunc *ſit lepide illa* ἔκχυσις *radiorum. Sic autem &* Ariſtoteles *loquitur, poſtquam opinionem aliquam alicuius falſam eſſe docuit. nam, quaſi ſenſui illam repugnare oſtendere uolens, refert & ipſe* NVNC*: quaſi manifeſtum iam ſit rem illo modo ſe habere non poſſe, & abſurdam eſſe, & conuictam opinionem illam lib.* III. *de*

anim

anima, διὸ οὐδὲ μεμῖχθαι εὔλογον αὐτὸν τῷ σώματι, ποιὸς γὰρ ἄντις γίγνοιτο θερμὸς ἢ ψυχρὸς κἂν ὄργανον τι εἴη ὥσπερ τῷ αἰσθητικῷ νῦν δὲ οὐδὲν ἔστιν. Et lib. primo περὶ οὐρανοῦ, ἀλλαμὴν οὐδ' ὑπ' ἄλλου φέρεται αὐτῶν τὸ μὲν ἄνω τὸ δὲ κάτω οὐδὲ βίᾳ ὥσπερ τινές φασι τῇ ἐκθλίψει βραδύτερον γὰρ ἂν ἐκινεῖτο τὸ πλεῖον πῦρ ἄνω καὶ ἡ πλείων γῆ κάτω νῦν δὲ τοὐναντίον. Eodem dicendi modo *utitur perſæpe Lucretius, ut lib. 1. cum incommoda oſtendiſſet quæ ſequerentur, ſi res è nihilo orirentur: ſubiecit, At nunc ſeminibus quia certis quæque creantur, &c* Et eodem *lib. At nunc per maria ac terras ſublimáque cœli, &c.*

45 *In qua* σωκρατικῶς εἰς ἑκάτερον) *Cum Græca uox hic deſideraretur poſt aduerbium illud* σωκρατικῶς, *excuſi omnes ne ſpatium quidem habebant quo ipſa recipi poſſet: ſtulto omnino conſilio illorum, qui id commiſerant. dum enim ſe omnes maculas deleuiſſe ambitioſè oſtendere uolunt, omniáque manca loca ſuppleſſe, membra illa quæ uitiata ſunt, occulunt, aut reſecant: cum melius meo iudicio facerent, ſi quæ ipſi uulnera ſanare nequeunt, non tangerent, at peritiores medicos in conſilium adhiberent. Magis prudenter, & ingenuè ſe in hoc Germani geſſerunt, qui antiquam ſcripturam maioribus quidem illam conſcriptam literis depinxerunt, ut in priſcis exemplaribus inuenerant, quibus characteribus nos ualde ſimiles, uel potius æquales in noſtro antiquiore libro inuenimus: ijs autem diligenter, ſæpiúſque conſideratis putauimus nihil aliud poſſe ſignificare quàm* εἰς ἑκάτερον. *uel aliquis ea accuratius ueſtigia examinet. Nos eo animo ſumus, ut meliori ſemper iudicio acquieſcamus. hanc autem eſſe exiſtimo huius loci ſententiam: in qua* πολιτεία *noſtra more Socraticorum in utranque partem copioſè diſſerui: deinde ad extremum*

mum τὴν ἀρέσκουσαν, id eſt ſententiam quam magis pro=
babam, confirmaui ſcilicet, & ſecutus ſum. Sic etiam fe=
cit Cicero cum ſententiæ in Lentulum, & reliquos coniu=
ratos dicerentur: poſt enim ſententiam à C. Cæſare dictam,
inquit Plutarchus Ciceronem multa uerba feciſſe, partim
ſententiam D. Syllani reliquorúmque qui eum ſecuti fuerant,
confirmans, partim ultimam C. Cæſaris. quo etiam loco
ſic loquitur Plutarchus, ut nos hic emendauimus, ut idem
locus exemplum nobis ſit morem hunc habuiſſe Ciceronem
etiam in Senatu in utranque partem diſſerendi, & modi
illius dicendi: cum etiam illo Græci, cum hoc exprimere uo
lunt, utantur. Eſt autem hic: ὥστε δὲ τῆς γνώμης ἐπιει-
κοῦς καὶ τοῦ λέγοντος εἰπεῖν δεινοτάτου ῥοπὴν ὁ Κικέ-
ρων προσέθηκεν οὐ μικρὰν αὐτός τε γὰρ ἀναστὰς ἐνεχεί=
ρησεν εἰς ἑκάτερον, τὰ μὲν τῇ προτέρᾳ τὰ δὲ τῇ γνώ-
μῃ Καίσαρος συνειπών.

Θεοφράστου περὶ φιλομαθίας affer mihi de libris Qu. 46
Fratris.) Titulus libri Theophraſti in antiquo noſtro co=
dice deminutus eſt. Sic enim in eo legitur, ΠΕΡΙΦΙ=
ΛΟΤΕΙΑΣ, ut alij alijs modis emendauerint. ut cuique
enim uidere licet, parua permutatione uarijs modis reſti=
tui poteſt, ſed omnino diuinare aliquantulum oportet. Nos
περὶ φιλοτιμίας ſcripſimus: ſcimus enim ex ipſius uita
illum hoc titulo librum edidiſſe: nec tamen id affirmamus,
ſed in malis, quod magis uериſimile uiſum eſt, id ſecuti ſumus.

Velim Syrpiæ conditione:) Olim excuſi libri ſic ſcri- 46
ptum habebant: alij SCIRE CONDITIONES ca-
ſtigarunt, neſcio quàm bene. Nos SYRPIÆ CON=
DITIONE: quod & in cunctis manu ſcriptis inueni=
mus, & Germani etiam adnotarunt. Cum tamen locum
corruptum eſſe arbitrer (mihi certè ignotus eſt) ideo
contr

contra eum notam, qua deprauatos locos indicamus, adponi uolebamus, quæ uitio librariorum duobus uerſibus ante poſita eſt. doctiores hunc locum accuratius uidebunt: quia antiquiorem ſcripturam minus inquinatam eſſe putauimus, faciliúſque ea duce in ſinceram lectionem perueniri poſſe confidimus, ideo eam retinuimus.

46 *Et iſte ſacerdos bonæ deæ cuiuſmodi futurus ſit, ſciri poßit:*) *Longè diuerſam habet lectionem antiquus noſter codex: duæ enim poſtremæ uoces in eo non leguntur. ſed melius omnino eſt antiquam ſcripturam qualis qualis eſt hic deſcribere, ut poßint doctiores uidere an hic locus rectè ſuppletus ſit, uel ipſi his ueſtigijs ducti fidelius illum reſtituere. eſt autem hæc,* ET ISTE SACERDOS BENE DE TE CVIVSMODI FVTVRVS SCIVS SIT: INTEREA QVIDEM, &c. *Etſi hæc ualde mendoſa appareat, cum tamen à uulgata tam diuerſa ſit, non peccaſſe nos arbitror, qui hanc antequam penitus intereat, teſtatam relinquere uoluerimus: receptam tamen in noſtro libro nulla uarietate ſcripſimus, quanquam ea nobis non parum ſuſpecta eſt.*

47 *Cato ille noſter.*) *Nos ante hæc uerba uerſum* Homeri *reſtituimus, quem inuenimus in antiquis exemplaribus: eſt autem* λ. χ. *pronuntiatus ab* Hectore, *cum ſecum cogitaret ignominiam quam ſubiret, ſi pugnam cum* Achille *detrectaſſet. maximè enim ueretur ille* Polydamantem *hunc fratrem ſuum ſapientißimum, & optimum uirum, qui, ut rediret cum exercitu intra urbem, conſilium ei dederat: cui cum non paruiſſet, reprehenſionem illius ſe ſuſtinere non poſſe iudicat, niſi forti animo cum* Achille *pugnarit.* Hunc *etiam uerſum adducit* Ariſtoteles *in libris de moribus, cum de hac fortitudine loquitur quæ oritur ex infamiæ metu:*

δοκοῦσ

δοκοῦσι γὰρ ὑπομένειν κινδύνους οἱ πολῖται διὰ τὰ ἐκ τῶν νόμων ἐπιτίμια καὶ τὰ ὀνείδη καὶ διὰ τὰς τιμὰς καὶ διὰ τοῦτο ἀνδρειότεροι δοκοῦσιν εἶναι παρ᾽ οἷς οἱ δειλοὶ ἄτιμοι· οἱ δὲ ἀνδρεῖοι ἔντιμοι, τοιούτους δὲ καὶ ὅμηρος ποιεῖ οἷον διομοίδη καὶ τὸν ἕκτορα πουλυδάμας μοι πρῶτος· ἐλεγχείην ἀναθήσει, &c. Eſſe autem ſibi dicit Catonem, quod Hectori Polydamantem.

Κἂν ὑπὸ στέγῃ: &c.) Locus hic antè deprauatiſsimè legebatur: in noſtro antiquo penè integer eſt, ita tamen ſcriptus, ut uix intelligi queat: paruæ enim etiam peruerſiones adeo lectorem turbant antè quàm uerum inuenerit, ut uix poſſe uideatur ex tam contaminatis ueſtigijs uera lectio indagari. Laborauit ualde Eraſmus doctiſsimus, & ſtudioſiſsimus ſenex ut hunc locum reſtitueret, nec tamen conſequi potuit quod omni conatu tentauit. Quod autem quoſdam codices ψάκαλος habere dicit, ſéque tamen quid id ſit ignorare fatetur, noſter antiquus liber minùs deprauatam eam uocem habet: eſt enim in illo, ΨΑΚΑΔΟΣ ut ſi ſecundam literam ex A, in E, commutes, ψεκάδος facias, quod tunc rectè ſe habebit ſecundo caſu à recto ψεκὰς quæ gutta, & imber eſt: nec eſt uerſus trochaicus catalecticus, ut credidit ille, ſed penè dimidius, & integer ſenarius. Deeſt tamen in uulgatis, & excuſis libris tota dictio πυκνᾶς, quæ ex illa ψεκάδος pendet: nec eum acris iudicij uirum ſiuit numeros inueſtigare, ut ſic totus legi debeat; καὶ ὑπὸ στέγῃ πυκνὰς ἀκοῦσαι ψεκάδος εὑδούσῃ φρενί: inuenimus primum integrum, cuius hic extrema pars adducta eſt, & qui illum etiam ordine præcedebat, apud Ioannem Stobæum, περὶ ναυτιλίας καὶ ναυαγίων λόγων ζ. nomine etiam Sophoclis, ut ſententia tota plana ſit, & pulcherrimus ſenſus elegantiſsimi poëtæ totus intelligatur, dicique

non

non poſsit quàm egregiè hic quadret. miram enim ſecuritatem declarat τί τοῦ τοῦ χάρμα μεῖζον ἂν λάβοις ποτὲ τοῦ γῆς ἐπιψαύσαντα καὶ ὑπὸ στέγῃ πυκνῆς ἀκοῦσαι ψεκάδος εὑδούσῃ φρενί. *Cúmque ſupra ſe aliorum naufragia è terra Cicero intueri cupere dixiſſet, his nunc Sophocles uerbis maiorem animi tranquillitatem exprimit, cum affirmet, ſe maximè deſiderare domi ſuæ, quietum ſecuros, & profundos ſomnos capere: ut oſtendat ſe penitus à gerendis rebus abhorrere, quærereque omnia quæ in uita otioſa grata eſſe ſolent. Imber autem, & denſæ guttæ ſomnos ſuauiores conciliant: quod etiam Tibullus candidiſsimus poëta tangit,* Aut gelidas hybernus aquas cum fuderit auſter, Securum ſomnos imbre iuuante ſequi. RECEPTIS AVTEM GVBERNACVLIS *ſcripſimus, autoribus melioribus libris, non* EREPTIS, *ut uulgati habebant. nam etſi coactus erat exire de naui, non tamen abiecerat gubernacula, ſed receperat, ut poſſet poſtquam aliorum naufragia uidiſſet, ipſe accurrere, & nauem conſeruare: artem enim bene regendæ nauis ſecum exportauerat. Numeros quoque qui infrà ſunt, antea corruptos, ex antiquo noſtro codice reſtituimus.*

31 Qui quenquam ex uigintiuiris unum eſſe ſaluum uelit:) *Et hoc etiam loco noſter antiquus ualde deformatus eſt: eodem tamen conſilio quo paulò antè uſi ſumus, nos hic etiam antiquam ſcripturam ſtudioſis omnibus proponemus: ut diligentius animaduertant an poſsit ex ea aliquid boni erui, ut ille faciebat qui ſe ex ſtercore* Ennij *aurum colligere dicebat: ſic enim eſt in illo,* QVI QVENQVAM EX VIGINTIVIRIS VIVVM EST SÆGIVM VELIT, *ut fortaſſe (uiuum, & ſaluum uelit) legere oporteat ſed opus eſt rem totam diligentius conſiderare.*

Piſaurenſis nebuloni Vatinio reſeruatur:) Antiquus 52
noſter codex: PISAVRENSI A NEPTILONI VATINIO RESERVATVR. Nonnulli etiam excuſi ſic penè habebăt. Nos hunc locum non uno hoc tantum nomine peruerſum arbitramur, ſed alijs etiam: neque eum noſtro labore, & induſtria illuſtrare potuimus. quare quod ſupererat, illum ut corruptum ſignauimus. Qui meliorem codicem nactus erit, is poterit has facile maculas delere: aliter uix poſſe puto tam deprauatum locum reſtitui.

Denique etiam Vatinij ſtrumam ſacerdotij διβάφῳ ue= 52. in fi-
ſtiant.) Credo his uerbis ſignificari rem, quam copioſè ex- ne.
plicat in Oratione cŏtra Vatinium: in Augurum enim collegium ſe ſperauit Vatinius poſſe cooptari Cæſare conſule, nonnulliſque alijs enixè adiuuantibus: quod quidem cogitaſſe illum, prodigij ſimile Ciceroni uidebatur, qui non ceſſauit de hoc etiam ipſum in ea oratione acerbiſsimis uerbis interrogare: totámque hanc eius cupiditatem inridere & exagitare. quàm autem id indignum ei uideatur, his etiam uerbis breuiter innuit: Dibaphon autem purpuram eſſe bis tinctam nemini iam ignotŭ eſt ex Plinio, Tibullo, & alijs autoribus, ut putem idem etiam intelligi loco illo ex epiſtola quadam ad Cœlium, cum inquit, Sed tamen togam prætextam texi Appio, puto te audiſſe: nam Curtius noſter dibaphum cogitat. quòd ipſe etiam Curtius uoluerit fieri augur: atque id ab inſigni hoc eius ſacerdotij Cicero indicet: quòd qui eo honore fungerĕtur, purpura hac uterentur. Sed cur locum Plinij poſtquam in purpuræ ſermonem incidi, non corrigam, qui turpiter deprauatus eſt? præſertim cum omnes omni ſtudio & induſtria egregium illum ſcriptorem conentur purgare, & meliorem facere, qui tam ualde olim mendoſus erat, ut non minore auxilio ei opus fuerit in ſuis

uulneribus curandis, quàm quod præſtitum eſt omnium ſtudioſorum conſpiratione in eo fouendo, & ſanando. is eſt lib. IX. cap. XXXVIII. cum de purpuris agens inquit, Capiuntur poſt canis ortum, aut ante uernum tempus utiliſſimum: quoniam cum fœtificauere, fluxos habēt ſuccos, &c. Quomodo enim FOETIFICAVERE, *rectè ſcriptum eſſe poteſt, cum conſtet purpuras è purpuris non gigni, ſed autore etiam Ariſtotele cum ipſas, tum reliqua teſtis incluſa è limo, & è materia putreſcente oriri? Legendum igitur quemadmodum eſt in ueteribus libris* CERIFICAVERE, *pro fœtificauere. Finxit enim (ut arbitror) hoc nomen Plinius, ut Græcum uerbum quo Ariſtoteles pluribus locis, dum hiſtoriam earum tradit, utitur, exprimeret: id eſt* κηριάζειν. *Nam & ſententiam etiam ipſam ab Ariſtotele accepit, qui inquit,* ὅταν δὲ κηριάζωσιν αἱ πορφύραι τότε χείριστον ἔχουσιν ἄνθος. *Et non multò antea:* ἁλίσκονται δὲ τοῦ ἔαρος ὅταν κηριάζωσιν, ὑπὸ κύνα δ' οὐχ ἁλίσκονται. *nec fortaſſe neceſſe erat Theodoro aliud uerbum formare, ſi integros Plinianos codices nactus eſſet. cur enim autoritatem Plinij in nominibus fingendis non ſequeretur? ille autem fauificare dixit. niſi fortaſſe cū uitium in uerbo (fœtificauere) eſſe animaduertiſſet, putauit erratum hoc fuiſſe librarij, & pro fœtificauere, fauificauere à Plinio ſcriptum fuiſſe. in quo iudicium hominis non ualde reprehendendum eſſet, qui labem illam & maculam perſpexiſſet: & coniectura duce non incommodè locum reſtituiſſet: quamuis dum uariare orationem uult, ut copiam, & elegantiam oſtendat. idem nomen quandoque etiam duobus uerbis interpretatur, ut ordiri fauos, & extruere fauos. Plinius autem cap. XXXVI. eandem rem his uerbis uidetur expoſuiſſe, Congregantur uerno tempore, mutuóque attritu lentorem cuiuſdam*

ceræ ſaliuant. Sic enim uidetur uerba hæc Ariſtotelis reddere uoluiſſe, ἀφιᾶσι δὲ ἀρχόμεναι κηριάζειν γλισχρότητα μυξώδη, ἐξ ὧν τὰ λεπυριώδη συνίστανται. Quid autem κηριάζειν eſſet, ipſe Ariſtoteles lib. v. de hiſtoria animalium, unde etiam ſuperiora exempla accepimus, diligenter narrat his uerbis, αἱ μὲν οὖν πορφύραι τοῦ ἔαρος συναγειρόμεναι εἰς ταυτὸ ποιοῦσι τὴν καλουμένην μελίκηραν. τοῦτο δ' ἐστὶν οἷον κηρίον πλὴν οὐχ οὕτω γλαφυρὸν ἀλλ' ὥσπερ ἂν εἰ ἐκ λεπυρίων τῶν ἐρεβίνθων λευκῶν πολλὰ συμπλακείη, οὐκ ἔχει δὲ ἀνεῳγμένον πόρον οὐδὲν τούτων, οὐδὲ γίγνονται ἐκ τούτων αἱ πορφύραι, ἀλλὰ φύονται καὶ αὐτὰ καὶ τὰ ἄλλα ἐκ τοῦ σύφεος καὶ τῆς ἰλύος ὀστρακόδερμα: τοῦτο δὲ συμβαίνει ὥσπερ ἀποκάθαρμα καὶ ταύταις ταῖς κήρυξι, κηριάζουσι γὰρ καὶ οἱ κήρυκες. quæ qui Latina habere uult, is laudatam illam Theodori interpretationem adeat: ibi enim omnia accuratè & eleganter expreſſa leget. Quamuis autẽ κηρίον unde κηριάζειν deductum eſt, fauum potius, quàm ceram ſignificet (κηρὸς enim cera dicitur, non κηρίον) nemo tamen miretur Plinium cerificare dixiſſe, nam & Latini fauos ipſos ceras appellarunt: ut Virgilius, & Columella multis locis: & Græcum nomen quo fauos illi nominant, à cera deriuatum eſt: & hos præcipuè purpurarum fauos ceras adpellare non alienum fuit, qui figurã tantum fauorum habent, melle uacui ſunt. quare omnino hanc eſſe duco genuinam Plinij lectionem: nec quenquam elegantius puto, aptiúſque potuiſſe Græcum uerbum exprimere quàm Plinius fecerit.

Conuiuijs tuis ἀστιάγους:) Nos ſcripſimus, CONVIVII. ISTIVS ἀσελγοῦς ex noſtro codice, quemadmodum etiam Germani in margine adnotarant: quæ profectò uera eſt huius loci lectio. Quid enim hic Aſtyages Rex ſtrã- 54. in fine.

ſi fabulas audire uolumus, nihil tam abſurdum eſt quod non poßit aliquo figmento concinnari. Eandem hanc rem in principio ſecundæ ab hac epiſtolæ indicat, Quantam etiam (ſcilicet expectationem) moues de illo delicato conuiuio. ut nihil de ſinceritate horum uerborum dubitari amplius poßit.

55 Terentia affectata eſt tuis literis:) Sic olim omnes excuſi habebant. Germani ea dictione (ut puto) offenſi, AFFECTA EST emendarunt: quos nonnulli poſtea ſecuti ſunt: ita enim locum legunt, citántque. Nos DELECTATA ſcripſimus: quam ingenuam eſſe lectionem exiſtimamus: ea enim ſunt eius ueſtigia in noſtro codice, ut ſi ex F facias E, nihilque amplius addas, omnes maculas quæ hanc uocem fœdauerant, ablueris: eámque purgatam, & nitidam reddideris. Eſt autem, ut antè etiam teſtati ſumus, frequens in eo libro harum literarum inter ſe permutatio: ſed hac tantum indicata lectione ſine alijs argumẽtis ſperamus nos, omnes eius integritatem cognituros.

57 In formiano te præſtoler:) Nos autoritatem ſecuti noſtri antiqui codicis, TIBI PRAESTOLER ſcripſimus: in quo nequis nos reprehendat (quòd hodie cum accuſandi caſu conſtruatur hoc uerbum) uerba Aelij Donati adducemus, qui miratur Terentium in Eunucho, Quem præſtolare, dixiſſe. ſunt autem hæc. Nouè, non Cui præſtolare, ſed Quẽ dixit. aliter Tullius, Qui tibi ad forum Aurelium præſtolaretur. Præſtolari, eſt præſto eſſe, & parere, hoc eſt obſequi. Non malè igitur fecimus, quòd ueteri exemplari fidem habentes, conſuetam Ciceroni locutionem reſtituimus. Quòd autẽ paulò infrà PVBLICANIS PENDIS, omnes quos uidimus, manu ſcripti, PVBLICANOS habent: quod etiam Germani adnotarunt. Nos quanquam

receptam

receptam lectionem ſecuti ſumus, ueterem tamẽ teſtatam relinquere uoluimus.

Velim ex Theophane reſpicere.) *Noſter antiquus* EXSPICERE: *quam etiam lectionem in margine ſui libri Germani adnotarunt. Nos ſuſpicati ſumus unius literæ in antiqua ſcriptura defectum eſſe, uel potius literam illã non deeſſe, ſed non ſuo loco poſitam fuiſſe librariorum incuria: ac* Expiſcere *ſcripſimus, id eſt diligẽter quæras, & perſcruteris. Arabarchem autem intelligo hic Cn. Pompeium, quem nominibus appellat Regulorum dynaſtarúmque illorum, quos aut deuicerat, aut ſocios habuerat contra Mithridatem. ut interim rationem adferamus cur ſemper Sampſiceramum, nõ ut antè legebatur, ſcripſerimus: tribuimus id quidem maxime antiquo exemplari: ſed etiam hoc nomen apud Strabonem inuenimus lib.* XVI. *Geographiæ: ait enim,* ἀεὶ δὲ οἱ πλησιαίτεροι τοῖς σύροις ἡμερώτεροι καὶ ἧττον ἄραβες καὶ σκηνῖται ἡγεμονίας ἔχοντες συντεταγμένας μᾶλλον καθάπερ ἡ σαμψικεράμου ἀρέθουσα καὶ ἡ γαμβάρου. *nam quin per Sampſiceramum Pompeium intelligat, uix dubitari poteſt ex illo maxime loco, Nunc uerò Sampſicerame quid dices, Vectigal te nobis in monte Antilibano conſtituiſſe, agri Campani ademiſſe? Theophanem autem hunc familiariſsimum Pompeij extitiſſe, magnæq; apud ipſum autoritatis, plures autores tradunt. Tacitus autem his & ipſe uerbis manifeſtũ facit, Datum erat crimini quòd Theophanem Mytilenæum proauum eorum Cn. Magnus inter intimos habuiſſet, quódq; defuncto Theophani cœleſtis honores, Græca adulatio tribuerat. ut cum Theophanes maxime Pompeij conſilia cognita haberet, per ipſum uellet indagare M. Cicero, quo ille erga ſe animo eſſet.* 60

Nec meum imperium, ac mitto imperium, &c.) *Verba* 61

hæc ſunt Terentij ex Phormione, cum queritur Demipho filium ſe abſente, & inſcio duxiſſe uxorem, Itáne tandem uxorem duxit Antipho iniuſſu meo? Nec meum imperium: ac mitto imperium, non ſimultatem meam Reuereri ſaltem; non pudere? Quod ideo hic adnotaui, quia noſtri librarij notulis (quibus mos eſt) ut cōſtitueram, ſignare hunc locum neglexerunt.

70 Sed res eſt (ut ſpero) non tam exitu moleſta, quàm aditu:) NOS ADITV ſcripſimus, ut reſpondeat uerbo illi EXITV. rem illam, & periculum, quod intendebatur, non tam exitum difficilē habere conſidebat, quàm moleſtum aditum, ut μεταφορικῶς Aditum principium appellet: quemadmodum exitum, finem, & extremum.

70 Et C. Cæpio hic Brutus.) Sic quondam omnes excuſi libri habebant. Alij, dum corrigere uolunt, uerius deprauarunt, importune inculcata copula, quæ Cæpionem à Bruto diſtingueret, qui unus, & idem eſt: quod pluribus teſtimonijs oſtendemus. Cicero in Philippica X. cum de M. Bruti literis ad Senatum loquitur, S.que C. quibus uerbis fieri uelit complectitur: ſic inquit, Quòd Panſa Cōſul uerba fecit de literis, quæ à Qu. Cæpione Bruto Proconſule allatæ, & huic ordini recitatæ ſunt: ea de re ita cenſeo: cum Qu. Cæpionis Bruti Proconſulis opera, conſilio, &c. In quo S.C. pluribus locis ſic illum appellat. Appianus etiã li. ἐμφυλίων. Μάρκος τε βροῦτος ὁ καπίων ἐπίκλην βρούτου τε τοῦ κατὰ σύλλαν ἀνῃρημένου παῖς, αὐτῷ τε καίσαρει προσφυγὼν ἐκ τοῦ κατὰ φάρσαλον ἀτυχήματος, &c, Dion etiã in fine XLI. lib. ἀμέλει καὶ τὰ γράμματα ἀπόθετα ἐν τοῖς τοῦ πομπηΐου κιβωτίοις εὑρεθέντα ὅσα τινῶν τήν τε πρὸς ἐκεῖνον εὔνοιαν καὶ τὴν πρὸς ἑαυτὸν δύσνοιαν ἤλεγχεν οὔτ' ἀνέγνω οὔτε ἐξεγράψατο, ἀλλ' εὐθὺς κατέ-

φλεξ

φλέξεν ὅπως μηδὲν ἀπ᾽ αὐτῆς δεινὸν ἀναγκασθῇ δρᾶσαι ὥστε τινὰ καὶ διὰ ταῦτα τοὺς ἐπιβουλεύοντας αὐτῷ μισῆσαι· τούτῳ δὲ οὐκ ἄλλως εἶπον ἀλλ᾽ ὅτι καὶ ὁ καπίων ὁ βροῦτος ὁ μάρκος ὁ μετὰ τοῦτο αὐτὸν ἀποκτείνας καὶ ἑάλω ὑπ᾽ αὐτοῦ καὶ ἐσώθη.

Τὰς τῶν κρατούντων:) *Initium uerſus Euripidis ualde ce=* 72
lebris: integer eſt, τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών. *eſt autem in Phœniſsis pronunciatus à Polynice, cum miſerias, calamitatéſque, quas ſuſtinet qui in exilio uiuunt, matri exponeret: inter alia enim mala hoc eſſe narrat, quòd illi coguntur Regum dementias, ac ſiniſtra conſilia ferre, & ſequi: quorum ope ſperant ſe quandoque in patriam poſſe redire. Hanc ſententiam, cum ad ea in ſuo poëmate alluderet, mortis cauſam ciui R. fuiſſe ab immiti principe, Dion tradit. Quem ego locum ita interpretatus ſum: M autē Aemilius Scaurus, qui nullam prouinciā imperio rexerat, neque repetundarum accuſatus erat, condemnatus eſt propter tragœdiam: in acerbioremq; caſum incidit, quàm ille erat quem ſcripſerat. Atreus erat poëma, ſuadebátque cuipiam eorum, quibus imperabat ſecundum Euripidem ut regum ſtultitiam æquo animo ferret. cum hoc audiſſet Tiberius, in ſe uer=* 3
ſum illum pronunciatum eſſe dixit, exiſtimans ſe Atreum, quia multos crudeliter necaſſet, eſſe appellatū ſubiungénſq;, Ego uerò ipſum Aiacem faciam: neceſsitatem illi attulit, ut ſe ipſe ſuis manibus conficeret. non tamen hoc nomine in iudicium uocatus eſt, ſed quòd cum Liuilla adulterium commiſiſſet.

E LIB. III. AD ATTIC.

Nam Phætolibeum nō uidi:) *Nos,* PHAETO LIB. 77
EVM NON VIDIT. *Nulla autem noſtra in hoc in=*

duſtria fuit, niſi tres uoces importunè compactas ſeiungè re, & diſtinguere. Miſerat autem hunc cum literis ad Qu. Fratrem: quod etiam inuenies in ultima primi libri epiſtola ad Qu. Fratrem: inquit enim, Sed de hoc ſcripſi ad te in ea epiſtola, quam Phaëthonti dedi.

77 *Thryphonem Cæcilium nõ uidi.) Cum noſtri manu ſcripti eandem, quam excuſi lectionem habeant, nihil immutauimus. Germani tamẽ (quod unde hauſerint neſcio)* THRYPHONEM CAECILIVM NON VISENDVM VIDI, *ſcripſerunt.*

78 *Quod optimo tempore facere nõ licuit:) Nos receptam lectionem retinuimus. Noſter tamen antiquus, quod etiam Germani adnotarunt,* OPTIMO GENERE *habet: ſed etiam codices harum epiſtolarum, qui primis illis temporibus excuſi ſunt: ut non negligendus ſit tot librorum conſenſus. Inuenimus etiã in antiquis exemplaribus libro primo officiorum ſic ſcriptum locum hunc, Quid ad hanc manſuetudinem addi poteſt, cum quicum bella geras, tam molli genere appellare? ubi uulgati (tam molli nomine) habent: res tota diligenter conſideranda.*

84 *Quod unus tu facere maxime potuiſti uictores, &c.) Omnes quos uidimus manuſcripti libri ante dictionem illam (uictores)* AVT, *habent: quare ſuſpicari poſſemus mancum eſſe locum, alterúmque membrum uitio librariorum defeciſſe: cum tamen in margine eius libri, quem nos omnium optimum habuimus, repoſitũ ſit* AVT OCCVBVISSE HONESTE: *nos quoque ita locum ſuppleuimus, nihil de noſtro addentes: putamus enim accidere potuiſſe, ut ea uerba (ut fit) errore librarij, dum librum exararet, relicta: cum poſtea erratum agnoſceret uel ipſe, uel alius, ubi nunc ſunt, poſita fuerint. Quod ſi quis illa ſu-*

ſpecta

ſpecta habet, ſciat ſaltem aliqua deſiderari, quæ ſententiam perficiant

Hic mihi primum non modo conſilium defuit, ſed etiam obfuit.) Nos pro (*non modo*) MEVM *ſcripſimus, antiquo exemplari fidem habentes, quod & hic, & alijs multis locis* SED ETIAM *habet, cum antè* NON MODO *in eo ſcriptum non ſit: confirmat enim & auget rem antedictam. Omnibus tamen locis hunc modum dicendi in uulgatis excuſiſque libris corruptum inuenimus: quod ab illis commiſſum eſt qui omnia temerè, quæ ipſi non intelligunt, improbant, atque peruertunt.* Ad Atti. *lib.* IIII. *Amiſimus mi* Pomponi *omnem ſuccum, ac ſanguinem, ſed etiam faciem priſtinam ciuitatis. quem tamen locum omnes uulgati eadem peruerſione deprauatam habent:* Item *lib.* X. *Tu quoniam quartana cares, & nouum morbum remouiſti, ſed etiam grauedinem. ubi excuſi pro,* NOVVM, NEDVM *habebant. Autor etiam Rhetorices ad* Herennium, *Traductio eſt, quæ facit ut cum idem uerbum crebrius ponatur, non offendat animum, ſed etiam concinniorem orationem reddat. ſic enim habent antiquiores codices: nam uulgati idem mendum retinent.* In XIII. *Philippica etiam manu ſcripti purgati, incorruptique ſunt, cum excuſi pariter omnes inquinati ſint,* Brundiſij *in ſinu auariſsimæ, ſed etiam crudeliſsimæ uxoris delectos* Martiæ *legionis centuriones trucidauit. Eſt autem modus dicendi à* Græcis *ſumptus.* Ariſtoteles *lib.* III. *Phyſicorum,* εἶτα ἄτοπον τὸ, δύο κινήσεις ἅμα κινεῖσθαι τινὲς γὰρ ἔσονται ἀλλοιώσεις δύο τοῦ ἑνὸς καὶ εἰς ἓν δύο, ἀλλ᾽ ἀδύνατον. *cum enim, ut ex* Simplicij *commentarijs accepimus,* Alexander *hunc locum uarijs modis exponeret: una erat declaratio talis, ut oporteret illud,* ἀλλὰ, *pro ſed etiam acci-*

84. in fine & in prin. ſeq. paginæ.

pi: cum tamen in uerbis Ariſtotelis antè non eſſet οὐ μόνον: *quod ipſe dum ſenſum magis planum, apertúmque facere uellet, in explanatione illius loci poſuit. Videtur autem Alexandro hæc ipſa Ariſtotelis clara & facilis locutio: nam modum dicendi hunc, ut communem conſuetúmque Græcis autoribus non adnotat. ſunt autem hæc eius uerba à Simplicio repetita,* δυνατὸν γάρ φασι καὶ ὑπερβιβάζοντας σαφεστέραν τὴν λέξιν ποιῆσαι οὕτως, εἶτα ἄτοπον τὸ δύο κινήσεις ἅμα κινεῖσθαι καὶ εἰς ἓν εἶδος, καὶ οὐ μόνον ἄτοπον ἀλλὰ καὶ ἀδύνατον τοῦτο, εἴ γε ἐπὶ τούτοις τὸ, τίνες γὰρ ἔσονται ἀλλοιώσεις τοῦ ἑνὸς, *&c. Budæus etiam eruditiſsimus, & accuratiſsimus uir hunc modum dicendi in Græco ſermone notat, cùm propter librorum peruerſiones (ut puto) apud Latinos autores eius exempla non adferat: inquit enim in ſuis commentarijs:* ἀλλὰ δὴ *pro, atque etiam, & quinimo ponitur, citátque hunc locum Libanij* οὗτοι διὰ τὴν οἰκείαν τέχνην ἄδειαν εἶχον ἀπιέναι ὅποι ἂν βούλοιντο, ἀλλὰ δὴ καὶ πρὸς πολεμίους. *Fuimus in hoc longiores: cùm enim in omnibus excuſis libris aliter legantur cuncti hi loci, uerebamur ne quis nos finxiſſe putaret: qui uerò libros manu ſcriptos uiderint, cognoſcent nos ſumma fide uſos. rem autem tam inauditam multorum auribus, primo, quod neceſſe eſt, nouitate ſua ſuſpectam, oportuit grauioribus teſtibus confirmare. Animaduerterimus poſtea lib. II. de Oratore hunc modum dicendi in uulgaribus etiam libris inueniri: illi enim minus quàm cæteri contaminati ſunt: ſic enim loquitur: Inuident autem homines maxime paribus aut inferioribus, cum ſe relictos ſentiunt: illos autem dolent euolaſſe: ſed etiam ſuperioribus inuidetur. Quare firmiores habendæ ſunt ſuperiores noſtræ caſtigationes.*

85 *Vtinam modo agatur aliquid.) Poſt hæc uerba, ſic ſcri-*

ptum

ptum erat in excuſis: IN QVOD IPSA IVBEAT: quod neglexîmus: in noſtro enim antiquo eius loco tantum erat QVO IPSA, atque id quidem deletum, & eiectum: quare nos quoque mancam, uel potius inanem, & uacantem clauſulam repudiauimus.

In me ipſo ſatis eſſe conſilij, decreueras:) Nos DECRERAS. κατὰ συγκοπὴν ſcripſimus: quemadmodum lib. IIII. Cùm pontifices decreſſent ita, pro decreuiſſent. Item ad Atti. lib. VI. Decreram enim cum eo ualde familiariter uiuere. ferè autem ſemper in bonis codicibus ſic ſcriptum reperies hoc uerbum. 85

Eo autem die Leiuinius M. Reguli libertus:) Sic habet noſter liber, cùm antè ualde hic locus peruerſus eſſet. Germani qui & ipſi hanc ex antiquo exemplari lectionem in margine poſuerunt, M. nomen reliquerũt: quod noſter antiquus retinet. Cicero in epiſtola ad C. Numatium, qua hunc ipſum ei commendat, L. Reguli, non, M. hunc libertum fuiſſe dicit: quare uidendum an nomen illud in noſtro antiquo uacet: exiſtimo autem eundem eſſe illum & hunc de quo hic loquitur (etſi ibi L. Liuineius appellatur) quia in ea epiſtola teſtatur ſumma eius erga ſe officia extitiſſe his calamitoſiſſimis temporibus: quod hoc loco uerum eſſe confirmatur. In antiquioribus autem libris, quod etiam Germani oſtendunt, pro LIBERTVS, L. tantummodo hic ſcriptum eſt. 86

Et eo magis, quòd Appij quæſtio eſt.) Noſter antiquior liber APPI SPECTIO habet: quam nos ueram eſſe & ſinceram huius loci lectionem putamus. Eſt autem Spectio uerbum augurum diſciplinæ proprium: fuiſſe autem Augurem Appium hunc Claudium notiſſimum eſt, cuius ſpectionem, ut inimici, Cicero iure formidabat, Interceſſiſſe quoque inimicitias inter hunc & Ciceronem, perſpicuum eſt ex 87

epiſt

epiſtolis Ciceronis ad illum ſcriptis. M. *Varro lib.* V I. *de lingua Latina, ut priſci codices habent (nam qui nunc primus eſt, in illis eſt quintus) Spectare (inquit) dictum ab antiquo, quo etiam Ennius uſus, Vos epulo poſtquam ſpexit.* Et *quod in auſpicijs diſtributum eſt, Qui habent ſpectionem, qui non habeant.* Et *quod in augurijs etiam nunc augures dicunt, auem ſpecere, conſuetudo communis quæ cum prouerbijs coniuncta fuerunt, etiam nunc ſeruat, ut aſpicio, conſpicio, &c. Quid autem Spectio in auſpicijs eſſet, cum ea diſciplina ita perierit, ut nullum eius ueſtigium reliquum ſit, uix nunc puto ſciri poſſe. Eandem rem uidetur tangere Cicero in* I I. *Philipp. quanquã illic (inſpectio) ſcriptum eſt, librariorum fortaſſe culpa, Iſtuc quod te ſacerdotij iure facere poſſe dixiſti, ſi augur non eſſes, & Conſul eſſes, minus facere potuiſſes, uide etiam ne facilius: nos enim nuntiationem ſolum habemus, Conſules & reliqui magiſtratus etiam inſpectionem.*

88. *in fi.* Qu. *Cæcilio* Qu. F. *Pomponiano Attico,) Antequam teſtamento adoptatus eſſet à* Qu. *Cæcilio auunculo ſuo* T. *Pomponius uocabatur: poſtea* Q. *Cæcilius appellatus eſt, ut Varro de re ruſtica lib.* I I. *docet. Oportebat autem qui adoptabatur reliquam appellationem ab eo ſumere qui adoptaſſet, unum tantum nomen ex prioribus, atque id etiam ratione quadam confirmatum conſeruare: ut à Pomponius quod uetus erat nomen Pomponianus, ab Octauius Octauianus: quod declarat Dion hiſtoricus de Octauiano, qui poſtea Auguſtus appellatus eſt, loquens, cum Iulij Cæſaris hæreditatem adijt:* καὶ οὕτως ἐξ ἐκείνου γάϊος ἰούλιος καῖσαρ ὀκταβιανος ἐπεκλήθη: νενομισται γὰρ ἄν τις εἰσποιηθῆ. τὴν μὲν ἄλλην αὐτον πρόῤῥησιν ἀπὴ τοῦ ποιησαμένου λαμβάνειν ἓν δ᾽ ἔτι τῶν προτέρων ὀνομάτων σχηματισθέν πως τηρεῖν.

Melio

Meliores autem hic libri Pomponianus recte, quemadmodum etiam nos ſcripſimus.

Quomodo ſunt ſcribas.) Nos hic emendauimus, CVICVIMODI SVNT: *quod in manu ſcriptis exemplaribus inuenimus, quóque Priſcianus uſum eſſe Ciceronem pro* CVIVS CVIVSMODI *docet: qui locum etiam ex Oratione pro Sext. Roſcio hunc citat, Vereor enim cuicuimodi eſt Roſci, ne ita hunc uidear ſeruare, ut tibi non pepercerim. Alibi etiam hanc uocem apud Ciceronem inuenimus in antiquis codicibus: nam excuſi omnes uarijs peruerſionibus ubicunque ea eſſe debebat, cõtaminati ſunt: nonnulli enim (ut puto) cùm corruptam eſſe exiſtimarent, ſemper ipſi deprauarunt. In fine* III. *libri Tuſculanar. quæſti. Supereſt enim nobis hoc cuicuimodi eſt otium. Item in extrema parte* V. *libri, Vbi enim melius uti poſſumus hoc cuicuimodi eſt, otio? In libro etiam ſecundo de legibus, Nam neque medicorum præcepta dici uere poſſent, ſi quæ inſcij, imperitique pro ſalutaribus mortifera conſcripſerint: neque in populo lex cuicuimodi fuerint illa, etiamſi perniciosum aliquid populus acceperit. Qui locus in his etiam, qui meliores habentur, fœde inquinatus eſt.* 91

Aut nimium, aut cæteros fugerit inueſtiges uelim:) *Quis non uideat hunc locum corruptum eſſe, uocémque illam* NIMIVM *nomen proprium eſſe debere? Germani* NVMIVM *caſtigarunt, nec tamen rectè.* NINNIVM *enim, quemadmodum nos ſcripſimus, legendum eſt. Intelligit autem* L. *Ninnium Quadratum: qui tunc Trib pleb. fuit, enixéque cauſam Ciceronis adiuuit contra Clodij furorem: qui tamen ab illo, quèmadmodum & Cicero, deluſus eſt. Dion ſæpe hunc nominat, ut eo loco,* καὶ ἐπειδὴ ἐκεῖνος συνιεὶς τὸ λεγόμενον λούκιον νίννιον κουάδρατον δημάρχου 92

μαχεσοῦντα ἐναντιωθῆναι πᾶσι σφίσι ἀντιπαράσκευην ἔδοξε μὴ καὶ θόρυβος ἐκ τούτου καὶ διατριβή τις γένοιτο. καὶ ὑπῆλθεν αὐτοῦ ἀπατήσας προδιομολογισάμενος γὰρ αὐτῷ μηδ' ὁτιοῦν, ἂν μηδὲν τῶν νομοθετουμένων ἐμποδίσῃ κατ' αὐτοῦ πράξειν ἔπειτα τὴν ἡσυχίαν καὶ ἐκείνου καὶ τοῦ Νιννίου ἄγοντος ἐπινομοθέτησεν αὐτὰ καὶ μετὰ τοῦτο καὶ τῷ Κικέρωνι ἐπεχείρησεν. *libro etiam decimo harum epiſtolarum de eadem meminit Cicero, Hæc mecum Ninnius noſter, uelle eos mihi ſe, & oppidum tradere.*

E LIB. IIII. AD ATTIC.

96 *Et Brunduſinæ coloniæ & tuæ uicinæ ſalutis) Alij pro ſalutis* SEDIS *legunt: alij alijs modis corrigunt. Nos communem lectionem, etſi nobis non parum ſuſpectam retinuimus: eadem enim in noſtro uetere exemplari, & omnibus manuſcriptis à nobis inuenta eſt. cùm autem nihil certi haberemus, quid opus fuit ueterem ſcripturam delere? quæ ſi non recta eſt, & integra, neceſſe eſt, quo minus contaminata eſt, magis propinqua ſit ueræ, & ſinceræ lectioni.*

97 *Præter Meſſalam, & Cerannium:) Noſter antiquior liber* ÆRANIVM *habet. Quod ſi* E *literam in* F *commutes, in qua ſæpe hic librarius peccauit, pro* F, *illam ponendo, ut iam teſtati ſumus: omne mendum ſuſtuleris.* L. *autem Afranium cum Qu. Metello Conſulem fuiſſe, ex primo libro harum epiſtolarum colligitur. Idem erratum erat in penultima huius libri epiſtola in illo loco: Monumentum illud, quod tu tollere laudibus ſolebas, ut forum laxaremus, & uſque ad atrium Libertatis explicaremus, &c. nam & in antiquis, & in excuſis libris pro* FORVM, *ſ* EORVM *ſcriptum erat.*

98 *Itaque oratio iubet, ut in noſtræ fortunæ caſu quod*

debet

debere, &c.) Conſidera quæſo optime lector, quot maculis reſperſus, fœdatúſque fuerat hic locus. Quòd enim nonnulli non intellexerant hanc ſiue ſcripturam, ſiue locutionem: multis additis parum aptis dictionibus adeo hunc locum peruerterant, ut ſine bonorum librorum auxilio nullo modo emendari potuiſſet. Nec tamen negamus eſſe etiam in illis aliquantulum importunè diſſolutam fractámque hanc uocem IVVENTVTI: ſic enim eſt in antiquis, ITAQVE ORATIO IVBENT VTI NOSTRÆ DEBERE NON POTEST. Quodſi uerbum illud ſtulte diſſectum iterum componas, nullus ſcrupulus reſtabit. quàm enim paſſim B pro V capi ſolitum eſſet, omnibus iam notum eſt. non debere autem orationem iuuentuti intelligit: quia tam perfectam illam eſſe ſolebat, ut iuuentus nihil aliud deſiderare poſſet. Quæ enim ſcribebat, iuuentutis ſtudio incenſus ſcribebat, ut ipſe alibi inquit: Qui autem, quod à ſe expectatur poſtulatúrque, exacte præſtat, is non amplius debet. Quod ſi DEBERI NON POTEST, ſcriberes, hic eſſet ſenſus longe melior meo iudicio, Ciceronique magis familiari, & conſueta locutione, Oratio non poteſt deberi iuuentuti, id eſt, nos cogimur orationem ipſam edere, iuuentutique noſtræ, ut ſit unde diſcat, deſcribendam dare. Cicero in extremo libro Tuſculanarum quæſtionum, Sed tibi hoc uideo non poſſe deberi. Item lib. III. de Oratore, An me tam impudentem eſſe exiſtimatis ut uobis hoc præſertim munus putem diutius poſſe debere? Et de legibus libro II. Præclare exigis Quinte, at ego effugiſſe arbitrabar, & tibi horum nihil deberi poteſt.

Propè omnium fanorum ac ſacrorum locorum.) Hoc locus imminutus decurtatúſque eſt in manu ſcriptis codicibus, 100. in fine

bus, quem tamen ut in uulgatis eſt conſeruauimus. in illis autem ſic ſcriptum eſt, PROPE OMNIVM FANORVM LOCORVM.

102 *Cùm ſacra uia deſcenderem.) Hæc eſt omnium antiquorum excuſorúmque codicum lectio*, Aldino excepto, *qui* DISCEDEREM *habet. Fuit ille quidem in huius uoluminis editione ſui diſsimilis.* Domus Ciceronis in Palatio *fuit: deſcendebat* igitur, *cum in forum ſacra uia iret, quod etiam* Horatius *in* Epodo *tangit*, Intactus *aut* Britannus, *ut deſcenderet ſacra cathenatus uia.* Aſconius *item hoc oſtendit pro* M. Scauro, *Demonſtraſſe uobis memini me hanc domum in ea parte* Palatij *eſſe, quæ cum ab ſacra uia deſcenderis, & per proximum, &c.* Plutarchus *etiam in uita* Ciceronis: προσελθὼν δὲ ὁ κικέρων ἐκάλει τὴν σύγκλητον εἰς τὸ στησίου διὸς ἱερὸν ὃν στάτορα ῥωμαῖοι καλοῦσι ἱδρυμένον ἐν ἀρχῇ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ πρὸς τὸ παλάτιον ἀνιόντων. Templum igitur Iouis Statoris *in principio ſacræ uiæ poſitum eſſe docet illis qui ad palatium aſcendunt.*

Ibidem. Trudi uideret) *Nos quamuis uariatum, uel potius deprauatum hũc locum in cunctis manuſcriptis inuenerimus, tamen nihil permutauimus.* Verum *quia non ſine cauſa tot melioris notæ codices à uulgatis diſſentire exiſtimandum eſt, prætermittere noluimus quin ueterem ſcripturam, etſi deformatam, notam, teſtatámque relinqueremus.* Acrioris *iudicij uiri diligenter conſiderabunt, an genuina ſit uulgata lectio, ſimúlque an uerior, & ſincerior ex hac uetere ſcriptura elici poſsit, quæ hic interim notata nemini moleſta erit. eſt autem hæc*, SED AD SVPPLICIVM PRÆSENS VIDERI VIDERET.

102 *Sed ille ſe in interiorem partem ædium abdidit. Sulla in*

Senat

Senatu.) Et hunc locum mancum inuenimus, diminutúmq; in antiquis exemplaribus, qui multis poſtea additis uerbis ſuppletus fuit: nobis rectius uiſum eſt, ſublatis quæcunque adcreuerant, legitimas tantum Ciceronis uoces relinquere. Sic enim facilius puto poſſe ueram lectionem inueſtigari.

Ibidem *Veriſsimæ literæ Seſtij fuere) Manu ſcripti codices,* SESTIVS FVRERE: *ut ſit furere pro furebat, quod frequens eſt. debebant tamen à ſuperiori periodo hæc duo uerba punctis diſtingui, Nõ poterat ullo pacto, inquit, hæc ferre Seſtius, ideóque fremebat. nec tamen huius lectionis aliud teſtimonium habemus, quàm ueterum codicum autoritatem: quare qui uulgatam ſequi mauult, ſuo arbitrio, me non repugnante faciat.*

109 *Pauci pannoſi ſine laterna) Neſcio an hic locus corruptus ſit, non parum certè timeo. Vetus noſter codex ſic habet,* PAVCIS PANNOSI SINE ALANTERNA: *ut nihil relinquamus eorum quæ in illo diuerſa ſunt, maximéque ubi mendi ſuſpicio eſt: ut aliorum induſtria, quum nobis non licuit, aliquãdo poßit præclarus hic autor hac etiam parte iuuari, & purgari.*

Ibidem *Publium reum, &c.) Nos (Niſi fallimur) autoritate meliorum codicum moti melius hũc locum reſtituimus: tranſpoſitæ erant dictiones: puncta perperam collocata: quædam etiam uox temere inculcata. Nõ enim primo dicit, Niſi ante occiſus erit à Milone: ſed, Reum Publium fore à Milone puto. κατὰ παρένθεσιν autem Niſi antè occiſus erit. Reum autem à Milone, id eſt, Milone accuſatore. non autem primo pronunciat à quo occidi debeat, ſed indefinite (niſi antè occiſus erit) inquit. à pluribus enim periculum mortis Clodio impendebat: ſiquidem tam ſeditioſe ſe gerebat, ut ſingulis diebus mors ei inſtaret: quod etiam ſuprà hac epiſtola*

dixit: Ipſe occidi potuit. M. etiam Antonius Clodium interficere uoluit, cum gladio ſtricto eum inſecutus eſt, negotiúmque tranſegiſſet (ut inquit Cicero in II. Philippica) niſi ille ſe ſub ſcalas tabernæ librariæ conieciſſet, iiſq; oppilatis impetum Antonij cōpreßiſſet. Ariolatur autem à Milone occiſum iri, ſi ſe interim ei obuiam obtulerit, id eſt, antequam in iudicium ab eo uocatus ſit. Eſt autem aliquātum peruerſionis in hac altera parte: unde nonnulli ex re geſta ITVRO LANVVIVM reſtituerunt. Nos parcius (uetere ſcriptura diligenter conſiderata) SI SE INTERIM OBVIAM OBTVLERIT ſcripſimus. Quia tamen falſa noſtra coniectura eſſe poteſt: ueterem ſcripturam hic omnibus diſcutiendam proponimus: ut ſicui noſtrum iudicium diſplicuerit, ipſe habeat ubi ingenium ſuum exercere poßit eſt autem hæc, SI SENTITVR VEIAM OBTVLERIT.

104. in fine. An tu me exiſtimas) Vetus codex habet, quod nos recepimus, AIN' TV? AN EXISTIMAS, cum interrogatione pronunciatum, quaſi familiariter, & amicè corrigat quod id ſuſpicatus ſit lib. XII. Venio ad Tiranniorem. ain' tu? Verum hoc fuit? ſine me, &c. Lenis eſt autem iocundáque reprehenſio, quaſi dicat, Itáne facere oportet? Sæpe etiam ain' tandem? pari ſignificatu dicit, ut lib. VI. Ain' tandem Attice laudator integritatis, & elegantiæ noſtræ? Item in epiſtola ad Pætum, Ain tandem? inſanire tibi uideris, quòd imitere meorum uerborum (ut ſcribis) fulmina.

105 Et ij ſubrogentur (Nos ex cunctis melioribus libris SVBRINGENTVR, ſcripſimus. Ringi autem iraſci, & ſtomachari. Horatius lib. II. epiſtolarum, Quàm ſapere, & ringi. Eſt autē notißimum, & elegantißimū uerbum, licet de eius etymologia pugnent inter ſe Grammatici.

A

Aſt num geram manū fuiſſet) Nos, *quod etiam in Germanici libri margine adnotatū eſt,* GERMANVM *ſcripſimus, id eſt, priſtinis noſtris actionibus congruens & conſentaneum. Græci* ἀδελφὸν *dicunt. Iſocrates in Panegyrico.* καλὰ μὲν οὖν ταῦτα καὶ πρέποντα τοῖς περὶ ἡγεμονίας ἀμφισβητοῦσιν, ἀδελφὰ δὲ τῶν εἰρημένων. *Plato lib. III. de legibus:* ἐν παθήμασι ἀδελφοῖς ὢν τοῖς γενομένοις θησεῖ πρὸς τὸν δυστυχῶς τελευτήσαντα ἱππόλυτον. *Sed & Græcæ & Latinæ uocis plura exempla adfert Gulielmus Budæus in ſuis doctiſsimis commentarijs: ut qui utrunque nomen exacte intelligere uelit, illuc eum reijciamus. unde enim hæc melius diſci poſſunt, quàm ab illo, qui utriuſque linguæ theſaurum ita uno libro complexus eſt, ut alijs facultatem quicquam in tali genere ſcribendi eripuerit? quamuis locum hunc in oratione contra L. Piſonem non oportere puto, quemadmodum ille iubet, corrigi, Illud uerum geminum conſilijs Catilinæ & Lentuli, quòd me domo mea expuliſti. nam (geminum) eandem uim & ſignificatum quam (germanum) habere duco: & in cunctis exemplaribus nulla uarietate ita legitur. Prætereà in partitionibus* GEMINA, *non* GERMANA, *ut ipſe legit, omnes codices habent: ut eo exemplo recepta potius Ciceronis in Piſonem lectio, quàm illius caſtigatio probari, & corroborari uideatur.* 105

Bibliothecam mihi tui pinxerunt cōſtructione, & ſi ſcribis:) Noſter *antiquior codex,* ET SIT TYBISEOS *habet, ſupra quas uoces, alia noua manu uulgata lectio perſcripta fuerat: unde in excuſos omnes codices (ut puto) fluxit.* Nullum *mendum eſt in antiqua ſcriptura, niſi quòd librarij uitio, una dictio diuulſa fuit, cuius fractæ partes cum uicinis dictionibus cohæſerunt: ut ſi eas iterum coniungas,* Ibidem.

nihil ſcrupuli reſtet. Sic igitur legẽdum eſt, CONSTRVCTIONE ET SITTYBIS. *ſunt autem* Heſychio σιττύβαι, δερμάτιναι στολαί, μικρὰ ἱμαντάρια: *ut fortaſſe hic Sittybas appellet, quas antecedente epiſtola membranulas uocat, ſiue potius lora & corigias librorum. Quàm falſa autem, & inepta eſſet uulgata lectio, unuſquiſque iam facile perſpicere poteſt.*

106 *Ergo erimus* ὁπλῖται, *qui togati eſſe uolumus*) *Noſter melior liber, & integrior,* ERGO ERIMVS ΟΠΔΟΙ QVI ΤΑΓΟΙ ESSE NOLVIMVS. *Nos ita ſcripſimus,* Ergo erimus ὀπαδοὶ, &c. *defectum unius literæ in antiqua ſcriptura eſſe arbitrati. Queritur Cicero ſibi non licere in otio uiuere: ſed cogi in bellum, & in caſtra alios ſequi, cum ſemper ciuilia bella deteſtatus ſit, & fugerit: atque hoc etiam id indignius putat, quòd nunc ſi ad arma ueniendum erit, ipſe alios cogetur duces habere, & illorum conſilio, & quaſi iuſſu res gerere: cum olim ſi pugnare uoluiſſet, ipſe dux eſſe potuerit, & alijs imperare, & quid faciendum fuerit mandare: nec tamen uoluit. Significat autem tempus, quo magnas copias paratas habuit pro ſe pugnare contra uim, & furorem Clodij, ut eum in ciuitate retinerent: quando ipſe, quia à cæde ciuium abhorrebat, potius cedere uoluit, & illis ſua ſtudia, & ardores animi remiſit. hanc ſententiam præ ſe ferre Græca uerba notiſſimum eſt: quare non erimus in illis declarandis longiores. Amazonas appellatas eſſe* ὀπαδοὺς *Martis propter robur, & animi præſtantiam in rebus bellicis tradit* Proclus *in commentarijs in* Politiam Platonis *his uerbis:* ἀμαζόνας λέγω τὰς διὰ τὴν ῥώμην καὶ ἄρεως εἶναι ῥηθείσας ὀπαδοὺς καὶ τιμηθείσας μετὰ τὴν ἧτταν.

106 *Quibus melius Lentulo eſſe ſcriptum erat*) *Scripſimus*

nos

nos ex antiquiore noſtro codice (meliuſcule.) Quo diminuto aduerbio utitur etiam in prima epiſtola ad Tironẽ, Volebam ad te Marionem remittere, quem cum meliuſcule tibi eſſet, ad me mitteres. Errorem autem fortaſſe fecerat, quòd in ea uoce Qu. pro C. ſcriptum eſt. alibi autem oſtendimus quàm ſæpe has literas nullo diſcrimine permutarent.

Nos uerò ferrei) Emendauimus SERVI, non parum adiuti ab antiquo exemplari: etſi ne in illo quidem integra eſt hæc dictio: nam in una litera aliquãtulum peccati eſt: ſed maximè ratione ducti iterum enim ſuperiorum uerborum ſententiam (ut ipſe etiam teſtatur) breui perſequitur. Suprà autem bene cum Lentulo actum putat, quòd morte, illorum temporum iniquitatẽ fugerit. ſe & Atticum, qui uiuunt, potius miſeros appellandos: præcipuè tamen ſe, nam nullã habere Atticum propriã ſeruitutem, communi tantum nomine ſeruum eſſe. cùm enim omnes ſint, neque ipſe excipitur: ſed aliorum fortunæ comes eſſe intelligitur. explicat autem multis uerbis quare ipſe præter alios ſeruus ſit: ex quibus omnibus manifeſto comprehenditur, hic SERVI, non FERREI legendum eſſe. Nam locum etiam illum emendauimus, qui corruptiſsimè pro SERVITVTEM, VIRTVTEM, antè habebat. Ibidem.

Ηκε σὺν φθιμένοισιν) Vetus codex οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν, quæ uera eſt, & caſta lectio huius loci. eſt autem hemiſtichium Homeri, οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι. raro autem Cicero integra prouerbia citat: prima tantum uerba ponit, Satis enim illi eſt loca indicaſſe: quoniam erant tunc in ore ferè omnium. Non fas autem eſſe di[illegible] aduerſus mortuos ſe iactare: de mortuo autem loquitur, ut ipſius uerbis declaratur. ſimile eſt hoc prouerbium illi, Cum mortuis non niſi laruas luctari. 107

107 Ο δὲ οὐκ ἐσιμύθος) Nos ſcripſimus ὁ δ' οὐκ ἐμπάζετο μύθων, quæ ſunt itidem uerba Homeri, hoc ſenſu, Hic uerò nihil curabat de ſermonibus, & fabulis illis. Eſt autem hæc epiſtola obſcurior ſua breuitate: tantum enim res indicat, & nõ longiore ſermone, ut ei mos eſt explicat: ut uideatur ſtudio, & induſtria cùm de rebus domeſticis agat, uoluiſſe eſſe obſcurior. Videndum autem, an pro PRAESIDIA, PRAEDIA, in hac ipſa epiſtola legendum ſit: quòd ego ſanè puto: prædia enim locantur, non præſidia. Quid autem nunc de præſidijs agat? & ſanè frequenter inuenies in hoc peccaſſe etiam antiquos librarios, cum alteram pro altera ponerent harum uocum: quemadmodum in Aldinis etiam codicibus in libello de ſenectute, prædio, pro præſidio ſcriptum eſt: Vetátque Pythagoras iniuſſu imperatoris, id eſt, Dei, de prædio & ſtatione uitæ decedere. cum præſidio proculdubio legendum ſit. qui opinionem noſtram probarit, PRAEDIA LOCABIS leget: nos tamen in antiquis, & excuſis ſimul libris inuentam uocem ueriti ſumus noſtra autoritate delere.

Ibidem. Sed nihil magis quàm patina Cyrotari: cenam, &c.) Hic locus flagitioſè corruptus eſt: nam Beroaldus, qui corrigere uoluit, magis deprauauit: nos ſinceram lectionem reſtituimus ex uetuſtis codicibus: quos ſi diligenter ſtudioſi inſpicerent, non tantis uulneribus optimi autores confecti eſſent. Nulla prorſus erat in noſtro meliore libro niſi unius literæ peruerſio, PE enim pro DE ſcriptum erat eo loco, Nam de Rauduſculo. qui errores æquiore animo ferri poſſunt, & ſine impudentiæ crimine tolli. De Tyrotaricho autem in epiſtolis ad Pætum, Tu uerò (uolo enim abſtergere animi tui metum.) ad Tyrotarichum antiquum redi. In eadem autem epiſtola, Quem denarium narras, quam Tyrotarichi

rotarichi patinam? Quid autem per Rauduſculum intelligat, non planè mihi notum eſt lib. XIIII. Nec mehercule me Rauduſculum mouet, ſed homines beniuolos, qualeſcunque ſunt graue eſt inſequi contumelia. Sic enim in noſtris exemplaribus legimus, non Rauduſculus, De porta Rauduſcula meminit M. Varro de lingua Latina, ſic appellata quòd ærata fuit ab ære raudo. Et Valerius Maximus lib. V. cap. V. de pietate, Nam Sex. Pompeius, Rodus, uel Raudus ſignificare rem rudem, uel imperfectam tradit.

Μήπω μέγα εἴπῃς, &c.) Nos hunc Sophoclis ſenarium repoſuimus tam integra, & tam certa uetere ſcriptura, ut nihil fermè in ea deſideretur. ſed hæc poſtea cùm in ueram lectionem incideris, cognoſci poſſunt: antè enim unius literulæ peruerſio uel defectus, tantam gignit obſcuritatem, ut nihil moleſtius ſit, quàm ex his ita ſcriptis characteribus uelle ueram lectionem elicere. Inuenimus hunc uerſiculum apud Ioannem Stobæum λόγῳ. ργ. ὅτι ἀβέβαιος ἡ εὐπραξία, ſub nomine Sophoclis, μήπω μέγαρ' εἴπῃς πρὶν τελευτήσαντ' ἴδῃς. explicat autem ferè Solonis ſententiam, qui neminem beatum antè quàm obijſſet, dici uolebat. Ibidem

Nihil alſius, nihil amœnius) Poſt hæc uerba inuenimus in noſtro antiquo exemplari quaſdam Græcas uoces, quas non potuimus intelligere omni diligentia adhibita. Quod reſtabat, conati ſumus, characteres illos imitari & effingere, ut aliorum labore & induſtria aliquando hic locus reſtituatur. ſententia ualde conuenit (& extrema etiam uerba non parum ſimilia ſunt) cum loco illo in XV. lib. Hæc loca uenuſta ſunt, abdita certe, & ſiquid ſcribere uelis, ab arbitris libera: ſed neſcio quomodo, οἶκος φίλος: multum tamen diſcrepãt priores partes. quare melius & certius quid- 107. in fine, & in prin. ſeq. pag.

dam quærendum eſt:ſunt autem uerba illa Græca ex fabula Aeſopi de teſtudine.

108 De Domitio οὐδὲν οὕτω ὁμοιοῦται ναῦ εἴδωλον) Nos (niſi fallimur)hunc etiam locum reſtituimus,à nullo alio quàm ab antiquo codice adiuti,qui incorruptam ſeruat adhuc(ut nos putamus)ſcripturam:eſt ſane integer ſenarius, & dimidius:cuius autem,dicere non poſſumus: nuſquam enim alibi hæc uerba legimus:credimus comici alicuius eſſe. de ficorum autē inter ſe ſimilitudine prouerbium hoc Græci habebant σύκου ὁμοιότερος. Plutarchus etiam in commentario de communibus notionibus aduerſus Stoicos, εἰ μήτε φάττα φάττῃ, μήτε μελίττῃ μελίττα, μήτε πυρὸς πυρῷ, ἢ σύκῳ τὸ τοῦ λόγου σῦκον ἐν τῷ παντὶ χρόνῳ γέγονεν ἀπαράλλακτον.

109 Et in eo γραμμὴν teneam) Vetus codex, & τὴν ἕω γραμμὴν teneam.quamuis autem falſam hanc lectionem putem,& ſanè repudiauerim, uolui tamen eam hîc proponere. Quid enim quod hic quadret ἡ ἕω γραμμὴ, id eſt,matutina linea, ſignificare poteſt? Si enim τὴν ἄνω γραμμὴν habuiſſet ,ſupremam lineam ſignificaſſet,quod fortaſſe potuiſſet defendi.Dixit enim etiam Euripides ſummam lineam malorum,cùm extremum terminum miſeriarum intelligere uellet. Hæc eius uerba: ἐπ᾽ ἄκραν ἥκομεν γραμμὴν τῶν κακῶν. hic autem tenere lineam arbitror ſignificare,in eo negotio ita ſe gerere,ut à recto & tuto tramite ne digitum quidem recedatur.ideo autem non penitus eam contempſi:quia miratus ſum rudem Græcarum literarum librarium cùm rectam ſcripturam conſeruare non potuiſſet,ita peccaſſe,ut aliquem tamen ſenſum illæ literæ retinerent.

Ibidem In nos uerò ſuauiſſime hercule & effuſus) nos SVA-

VIS MEHERCVLE, ET EFFVSVS *ſcipſimus. Quam lectionem ueriorem, & elegantiorem uiſum iri putamus. Locum autem illum,* ET VOLVPTATIBVS PROPTER REMP. *&c. ualde ſuſpectum habemus: nam in manuſcriptis* VOLVPTATVM *legimus, non* VOLVPTATIBVS: *& monoſyllabum illud* SIC, *non intelligimus cui parti reſpondeat. Eruditiores accuratius hæc conſiderabunt, utinam noſtra ſuſpicio inanis ſit & curioſa.*

Noſtram ambulationem, & Laconicum, eáque quæ circa ſint) Nos ueterem ſcripturam reſtituimus. cum enim de ædificijs agat, Cyrea intelligimus, ea quæ à Cyro architecto, quo in ſuis ædificationibus plurimum utebatur, fabricata ſint. magni autem hic nominis ea tempeſtate fuit. Meminit illius Cicero pluribus locis, ut ſæpe in oratione pro Milone, ſemel autem his uerbis: Sed ſubito ei eſſe nuntiatum Cyrum architectum eſſe mortuum: itaque Romam repente conſtituiſſe proficiſci. 110

Nec metuo tamen ne mihi ſermo ſit abs te, quo magnopere delector) Sic quondam legebatur: ſed aut nulla, aut admodum frigida erat (ni fallor) ſententia eorum uerborum. Alij poſtea reliquis eius partibus conſeruatis pro SIT, DESIT *ſcipſerunt: quemadmodum eſt in antiquis libris. Quod ſi facili quadam & plana lectione contentus eſſe uis, & ueterem ſcripturam non curas, hanc potes eligere & tenere: apertus enim ſenſus eius eſt. antiqua autem ualde diuerſa eſt, habétque non parum difficultatis & obſcuritatis: quam tamen in medium propoſui, ut accuratius à diſertis uiris conſiderari poßit. nec enim arbitror ſine cauſa antiquos omnes libros ab impreßis tantopere diſſentire, exiſtimóque nonnullos eius obſcuritate offenſos* 110. in fine

illam repudiaſſe, & duabus interiectis dictionibus apertiorem & clariorem lectionem facere uoluiſſe. quod ſi uerum eſſet, non me pœniteret ueterem potius quamuis ſuſpectam & duram reſtituiſſe, quàm ab illis concinnatam & factam: nunquam enim ratio illa corrigendi libros mihi placuit. Aduerbium illud (opere) non aliàs, ut puto, ab hoc autore ſimplex uſurpatum eſt, niſi fuerit illinc etiam ſublatum ubi eſſe debebat: quemadmodum hic ei fortaſſe acciderat, cum alia uoce, nec una tantum, complicatum frequens eſt, ut magnopere, ſummopere, & alijs: ſignificaret autem hic (ualde) ſi proba, & fidelis hæc lectio eſt. Liuius tamen non ſemel eo uſus eſt, etſi (opere) apud eum aliud uidetur ſignificare libro primo: Quæ longo effata carmine non opere eſt referre. Et v. etiam, Poſtquam audiuit aruſpicem eſſe haud intacti religione animi, cauſatus de priuati portenti procuratione, ſi opere illi eſſet, conſulere uelle, ad colloquium uatem elicit. Id eſt, ſi commodum ei eſſet, & nullo maiore negotio impediretur. Vtuntur & alij non incelebres autores hoc aduerbio. De ſinceritate loci Ciceronis quid iudicandum ſit, eruditi & ingenioſi uiri ſtatuent. Cum autem in hac epiſtola de duobus Demetrijs agat, qui fuerit ille, de quo ſermo eſt in extrema eius parte, dubium non eſt: ipſe enim aperit. de quo autem Demetrio loquatur, cum in prima parte epiſtolæ dixit, Pot.s à Demetrio: non tam perſpicuum eſt. Puto autem intelligi Demetrium quendam libertum Cn. Pompeij, qui magnam apud eum autoritatem habuit, & omnium ipſius conſiliorum particeps fuit. unde Cicero cupiens ſcire uim & ſenſum ſermonis Pompeij quem habuerat cum Craſſo, hortatur Atticum ut inde quærat: facile enim ex eo omnem rem intelligi poſſe. Plin. lib. XXXV. cap.

XVIII.

XVIII. *cum numeraret eos quos è ſeruili conditione fortuna in altum euexiſſet, quia eos patroni ualde dilexerant, non prætermiſit hunc. ſic enim inquit, Sed quid hos refero aliquo literarum honore commendatos? talem in cataſta uidere Chryſogonum Syllæ, Ampionem Qu. Catuli, Heronem L. Luculli, Demetrium Pompeij. Tradit etiam Dion, cum de Theatro Pompeij in hiſtoria ſua loqueretur, ſe audiuiſſe illud non Pompeium ædificaſſe, ſed Demetrium quendam eius libertum è pecunia quam ſibi parauerat in cunctis expeditionibus cum patrono uerſatus. Qua de cauſa merito ei operis illius cognomen attribuit, ne Pompeius ipſe malè audiret, quòd eius libertus tam multam pecuniam coegiſſet, ut huiuſmodi ſumptus facere poſſit. Mira etiam quædam de huius potentia & opibus Plutarchus narrat, qui hortos etiam illos magnificos eum ædificaſſe tradit, qui horti Demetrij ſunt poſtea appellati.*

Macroni uix uideor præſto eſſe. Idibus enim auctionem Larini, &c.) Diuerſam inuenimus lectionem in manuſcritptis exemplaribus, nec tamen receptam, & communem reiecimus: hic igitur illam teſtatam relinquemus. nos ſanè in antiqua nonnihil uitij putamus eſſe: quinetiam uulgatam mendo uacare non arbitramur. Quid igitur in tantis tenebris aliud gerere potuimus, aut quod tutius conſilium capere, quàm doctiorum iudicium expectare copia illis antiquæ lectionis facta? Sic ergo melioris notæ liber habet, MACRONI VIX VIDEOR PRÆSTO ESSE ENIM AVCTIONEM LARINI VIDEO ET IDVVM PRÆTEREA. IIX

Ergo etſi rata fuiſſe me in altercationibus, &c.) Locus manifeſtò corruptus. Nos conati ſumus, dum melior lectio indagetur, ita locum caſtigare, ut probabilis ali- IIX

qua ſententia eliciatur, nec tamen ualde illi confidimus. Veterem autem ſcripturam hic conſtituemus, ut poßint ingenioſiores uidere, an ſuo labore, & induſtria maculæ labéſque ex hoc loco tolli queant: eſt autem hæc cum fide huc tranſlata, ERGO ET SI IRATA FVISSE ME, &c.

Ibidem. Hunc ὄχλον:) Nos *σκυλμὸν, ut in antiquo exemplari inuenimus, ſcripſimus. id eſt perturbationem, tempeſtatem ciuitatis:* σκυλμὸς enim ταραχὴ καὶ σάλος. Artemidorus Onirocriticων *lib.* II. ἀστυνομεῖν ἢ παιδονομεῖν ἢ γυναικονομεῖν φροντίδας καὶ σκυλμὸς ὑποτίθησιν τῷ ἰδόντι διὰ δημόσια ἢ ἴδια παιδία καὶ διὰ γυναῖκας. Paulò pòſt, συστημάτων δὲ ἢ οἰκίας ἄρχειν καὶ ἐπιτροπεύειν πᾶσι σκυλμοὺς καὶ ἀηδίας βιωτικὰς ἐπιτίθησιν. *intelligit autem altercationes quas in Senatu factas audierat.*

112 *Soles enim tu hæc feſtinè odorari:)* Videant *eruditi an rectius quod manu ſcripti adhuc retinent libri,* & Germani *in margine ſui codicis adnotarunt (feſtiue) legatur: id eſt eleganter, & ſuauibus quibuſdam blanditijs.*

112 in fi. Deditus Græcis *literis, ac pituanijs)* Nos *cum locum hunc peruerſum eſſe liquido credamus, ueterem ſcripturam, qualis qualis eſt, repoſuimus: putantes omnino illam minus deprauatam, & contaminatam eſſe: notam autem quæ mendum indicaret, propè eam adpoſuimus.* Præterea *uidendum eſt, an pro,* PRÆTOR CLODIVS, P. Clo*dius legi debeat.* Nam *ſæpe inuenimus, quod antè teſtati ſumus, ueteres etiam libros, & alijs partibus probatißimos, in his prænominibus turpiter deformatos.* Quod *accidit librariorum imperitia.* Cum *enim per notas prænomina ſcribere moris eſſet, hi autem interpretari uellent, ſæpe uoces*

riſu

riſu dignas ſcribebant, quod fortaſſe etiam hic accidit.

Dedi ac multis quidem de rebus ἡμερολογεῖν *perſcripta omnia)* Noſter *antiquus,* & Germanicus *etiam codex* ἡμερόλεγδον*, ut ſit aduerbium, id eſt prout ſingulis diebus geſta ſunt.* Hanc *uocem ſuo loco apud* Suidam *reperies, etſi illam non exponit, ut puto, quia ſatis nota,* & *uulgata erat.* Paulo *pòſt ubi* QVONIAM NON MIHI VIDERIS *ſcriptum antè erat, ſcripſimus* QVONIAM MIHI VERO *ex uetuſto noſtro exemplari. Coniectatur* Cicero Attico *non redditas eſſe literas, quia diutius manſit in* Epiro*, quàm dixerat. cum autem propter iter* Aſiaticum*, quod ab illo ſuſceptum erat, exiſtimaret* Cicero Atticum *iam in uia eſſe, in alia loca epiſtolam illam, quò uenturum ipſum putabat, miſerat. cum igitur uideat illum diu in* Epiro *moratum, conijcit literas eas non redditas.* 113

Procilius condemnatus) Noſter *antiquus liber* COMMENDATVR. Non *tamen receptam lectionem repudiauimus.* Ibidem.

Eratini me ad ſua tempora) Caſtigauimus ex uetere codice, REATINI ME AD SVA ΠΕΜΠΗ Habet *autem idem codex,* CONTRA INAMNATIS: *non,* INTER AMNATIS: *una ſyllaba ſuppreſſa: nam apud* Strabonem *etiam* Interamna *appellatur.* Sic *autem hunc locum legi debere confirmant etiam uerba illa* Varronis *lib.* III. *de agricultura.* Axius Appio *ſubridens,* Recipe *nos, inquit, in tuum* Ornithona*, ubi ſedes inter aues.* Ille, Ego *uerò, inquit, te præſertim cuius aues hoſpitales etiam nunc ructor: quas appoſuiſti paucis ante diebus in uilla* Reatina *ad lacum* Velini *eunti de controuerſijs* Interamnatium, & Reatinorum *cognituro.* Dionyſius Alicarnaſſeus *libro primo* ῥωμαϊκεῖς ἀρχαιολογίας*, cum* 113

loquer

loqueretur de urbibus in quibus primo Aborigines habitarunt (erant autem hæ in Reatina regione) mentionem fecit etiam ſeu oppidi, ſeu pagi Septem-aquæ appellati. paucas autem admodum illarum ſua tempeſtate manere dicit, pluri=mas uerò bello & alijs iniurijs dirutas, & euerſas, habitatoribus uacuas relictas eſſe.

Ibidem. Defluit in Cumanum) Loco horum uerborum, ROSIÆ VIXI CVN AXIO habent manu ſcripti codices: rectè profectò, & uerè. Roſia autem ſeu uilla, ſeu ager in his locis. M. Varro de Agricultura, Cæſar Vopiſcus Aedilicius cauſam cum ageret apud cenſores, campos Roſiæ Italiæ dixit eſſe ſumen, in quo relicta pertica poſtridie non apparet propter herbam. Virgilius Roſea rura Velini appellat. Axium autem hunc eſſe credo, de quo meminit M. Varro in ſuperiore à nobis citato loco, qui agros ea regione poßidebat: Viuere autem cum aliquo, frequens eſt ſermo Ciceronis: lib. XIIII. Cum Panſa uixi in Pompeiano. & alijs plurimis locis.

Ibidem in fine. In Andromacha tamen maior fuit, quàm Aſtyanacte) Emendauimus, quàm Aſtyanax: ut ſint ambo hiſtrionum nomina. Vetus codex ſic habet, QVAM ASTIANAM IN CETERIS. Nos particulam illam NAM coniungendam eſſe putauimus cum præcedente dictione, ultimamque eius literam, in X, eſſe uertendam. Qua coniectura etiam paulò antè ubi erat OPERAM MISERAT, caſtigauimus, DEINDE ANTIPHONTI OPERAM IS ERAT ANTE, &c. Vt importunè litera illa M, bis repetita eſſet, ex duabúſque uocibus una facta: ut cum Antiphontem ſuprà ualde contempſerit, in Andromacha tamen illum dicat maiorem fuiſſe, quàm Aſtyanax, qui & ipſe tragœdus erat. multi de

ti decepti ſunt qui Aſtyanactem tragœdiæ nomen eſſe cre=diderunt.

Non quo animus deſit, aut amicis careat) Vetus noſter codex extremam hanc dictionem non habet: quare exiſti=maui ultimam antecedentis literam, cum ea quæ ſequitur ab eadem litera qua illa deſinit, incipiat, uacare, & AMICI legi debere: ut ſit, NON QVO AVT ANIMVS DESIT, AVT AMICI, ſcilicet deſint. hanc autem ita certam, & ingenuam caſtigationem putaui, ut ſic in meo libro ſcripſerim. 114

Ex comitiatis puto fore ut ducantur Tribunitij) Hæc eſt uulgata lectio: pro COMITIATIS, manu ſcripti o=mnes COMICIA. Nam uerbum illud Tribunitij, cum ſequenti periodo coniungi debet: ut ex ſecundo etiam lib. epiſtolarum ad Qu. Fratrem colligitur: ubi eandem hanc rem iiſdem penè uerbis narrat. Debuit autem explicare qui candidati fuere enim tribunitij candidati, & non conſula=res, qui pecunia apud Catonem depoſita compromiſerant ſe illius arbitrio petituros. Ducere autem comitia, differe ſi-gnificat. Reſtat tantum accuratius cogitare quomodo uox illa EX prorſus mendoſa corrigi debeat. Nos SED CO=MITIA ſcripſimus. Qui uerius hunc locum aut meliores codices nacti, aut feliciore coniectura uſi reſtituere pote=runt, hi nobis rem gratam facient: quia tamen in ſuperio=ribus uerbis nonnihil diſcrepant ab excuſis manu ſcripti co=dices, hic ueterem lectionem cum fide, & diligentia deſcri=bemus, SED COICIO CONSVLIS POMPEIVS APSVNT EX COMICIA PVTO FORE VT DVCANTVR. 114

Nam cum Cæſari legarat Appius) Noſter antiquus LEGERAT habet, non LEGARAT: quod etiam 114

Germ

Germani adnotarunt in margine ſui libri. In illo etiam loco libro X. *ubi alij habebant* LEGARER, *noſtri codices* LEGERER *retinent, Me legatum iri non arbitror: cuius adhuc (ut optaui) mentio facta nulla ſit, eo minus habeo neceſſe ſcribere, aut etiam cogitare quid ſim facturus, ſi acciderit, ut legerer. Quod ſi recipiatur, ut nos fecimus, illum etiam locum in oratione pro Seſtio corrigere oportebit, Nec iſti quidem quos legatos non modo nullo* S. C. *ſed etiam repugnante ſenatu tibi tute legaſti. In nullis autem uidimus manuſcriptis libris eam orationem. excuſi autem omnes contaminati ſunt: credimus autem Legi legatum, quemadmodum Legi iudicem, dici. nam quin Senatus officium eſſet legatos legere, dubium eſſe non debet. Colligitur hoc optimè ex oratione in Vatinium, ubi idem erratum eſſe, quod alijs locis, credendum eſt. Sed hoc etiam planius confirmatur, quia infrà Deligere dixit cum eandem rem magis explanaret, ut crimen Vatinij augeret, qui contra morem maiorum, quos ſibi uiſum erat, ipſe legerat. ibi autem non tam facile potuit ut primo loco peccare librarius, quia uerbum præpoſitionem habebat. Verba Ciceronis hæc ſunt, Ne hæc quidem ſenatui relinquebas, quæ nemo unquam ademit, ut legati ex eius ordinis autoritate legarentur. Adeóne tibi ſordidum conſiſilium publicum uiſum eſt, adeo afflictus Senatus, adeo miſera, & proſtrata Reſpub. ut non nuntios pacis, ac belli, non curatores, non interpretes, non bellici conſilij autores, non miniſtros muneris prouincialis, Senatus more maiorum deligere poſſet?*

116 *Huic ioculatoriæ diſputationi ſenem illum*) Hic locus antè corruptiſſimus erat. Nos ueram ex antiquis codicibus lectionem reſtituimus. Reddit rationem cur in ſermone

de Orat

de Oratore,tribus libris ad Q. Fratrem miſſus,expoſito,
Scæuolæ perſonã ex poſterioribus duobus dimouerit,exem
plóque Platonis oſtendit ſe non temere feciſſe: cúrque in
primo libro loquentem inducat docet.Nam primi libri(in=
quit)ſermo non alienus erat à Scæuolæ ſtudijs: reliqui li=
bri τεχνολογίαν habent id eſt rationem & præcepta ar=
tis rhetoricæ: cui ſermoni,& diſputationi,graui ſcilicet &
ſeriæ ioculatorem ſenem illum intereſſe rectum mihi ui=
ſum non eſt. Nec enim tam curioſam,& ſubtilem diſputa=
tionem ille ferre potuiſſet. Primo autem libro latè de ar=
te locuti ſunt: in quo ſermone ſæpe de legibus (quod ſtu=
dium proprium erat Scæuolæ) loqui accidit. Quare non
incommode, nec grauate in primo illo ſermone uerſa=
tus eſt.

Etſi uberior liberalitatis huiuſce ratio:) Nos auxilio 117
antiquorum librorum hunc locum fœde inquinatum pur=
gauimus ut in noſtro ſcriptum eſt.dicit autem, Quamuis
Scauri liberalitas uberior ſit: gratiorem tamen uideri libe-
ralitatem illorum qui occuparant, id eſt qui præuenerant
hunc: & animos, beneuolentiámque multitudinis ſibi præ=
conciliarant.intelligit autem Meſſalam, & Domitium.Su-
prà in hac ipſa epiſtola, Meſſala noſter,& eius Domitius
competitor liberalis in populo ualde fuit: nihil gratius: cer-
ti erant COSS. Qui locus & ipſe non parum antè men=
doſus erat.

Iam enim tibi luciſci loqueretur:) Commutata ſeries dua- 117
rum dictionum pulcherrimum ſenſum diu latere fecit: in no=
ſtro enim antiquiore poſt illam dictionem LVCISCI,
eſt TIBI, non ante, ut in uulgatis. Quòd ſi primam hu-
ius TIBI, literam cum antecedente dictione coniungas,
Luciſcit,feceris.incipit autem iam genuina lectio appare-

re:reliqua ut nos in noſtro libro ſcripſimus ex uetuſtioribus exemplaribus colliguntur. animaduertãt igitur ſtudioſi tam parua peruerſio quantas tenebras offundat: quámque elegantes ſenſus perturbet. Luciſcit *autem per* I, *non* Luceſcit *ſemper in antiquis libris ſcriptũ obſeruauimus: quod etiam in* Terentio *illo* Politianus *adnotat, de q[...] alibi diximus: nec non omni laude & honore dignus P[...]rus* Bembus *in ſuo dialogo de fabulis* Terentij *in illo loco,* Luciſcit: *hoc iam cur ceſſo pultare oſtium? tam puſillam, & tam tenuem* θεωρίαν *tam magnus & tam grauis uir nõ eſt aſpernatus.* Nos *etiam in codice* Mediceo *animaduertimus ita locum illum in epiſtola ad* Catonem *ſcriptum eſſe,* Expedito *exercitu ita noctu iter feci ut ad* III. *Idus* Octobr. *cum luciſceret in* Amanum *aſcenderem.* Dicit *autem hic* Cicero, *Iam enim luciſcit: quia cum ante lucem epiſtolam ſcriberet, ſupráque dixiſſet ſe hæc pridie* Cal. *ſcripſiſſe, cum iam lux appropinquaret, oporterétque diem notare quo ſenatus futurus, (hodie) ſcribit.* Ne *autem (quia ſuprà prid.* Cal. *ſe ſcripſiſſe dixerat) deciperetur* Atticus, *apertius diem exponit,* Hodie *dicens, id eſt* Cal. Octob. *ne tamen contrarium eſſet illi quod paulò antè ſcripſerat, docet, quia iam luciſcit, ſe poſſe* Cal. Octob. *iam uere dicere.* IBI *autem, in* Senatu *intelligimus.*

Ibidem Non feciſſe uidentur:) *Sic modeſtiæ gratia ſententias iudices pronunciabant, nihil temere affirmantes.* Cicero *Oratione* VII. *in* Verrem, *Comprehendi iuſſit. quis non pertimeſcat? cauſam dicere dominos. quid ſeruis tam formidoloſum? feciſſe uideri pronunciauit. Item in* Lucullo, *Quæq; iurati iudices cognouiſſent, ut ea non eſſe facta, ſed ut uideri pronunciarentur.*

Ibidem Quo ſtudio laudas:) QVOS TV DILAVDAS

emend

emendauimus. Quo uerbo alibi utitur, ut libro ſexto, Et ego audebo legere unquam, aut attingere eos libros, quos tu dilaudas, ſi tale quid fecero? Qui locus in excuſis etiam integer eſt. Item ſequenti epiſtola in eodem libro, Digna iis libris, quos tu dilaudas. Vbi tamen uulgati codices contaminati ſunt. Dilaudas autem ualde laudas: ut Diuĕdere in prima oratione contra Rullum de lege Agraria, Vt in qua uelint ſolitudine, bona populi Ro. poßint diuendere. Et Dilargiri, effuſè largiri, & diſſipare, in eadem oratione, Nec L. Sylla, qui omnia ſine ulla religione, quibus uoluit, eſt dilargitus, agrum Campanum attingere auſus eſt.

Omnino accuſatorum, &c.) Inter has dictiones quoſdam Græcos characteres à nobis non intellectos, ut in antiquo codice inuenimus, conſtituimus: iidem autem ſunt, nedum ſimiles illis quos antè eodem conſilio uſi Germani ex uetuſto codice deſcripſerunt. Idem accidit nobis in altero etiam loco in eadem hac epiſtola, quem etiam pari diligentia effinximus. poterunt doctiores uiri, quod nobis non licuit, his accuratè literis conſideratis hos fortaſſe locos reſtituere, ob idque nos ueteres has literas hic collocauimus: cui hoc contigerit, ille non parum hanc epiſtolam illuſtrabit. 118. in princ. 2

Concaluit ut digerat multa cruda facilius:) Omnia hæc corrupta: nã CONCALLVIT pro CONCALVIT legendum eſt, autore etiam Nonio Marcello, qui & hic, & lib. III. de Nat. deorum Cocalluit legit. quæ autem ſequuntur uerba, credimus nos interpretationem eſſe illius uocis CONCALVIT. cum enim nõ uiderent quid aliud ibi (calor) facere poſſet, putarunt ob id concaluiſſe ſtomachum ſibi Ciceronem dicere, ut facilius concoqueret: quod poſtea temere ab imperitis librariis in ordinem uerborum 118

Ciceronis traductum eſt. In nullis autem antiquis inueniuntur, & ſanè ſunt uerba Cicerone indigna, ſi diligenter attenderis. Stomachum autem iram hîc intelligimus, & iuſtam indignationem. Si autem Concalluit *legas, & uerbum ipſum elegans erit, & ſententia egregia, & plana. Alter autem locus citatus à* Nonio de *Natura deorum eſt, quem hic poſuimus, quia propter ſentētiæ ſimilitudinem nonnihil hanc lectionem confirmare uidetur,* Quorum tanquam manus opere, ſic animus uſu concalluit. *Infrà autem rectè* INDICIA CALENT, *quod in excuſis, uulgatiſque exemplaribus* CALLENT: *adeo omnia peruerſa ſunt, & inquinata: eodē ſignificatu quo dixit ad* Trebatium, *Quanquam uos iſtic ſatis calere audio.* INDICIA *autem, non* IVDICIA *ex antiquis libris legimus: ab indicibus, qui aliquod occultum crimen detegunt, & eius autorem in iudicium uocant.*

119 Solidis petitoribus:) *Nos quia hunc locum ualde obſcurum eſſe cognouimus, & fortaſſe mendoſum, ueterem ſcripturam nulla parte immutatam hic poſuimus. quare pro* PETITORIBVS, *ut in antiquis libris inuenimus, ſcripſimus* PICTORIBVS, *& pro* LAESAE MAIESTATIS, LEGE MAIESTATIS. *quod ſi uerba illa Græca intelligeremus, niſi ſpe fallimur, etiam aliquid certius de his uarietatibus dicere poſſemus, & omnis fortaſſe hic locus illuſtraretur. quare danda opera eſt, ut ex ueſtigijs quæ nos oſtēdimus, ſtudioſis omnibus uera lectio, quæ latet, indagetur.*

119. in fine. Recordans ſuperioris tuæ tranſmißionis:) *Videbatur ſanè ponere debuiſſe Cicero locum, unde tūc Atticus tranſmiſerat, quare* ΔΕΡΡΙΣ *inuentam à me uocem in antiquis exemplaribus non neglexi: non certa tamen mihi eius*

ratio eſt, nec uideo quomodo ſic loqui potuerit. Derra urbs eſt de qua ſic Plin. lib. IIII. cap. x. In Thermaico ſinu oppida Dicæa, Pydna, Derra, Scione. Derris eadem appellatur à Ptolemæo. Eſt etiam Derris promontorium. Dicemus igitur ueterem codicem ueſtigia potius quædam, ac ea quidem ualde perturbata ueræ lectionis, quàm eam integram nobis conſeruaſſe.

Niſi tres augures dediſſent:) Cum omnes antiqui, & impreſſi codices NISI habeant, miror non parum, ullos tam temere contrario ſenſu SI caſtigaſſe, uel potius deprauaſſe. Nos receptam lectionem ueram eſſe, & ingenuam non dubitamus, hoc ſenſu: quòd cādidati pactionem fecerint cum conſulibus, ut conſulum opibus, & gratia uterentur in ſuffragijs: quod ſi Conſules declarati eſſent, ipſi pro merito, & pro accepto beneficio Conſulibus ſpoponderunt ſe inuenturos, & daturos tris augures, qui ſe adfuiſſe dicerent cum lex Curiata ferretur, & duos conſulares qui ſe dicerent in ornandis prouincijs conſularibus ſcribendo adfuiſſe: quod ſi poſtea præſtare non potuiſſent, tunc ipſi darent Conſulibus HS quadragena pro pœna, quòd promiſſa non perfeciſſent. quemadmodum autem candidati ualde cupiebant conſulatum acipiſci, ſic etiam Conſules legem Curiatā ferri, & Conſulares, prouincias ornari non minore deſiderio flagrabant: ideo ſuorum omnes commodorum gratia tam turpem pactionem fecerant. Quin autem infrà DIREMPTA COITIONE INVITO CALVINO, legendum ſit, non CONCIONE, nemini dubium eſſe debet. Coitiones candidatorum quæ ſunt, nunc omnibus notum: inuito autem Caluino, quia ſuo conſilio contra Domitij uoluntatem eam pactionem in ſenatu recitarat. 122

122 · *Et eo magis nunc concitare dictaturam, fauere iuſtitio, &c.)* Hic antiquus codex ualde diuerſus eſt: ſed tamen mirum in modum inquinatus, & lacer: ut nulla ferè ex parte nos iuuerit: tantum fecit nobis uulgatam lectionem per ſe parum probatam magis ſuſpectam: nec enim temere putamus illum tantopere ab excuſis diſſentire. Nec nobis compertum eſt an CONCITARE DICTATVRAM eo ſenſu quem hic præ ſe fert, ſatis eleganter dictum eſſe poſſit. receptam lectionem ſuſpicamur ab aliquo pro ſuo arbitrio reſtitutam eſſe illorum qui hoc negotium olim habebant, ut nihil relinquerent in autoribus quos ſibi emendare uidebantur, è quo non aliquis ſenſus cuicuimodi eſſet, eliceretur. eſt autem hæc antiqua ſcriptura, ET EO MAGIS NVNC COCIACE DICTARVM. FLVERE. IVSTITIO ET OMNIVM RERVM LICENTIA. Quam quæſo ſtudioſiores accuratè uideant, ut ſua opera, & induſtria locus hic maculis quandoque purgetur.

122 *Et contemptionem Seleucianæ prouinciæ:)* Nihil differunt ab excuſis omnes quos uidimus manu ſcripti codices. Germani tamen in margine ſui codicis SELICIANAE VNCIAE ſcripſerunt, Nos nec probamus, nec damnamus. Alij doctiores hoc iudicabunt, nobis hic omnia caliginis plena ſunt.

Ibidem *Si me amas:)* Nos ex ueteribus exemplaribus VT repoſuimus: ut intelligatur FAC, uel aliquod huiuſmodi uerbum, quod ſæpe in huiuſcemodi familiari ſermone deſideratur. Sic bis locutus eſt in parua quadam epiſtola ad Terentiam uxorem: quod etiã ibi adnotauimus, Ibi ut ſint omnia parata. Item, Labrum ſi in balineo non eſt, ut ſit. intelligitur enim (fac) aut (uidebis).

Ex

EX LIBRO V. AD ATTICVM.

Et maximè quod CCC *aperuiſti:) Nos numerum au=* 123
ximus: ut cum alijs locis in hoc libro concordet, ubi de hoc nomine agitur: & ſanè DCCC *habet noſter antiquior codex. Verbum tamen, ut erat, cõſeruauimus. Quamuis Germani pro* APERVISTI ADPROMISISTI *legant, nullam enim uarietatem in manuſcriptis libris inuenimus. In tertia ab hac epiſtola ſic de hac re loquitur, De Oppio bene curaſti, quòd ei* DCCC. *expoſuiſti. Nos ambobus locis receptam lectionem retinuimus, quæ eadem eſt cum antiqua. Quid enim aliud in re dubia nos facere oportuit? omnem diligentiam, & cautionẽ adhibebimus, ne, ubi hunc librum meliorem facere non poſſumus, eum deteriorem faciamus.*

Ex ratione ſumpta offenſio:) Eandem inuenimus lectio Ibidem
nem in cunctis manuſcriptis libris: quare nihil mutare uiſum eſt. Germani tamen in margine ſui libri EX RATIONE SVMPTVS *adnotarunt.*

Vt prandium nobis præberet:) Nos cum antiquis exem- 124. in
plaribus VIDERET *ſcripſimus, melius (niſi fallimur)* princ.
& elegantius. Videre enim, curare, parare, & prouidere ſignificat. Ad Trebatium, Mea negotia uidebis, méque ante brumam expectabis in Lucullo, Tribunum aliquem cenſeo uideant, à me iſtam exceptionem nunquam impetrabunt. In proœmio III *libri de oratore, Quem dixiſſe conſtabat, uidendum ſibi aliud eſſe conſilium illo ſenatu ſe remp. gerere non poſſe. Lib.* XIIII, *Quare talaria uideamus. ubi tamen mendum erat, quod nos ſuſtulimus:* INDVAMVS *enim ſcriptum erat.*

Cúmque expẽsè ſua uilla:) Nos, CVM ME SPEC- 125

TANS E SVA VILLA *caſtigauimus.putamus autem hunc errorem ſic ortum eſſe ut librarius una ſyllaba relicta,* EXPENS *pro* EXPECTANS *ſcripſiſſet. Quàm ſæpe autem Spectare, & Expectare inter ſe confundantur, dici uix poſſet. teſtes nobis erunt qui in priſcorum exemplariorum lectione uerſati ſunt. Quia poſtea error (ut fit) ita auctus eſt, ut ineptiſsimus tandem ſenſus ex tam contaminatis uerbis eliceretur.*

125 *Eos iuſſu illius uiros creare:) Ex ueteribus libris ſcripſimus,* EOS IVSSOS IIII VIROS CREARE. IIII *uiri autē magiſtratus erat in municipijs: quem alibi etiam iiſdem notus ſcriptum offendimus: ut in epiſtolæ illius titulo qua commendat municipibus ſuis* C. Valgium Hippianum. *ſic enim ut nos quoque ſcripſimus, habent optimi illi, quibus uſi ſumus codices,* M. Cicero IIII *uiris & decurionibus* S. D. *Cælius hanc rem tangit (niſi fallor) illis uerbis,* Rumores de comitijs Tranſpadanorum.

126 *Lentulum ponam tecum in gratiam:) Noſter antiquior codex:* PONAM TE, *non* TECVM: *quare arbitrati ſumus præpoſitionē deeſſe: ſcripſimúſque* APVD LENTVLVM, *&c. ſic enim multis locis loqui Ciceronem animaduertimus, ut lib.* VI. *Lepta tua epiſtola gaudio exultat: & enim ſcripta bellè eſt: méque apud eũ magna in gratia poſuit. Eodem libro, At te apud eum, dij boni, quanta in gratia poſui: eique legi literas non tuas, ſed librarij tui. Denique hoc etiam libro non multo pòſt, Apud Patronem & reliquos barones te in maxima gratia poſui. Quibus locis diligēter animaduerſis uidebimus longè aliud eſſe Ponere quempiam in gratia apud aliquem, ab illo, Ponere aliquos inter ſe in gratia: ſi ſic bonis autoribus loqui moris eſt. hic enim apud Lentulum ponam, te in gratia, ſignificat,*

cat, commodum illud quod in Lentulum conferre debeo faciam ut à te profectum eſſe credat, ſéque ob id tibi ualde obligatum putet. niſi enim tua gratia interceßiſſet, à me ſe id non impetraturum fuiſſe. Quod ſi ut antea legebatur ſcriptum ſit, ſignificaret, ut exiſtimo, Vos inter uos reconciliabo. Quod quàm uerum ſit, & eruditum, uideant ſtudioſi.

Qui nos præfectos delaturum nouos) Quam inueni- 129
mus in noſtro antiquiore libro ſcripturam hic reſtituimus, eandem fermè cum illa quam etiam Germani ex uetuſto codice (ut ferunt) acceptam in margine adnotarunt. Videbunt eruditi an hic locus mutilus, decuratúſque ſit. Qui nos autem præfectos prorſus legendum credimus, non dirempta dictione QVI NOS: nam antea inquit De quinque præfectis quid Pompeius facturus ſit.

Epulati eſſemus hilarem in modum) Noſter antiquior, 130
ESSEMVS ALIA. REM IN MODVM. Nos coniecimus importunè diſſectam eſſe dictionem hanc: ſimúlque ultimam antecedentis uocis literam bis ſcribi debuiſſe, ut (Saliarem in modum) tandem conficiatur. Cenæ autem, & epulæ Saliares appellabantur, quæ ſumptuoſæ eſſent, & ſuauißimis cibis refertæ. Sex. Pompeius cum de Salijs ageret, inquit, Quibus per omnes dies ubicunque manerent, quia amplæ ponebantur cenæ, ſiquæ aliæ magnæ cenæ ſunt, Saliares appellantur. Eadem ratione dixit Horatius Dapes Saliares, opimas & abundantes. Nec me mouet quod Plinius Iunior (hilare accepti ſumus) dixit: neque ob id uulgata lectio minus diſplicet: habet ſanè illa oratio non malum ſenſum. Quaſi enim ex aduerſo reſpondet ſermoni illi Terentiano, Inuitat triſtis. Verum hic potius indicare uelle Cicero uidetur copiam, & ſuauitatem dapium, quàm

hilarem, & lætum animum accipientis. nam ſi diligenter attenderis, intelliges potius illos ex muneribus ab Attici *familiaribus miſsis ample, & opipare in illis locis ubi tunc erant, epulatos eſſe, quàm ab eiſdem* Attici *domi ſplendidè, & hilari uultu acceptos.*

131 O, *illum uerum*) *Cum antea inane ſpatium relictum eſſet, nonnulli* γραφέα *inculcarunt, adeóque abſurdè, & ineptè interpretati ſunt, ut nihil dici poßit ſuprà. Quos tamen omnes poſtea ſecuti ſunt: cunctiſque nunc excuſsis libris ea dictio cum ſua illa falſa, & inani declaratione inuenitur. Noſter antiquior liber ſic habet* CPΔOITIC. *Quod ſi ex prima litera,* E *facias, id eſt ſi ſemicirculum illum tranſuerſa linea ſeces (uides autem quam facile, & nullo periculo facere poßis.) nihil amplius deſiderabitur: locúmque totum illuſtraueris: eſt enim prouerbialis ſenarius* ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην *ualde notus, & celebris. Cicero ipſe in prima* Tuſculana *Latinum fecit, Bene enim illo Græcorum prouerbio præcipitur, quam quiſque nouit artem, in ea ſe exerceat. Memini cum ab hinc* x. *annos domi meæ de caſtigatione hac Benedictum Lampridium elegantiſſimum poëtam conſulerem, librúmque illi ueterem, cuius auxilio hoc conſecutus eram, oſtenderem, noſtrum illum de hac re iudicium probaſſe, uehementérque emendatione hac delectatum eſſe, & magnopere mihi autorem fuiſſe ut annotationes has conficerem: ſtudioſis omnibus eas admodum gratas fore confirmando, qui tot horum uoluminum peruerſionibus offenſi, & territi uix unquam ea in manus ſumerent. Cuius conſilium cum eſſet magni apud me ponderis, ſemper mihi hæſit in pectore, ſed uarijs poſtea caſibus, & occupationibus interruptum, ac penitus relictum fuit, donec*

tand

tandem precibus amicorum adductus nunc poſt tantum temporis ſpatium ad id iterum animum appuleram: nec etiam idem ceſſauit, cum Florentiam ſe nuper priuatorum negotiorum cauſa contuliſſet, me, ut id quamprimum facerem, cohortari. Cuius præcipue uoluntatem, autoritatémque ſecutus multo citius quàm cogitaram (nactus uacuum tempus à Philoſophiæ ſtudijs) in hoc incubui. Mirum autem nemini uideri debet, ſi huius iudicium tanti facio: nullum enim inueni qui mihi melius ſuaderi poſſet & uellet, quàm ipſum: ſumma enim erga me beneuolentia cum optimo ingenio in eo coniuncta eſt. ſed nihil opus eſt hic eius mores, ingenium, doctrinam celebrare. Nec enim qui alijs, quibus uult, famam, gloriámque ſuis carminibus cotidie dat, indiget aliorum præconio in ſuis laudibus declarandis: dum enim illuſtrium, fortiúmque uirorum res geſtas, laudéſque ad aſtra tollit, magnum ſibi ipſe decus peperit, ſuúmque nomen immortalitati commendauit. Sed hactenus: ſummus autem amor, quo illum proſequor, uel incredibilium potius uirtutum admiratio me longius quàm uolebam prouexit.

Sed quia ἐυεκκήλητα ſunt) Qui primis illis temporibus 131
excuſi ſunt libri, uacuum hic ſpatium habebant. poſteriores Græcam hanc dictionem reſtituerunt, difficilia mitigatu exponentes: nos non negligenter ueluſtas literas Græcas conſiderauimus, rectiúſque, & fidelius arbitrati ſumus ex illis ueſtigijs ευσέκκλητα ſcribi poſſe, ut ſignificet, Talia ſunt, ut nequeant in iudicium uocari. quædam enim res, etſi te offendant, non tamen tantum criminis habent, ut de ipſis iudicium exerceri poſſit. Nos antiquam ſcripturam confirmare uolentes, hanc excogitauimus ſententiam (niſi fallimur) non ineptam: ueruntamen quia uolumus

omnia

omnia facere, ut hæ maculæ tollantur: ſi fortè nos non uerè antiquam illam ſcripturam reddiderimus, cunctis hic eam ſtudioſis proponemus: ut ipſi etiam ſi noſtram non proba rint, ex illis meliorem lectionem conentur eruere. Sunt omnino (ut puto) aliquantulum Græca hæc elementa corrupta: ΔΥCCEKIΛΛΗΤΑ *igitur eſt antiqua lectio.*

132 *Marcellus ſedendi comes) Nos hunc locum mancum, diminutúmque eſſe putamus, ut omnino ſine meliorum librorum copia, nullo pacto corrigi: reſtituique poßit. Quia tamen quacunque ratione poſſumus, uolumus his libris opem adferre, opinionem noſtram proferemus, non de uerborum reſtitutione (uix enim id puto poſſe fieri) ſed de re, quam credimus hic tractari, quæ tamen etiam uerbis aliquid lucis adferret. Niſi fallimur, exponit hiſtoriam quandam de Comenſe à Marcello uirgis cæſo in ludibrium Cæſaris. cum enim ei ciuitati ius Latij Cæſar dediſſet, quicunque in ea magiſtratum gerebant, ſtatim fiebant ciues R. Comenſem igitur quendam, qui magiſtratum in ſua patria geſſerat, ob idque ciuis R. eſſe exiſtimabatur, Marcellus Conſul Romæ cecidit, ut beneficia Cæſaris rata non eſſe oſtenderet: non enim ea pœna afficiebantur ciues R. iuſſit.que odio, & acerbitate ductus qua in Cæſarem ferebatur, eum plagas illas Cæſari oſtendere, quæ peregrinum eum, non ciuem eſſe coarguebant. Quæ res nocere reip. uiſa eſt: quales enim aduerſus illum eius inimici futuri eſſent, ſi priuatus rediſſet, declarauit: animúmque Cæſaris ad noua conſilia capienda exacuit. hanc autem rem diligenter Appianus narrat.*

133. in princ. *Et aliquid* ἐπίκοπον: *de Parthis, &c.) Sic ſcripſimus ex uetuſto noſtro libro: quia tamen diuinare aliquantulum oportuit, uoluimus uetera ueſtigia nota facere: ut ſi cui* noſtr

noſtrum iudicium diſplicuerit, habeat & ipſe ubi ingenium ſuum exerceat: eſt autem ſic hic locus ſcriptus in antiquiore noſtro libro, ET ALIQVID ΕΠΙΚΟΝ ΔΕΙ: DE PARTHIS. Nos arbitrati ſumus ſyllabam in medio Græcæ dictionis uitio librarij defeciſſe: utitur autem alibi in his epiſtolis hac uoce. tres autem ultimas literas exiſtimauimus: quaſique ſequens monoſyllabum ineptè, & incommodè bis repetitum eſſe: non autem hic tantum Græcis characteribus Latinas uoces ſcriptas habet hic codex. Germani ferè eandem lectionem, quam nos, uidentur inueniſſe (ſi fideliter illam reddiderunt) in antiquo ſuo libro, quæ tamen mutilata eſt, indigétque aliquo auxilio.

Οἷαπερ ἡ δέσποινα) Hæc eſt antiqui noſtri exemplaris lectio. Raro autem Cicero integrum prouerbium adducit: prima tantum uerba, quæ totum indicent, ponit. Idem hoc prouerbium Plato in VIII. Politiæ deminutum pronunciat. ἀτεχνῶς γὰρ αἵ τε κύνες κατὰ τὴν παροιμίαν οἷαίπερ αἱ δέσποιναι γίγνονταί τε δὴ καὶ ἵπποι καὶ ὄνοι πάνυ ἐλευθέρως καὶ σεμνῶς εἰθισμένοι πορεύεσθαι. 133

Ananius autem, &c.) Noſter antiquior ſane liber habet MANIVS, Sic & alij manuſcripti, ſic Germanorum codex. Nos tamen MEMMIVS emendauimus: intelligit autem epiſtolam illam, quæ prima eſt eius uoluminis, in quo omnes, quibus aliquos aliquibus commendat, collectæ ſunt, qui antè erat liber XIII. ibi autem totam hanc rem diligenter narrat. quare quin Memmius ſcribendum ſit, dubitari non poteſt. Nam cum ædificandi conſilium abieciſſe in illa etiam traditur, cum inquit, Nunc uerò ſi audierit te ædificationem depoſuiſſe, &c. Cum ſuperiore autem coniunximus, quia multis, & euidentibus argumentis iudicauimus Ibidem

cauimus importune diſſectam fuiſſe.

134 Ad v i i i. Id. ad Ceocum uicum. Deinde, &c.) Emendauimus ex manuſcriptis a b c e o i v c v n d e. Narrat enim quas faciles & iocundas, quas moleſtas & difficiles nauigationes habuerit: tot enim diebus unam tantum tranquillam nauigationem habuit, reliquas odioſas & multorum incommodorum plenas.

Ibidem Συνηγονιζόμην) Veteres codices συνηγωνίων prima præteriti imperfecti perſona à uerbo ἀγωνιῶ: quod metuere & mœrore confici ſignificat, cuiquidem ualde συνηγωνίων, id eſt unà cum illo mœrore, cruciatúque afficiebar de incommodis maliſque quæ illi acciderant. incertum autem de qua re intelligat. Suidas hæc Polybij uerba citat, ἠγωνία δὲ τοὺς στρατιώτας μὴ ἐπιλείπῃ τὰ ὀψώνια, id eſt, mœrore autem milites afficiebat timor, ne deficerent cibaria.

134 De ſtrue ſalinarum plane rogo) Nos receptam lectionem conſeruauimus: non tamen uiſum eſt alienum, in obſcura & incerta re ueterem lectionem teſtatam relinquere, maxime cum tam diuerſa ſit: etſi nos nihil ex ea, quod ueriſimilius ſit, elicere potuimus. eſt autem hæc, d e s t r v e s a l t e r v m p l a n e r o g o, deprauata omnino & manca: ſed propter exemplaris autoritatem, & huius negotij obſcuritatem, quæ nullo pacto omitti debuerit.

135 Philogenem, & Seium Rhodium, &c.) Ex uetere noſtro libro lectionem noſtram hauſimus. Tradere autem quempiam alicui, eſt conſtituere ipſum apud illum, & quaſi præſentem in manus porrigere, & dare. Vt Cicero in epiſtola, qua commendat C. Cæſari Trebatium, Totum denique hominem tibi ita trado: de manu (ut aiunt) in manum tuam iſtam & uictoria & fide præſtantem. Erat autem Philogenes libertus Attici, ut ex uerbis illis colligitur, quæ ſunt in v i.

lib.

lib. Cum Philogenes libertus tuus Laodiceam ad me ſalutandi cauſa ueniſſet.

Ex ea die ſi meas, &c.) *Diu manſit hic inane ſpatium: cum omnis Græcæ literæ quomodo reponi deberent, neſciret. Germani* παράπηγμα ἐνιαύσιον *reſtituerunt: quos ipſi ſecuti ſumus, quoniam ſimiles ualde characteras in noſtro antiquiore inuenimus. rectius tamen eſſe putauimus antiquam hic ſcripturam collocare, maxime cum locus obſcurus ſit, & fortaſſe lacer: eſt autem hæc,* ΠΑΙΤΕΑΜΑ ΕΝΙΑΥCΙΟΝ. *uidetur autem eandem rem, quam in principio ſequentis epiſtolæ exponit, hic tractare, ubi quædam uerba nos ex antiquis exemplaribus reſtituimus: de quibus paulò pòſt agemus. Erant autem & Latina uerba hic parum integra: quæ nos auxilio meliorum codicum caſtigauimus. Omnis autem noſtra ſuſpicio eſt in primo illo Græco nomine: nihil tamen certi, quod in medium adſeramus, habemus.* 136

In primis quid illud ἐν ὑμίλῳ, &c. *Ipſi hanc ſcripturam inuenimus in antiquo* ΕΝΟΜΥΧΟΝ. *Quare unam literam tantum addentes* ἐνδόμυχον *ſcripſimus. ſignificat autem* ἐνδόμυχον, *occultum, & abditum, quaſi in domus penetralibus reconditum. Eſt autem idem hoc uerbum in fine huius libri in eodem codice ſincerè ſcriptum,* De ἐνδομύχῳ probo idem quod tu. *ubi etiam in uulgatis deprauatum erat: eandem enim rem paucis uerbis & ille tangit. Innuit autem, ſi diuinare licet, id eſt non certis omnino coniecturis fidem habere, Tulliæ nuptias, quæ hoc tempore Dolabellæ nupſit: eſt enim omnino domeſticum quoddam negotium, quod ipſi magnæ curæ erat. nam quid aliud eſſe poterat, quod ille tantopere celaret, & ſæpe tam accuratè commendaret? Arbitramur etiam eandem* 136

hanc rem tangi uerbis illis, quæ in ſuperiore epiſtola ſcripta ſunt, Deinde exhauri mea mandata: maximéque ſiquid poteſt de illo domeſtico, &c. ut fortaſſe (domeſticum) illic appellet, quod poſtea ἐνδόμυχον. Item illis, quæ in tertia ab hac epiſtola ſunt, Seſtius ad me ſcripſit, quæ tecum eſſet de mea domeſtica, & maxima cura locutus, & quid tibi eſſet uiſum, &c.

136 Ex hoc die clauum commouebis) Nos ex noſtro illo antiquiore poſuimus hæc uerba, quæ negligenter (niſi fallimur) relicta erant. Clauis autem numeros annorum antiquitus ſignari ſolitos, ex T. Liuio compertum habemus: ut alludat nunc Cicero ad priſcum illum morem. poſt eum enim diem annuum tempus iam minui incipiebat: ualde autem cupiebat Cicero, ut ex multis locis manifeſtum eſt, annuum ſibi hoc negotium non prorogari. Magnopere ſanè huic loco cum ſuperiore illo conuenit, Ex ea die, &c. Quare nos magis, magíſque ſuſpicamur in uoce illa Græca mendum, & peruerſionem quampiam eſſe, ut potius ea aliquod, quod cum clauo aliquam ſimilitudinem habeat, ſignificari debeat: quod tamen nos non uidemus in extrema harum etiam dictionum quas hic reſtituimus. Aliqua peruerſio eſt in antiquo codice: quam tamen nos quàm parua fieri potuit mutatione correximus.

137 Plura ſcribam tarde tibi reddituro) Nos hunc locum corruptum eſſe exiſtimamus: nec potuimus antiquorum codicum auxilio, qui & ipſi non minus deprauati ſunt, aliquid opis adferre. Germani qui ALIAS TARDE emendarunt, non fecerunt hoc (ut putamus) uetuſtorum exemplariorum autoritate ducti: in nullis enim manu ſcriptis ALIAS inuenimus. ſed omnes omnium emendationes illi in unum congeſſerunt: quod ſi quæ tantum

in perſ

in priſco illo exemplari inuenerunt, adnotaſſent, nec cum illis uiolentas quaſdam caſtigationes commiſcuiſſent, melius profecto ſtudioſorum utilitati, ſuæq; fidei conſuluiſſent. Nobis etiam inuitis uox illa ALIAS *neſcio quo caſu in noſtrum codicem irrepſit. ſed difficile eſt, cum deprauatiſſimum librum in manibus habeas, quem caſtigandum ſuſceperis, poſſe ita omnes maculas ex eo delere ut non aliquando parua aliqua nota inhæreat, quæ oculos ſubterfugerit.* 52

Omnes poſſeßiones omnium:) In *cunctis manuſcriptis,* ONAS OMNIVM VENDITAS, *legimus: quare Græcis literis* ὠνὰς *ſcripſimus.* Duas *autem has dictiones Græcas, quibus hic utitur Cicero pluribus uerbis exprimit in epiſtola quodam ad* Appium, *Atque hoc tamen te ſcire uolo, me de iſto ſumptu legationum aut minuendo, aut remittendo, decreuiſſe nihil, niſi quod principes ciuitatum me poſtulaſſent, ne in uenditionem tributorum, & illam acerbiſſimam exactionem, quam tu non ignoras, capitum atque oſtiorum inducerentur ſumptus minimè neceſſarij. Cũ enim dicit uenditionem tributorum, puto* τὰς ὠνὰς *eum intelligere: deinde per acerbiſſimam exactionem capitum,* τὰ ἐπικεφάλια. *utitur autem in his ipſis epiſtolis Cicero prima uoce, cum de bonis Milonis à* Timotheo *emptis obſcurè* Græco *ſermone cum* Attico *loquitur,* πεφυρακέναι τάς ψήφους ἐκ τῆς ὠνῆς τῶν ὑπαρχόντων τοῦ κροτωνιάτου τυραννοκτόνου. *locus nunc tam clarus eſt, ut nulla eum amplius indigere putem declaratione.* 138. in princ.

Bibulus nunciabatur quidem:) Antiquior *noſter liber* NEGOTIABAT QVIDEM. Nos *caſtigauimus* NE COGITABAT QVIDEM, *parua omnino peruerſione ſi conſideres ſæpe antiquos librarios* G. *pro* C. 141

ſcripſiſſe, & contrà. Prima autem particula NE, quàm neceſſaria ſit, multis argumentis oſtendi poteſt: non paruum ducitur ex particula illa, QVIDEM, quæ ferè ſemper ante ſe habet NE. Sic etiam loquitur Cicero de ſe in VI. lib. Non. Maijs in Ciliciam cogitabam.

Ibidem Cum ſubito applicuit tabellarius:) Nos auxilio antiquioris noſtri codicis, APPII TABELLARIVS ſcripſimus. Putamus autẽ huius erroris anſam dediſſe, quòd APPEII in priſcis exemplaribus ſcriptum fuiſſet. tanta ex tam paruo initio labes ſæpe oritur. Quod autem paulò pòſt, antea deprauatè legebatur IVIT TAM MIHI LONGE, eadem librariorum imperitia commiſſum arbitramur, legendúmque eſſe κ῀ παρένθεσιν (huic tam longe!) ut queratur ingemátque ſe tanto loci ſpatio Roma abeſſe, ubi eſſe ualde cupiebat: nam aliàs ſic etiam ingemiſcit, ut hoc ipſo in libro, Hui totiénſne me literas dediſſe Romam, &c.

141 Quæ de Tarentinis, &c.) Nihil diſcrepant hoc loco noſtri manu ſcripti codices ab excuſis: quare ab illis deſtituti communem, uulgatámque lectionem cõſeruauimus, etſi ualde dubiam, & obſcuram. Audiuimus acutos quoſdam uiros ſic hunc locum corrigere, QVAE DE PARIETINIS A MEMMIO IMPETRAVI. Cum enim ſuprà de Epicureis loquatur, crediderunt rem illam hic tractari, de qua & hoc libro, & in epiſtola ad C. Memmium longius egit: in qua cum hæc uerba ponat, Peterémque ut neſcio quid illud Epicuri parietinarum ſibi concederes, &c. illi exiſtimauerunt pro TARENTINIS, PARIETINIS eſſe legendum. Nobis nimis dura, & uiolenta hæc uidetur emendatio: nec uideo cur hic (parietinas) cum Attico loquens, Epicuri domicilium appellare debeat, quod cum

Memmio

Memmio loquens non ſine cauſa fecit: ut ipſe quaſi cum eo conſentire uideretur, non debere Patronem tantopere laborare de re leui, & parui momenti: atque hoc ut facilius ab eo, quod uellet, impetraret: cum infrà rem, & cauſam Patronis augeat omni ratione qua poteſt: cum exponat illum dicere honorem, officium, teſtamentorum ius, Epicuri autoritatem, Phedri obteſtationem, ſedem, domicilium, ueſtigia ſummorum uirorum ſibi tuenda eſſe. Quod ſi receptam lectionem retineamus, uidendum eſt cur ſtatim, cum adhuc de Epicureis loqueretur, de Tarentinis uerba faciat. Quid enim eſt Tarentinis cum Epicureis? Eſt tamen locus in epiſtola ad Trebatium, ubi cum de Epicureorum diſciplina iocaretur, Tarenti meminit, tanquam ibi ea doceretur, Indicauit mihi Panſa meus te Epicureum eſſe factum. ò caſtra præclara, quid tu feciſſes, ſi te Tarentum, & non Samarobrinam miſiſſem? Qui non mihi parum argumenti eſt poſſe & hic uulgatam lectionẽ ſinceram eſſe. nihil tamen affirmamus: nam nondum certi aliquid habemus, quod omnes ſcrupulos eximat: nec tamen Tarentum intelligimus, id eſt in locum, ubi delicatè, luxurioſéque uiueretur.

Quod dein Apameæ:) Nos hic inane ſpatium reliquimus: exiſtimamus enim uerbum aliquod Græcum deeſſe: Nam & ſententia imperfecta eſt, & priſca etiam exemplaria ſedem unius dictionis uacuam habent. 142

142 *Qui Syriam à Cilicia aquarum diuortio:) Cuncti quos uidimus manuſcripti codices* IN AQVARVM DIVORTIO *habent: nullus tamen excuſus præpoſitionem* IN *retinet. nos quoque illam omiſimus: nec tamẽ uoluimus hanc uarietatem, etſi paruam, tacere.*

Oſates dux Parthorum:) Noſter antiquior liber rectè 143 *Oſaces habet: hoc enim uerum nomen huius Parthorum du-*

cis fuit. Quod autem magna autoritate eum fuiſſe dicit Cicero, idem confirmatur à Dione lib. X X X X. *his uerbis,* πακόρου μὲν ὀνόματι ἔργῳ δὲ (παῖς γὰρ ἔτι ἐκεῖνος ἦν) ὠσάκου ἡγουμένου σφίσιν ἐστράτευσαν καὶ μέχρι τῆς ἀντιοχείας ἦλθον. *Hoc autem Caßij ſtratagema idem accuratè narrat. Quem locum, quia nondum uulgatus eſt hic autor, aut in Latinam linguam conuerſus, hic adſcribemus: eſt autem eodē in libro, quo ſuperiora eius uerba, nec multo pòſt illa,* ἁμαρτόντες δὲ τῆς ἀντιοχείας ὅτε γὰρ κάσσιος ἰσχυρῶς αὐτοὺς ἀπεκρούσετο καὶ ἐκεῖνοι ἀδύνατοι πολιορκεῖσαι τι ἦσαν ἐπ' ἀντιγονίαν ἐτράποντο καὶ ἐπειδὴ τότε προάστειον αὐτῆς σύμφυτον ἦν καὶ οὐκ ἀθάρσησαν ἀλλ' οὐκ ἐδυνήθησαν ἐς αὐτὸ ἐσελάσαι, ἐνενόησαν μὲν τά τε δένδρα κόψαι καὶ τὸ χωρίον πᾶν ψιλῶσαι ὅπως καὶ θαρσοῦντως καὶ ἀσφαλῶς τῇ πόλει προσμίξωσι μὴ δυνηθέντες δὲ ὅτε γὰρ πόνος πολὺς ἐγίνετο καὶ ὁ χρόνος ἄλλως ἀναλοῦτο ὅτε κάσσιος τοὺς ἀποσκεδαννυμένους σφῶν ἐλύπει, ἐπανέστησαν ὡς καὶ ἐπ' ἄλλο τι στρατεύοντες κἀν τούτῳ ὁ κάσσιος ἐς τὴν ὁδὸν δι' ἧς ἀποπορεύεσθαι ἔμελλον ἐλόχισε κἀνταῦθα ἐπιφανεὶς σφίσι μετ' ὀλίγων ἔς τε δίωξιν αὐτοὺς ἐπηγάγετο καὶ περιστοιχισάμενος ἄλλους τε καὶ τὸν ὠσάκην ἀπέκτεινε. τελευτήσαντος δὲ ἐκείνου πᾶσαν τὴν συρίαν ὁ πάκορος ἐξέλιπε.

Ibidē in fine. *Saturnalibus certis:) Nos ex uetere noſtro libro,* TERTIIS *emendauimus. Appellat autem in ultima* XIII. *libri epiſtola, in qua Attico narrat, quomodo Cæſarem hoſpitio acceperit, Secunda, & tertia Saturnalia; inquit enim, Ille tertijs Saturnalibus apud Philippum ad* H. VII.

144 *Facere poſſem recte: nihil eſt præclarius:) Nos in medio harum dictionum apud uetus noſtrum exemplar, Græ-*

cam

eam uocem inuenimus, quam πεφυσίωμαι, reddidimus: accuratè enim characteribus illis animaduerſis nihil cogitare potuimus, quod minus à ueteribus ueſtigijs diſcederet, magiſque ſententiæ quadraret: eſt enim πεφυσίωμαι, ἔπηρμαι, ὤγκωμαι, id eſt, his tam præclaris rebus meritò animo ſublatus ſum, & inflatus. Germani qui uidentur & ipſi eaſdem, aut ualde ſimiles literas in uetere ſuo codice inueniſſe, πέφεισμαι ſcripſerunt. Doctiores hunc locum accuratius animaduertent, uidebúntque noſtrúmne, an illorũ iudicium magis probandum ſit. Si quam in noſtro exemplari ſcripturam inuenimus, cõſideres, magis illi, quàm nos diuinarunt: ſententiam tamen præcipuè ſpectandam cenſeo. Noſtra autem (ni fallimur) uerior, & accommodatior eſt. In uerbis etiam illis Latinis FVIT TANTI, nonnihil mẽdi putamus eſſe: quod tamen non confidimus poſſe tuto tollere: quare cõmunem lectionem, quæ eadem eſt in manu ſcriptis, ſuo loco non mouimus.

Απρόσιτον me, non modo ἀδωροδόκητον:) Hãc ultimam Ibidem.
Græcam dictionem in nullis manuſcriptis inuenimus: quare putamus ab aliquo ſuppletam eſſe: etſi Germani quoque eam acceperunt: ſed illi potius, quæ deficerent, addere, uoluerunt, quàm quæ abundarent, tollere.

Togam puram iubebo dari:) Manuſcripti codices IVBEOR DARE. Quam lectionem & ſecuti ſumus, & 144. in fi-
melioremexiſtimamus: ſcimus enim mandaſſe Q. Ciceroneͫ ne, & in
nem fratri, ut Q. filio togam puram daret. Sequenti libro, prin. ſeq.
Q. togam puram Liberalibus cogitabam dare, mandauit enim pater. Huius autem rei nunc Atticum certiorem facit. Dicit etiam ſe illi moderaturum eſſe, erat enim puer ferocis ingenij, uel malefici potius: & iam tum apparebant in eo ſigna peſſimi animi ut illum ſumma cura regere

 oport

oporteret: non multò autem pòſt in nefaria ſcelera proru=pit, quæ ſuis omnibus magnarum moleſtiarum, mœroriſque cauſa fuerunt. M. *que Ciceroni exprobratum poſtea fuit, illum de patris, & patrui cæde cogitaſſe.* Hoc *ipſo libro Cicero de eo ſic loquitur,* Quid *ſiquid filius puer, & puer benè ſibi fidens, qui eſſet dolor, &c. Sic etiam de Horten=ſio filio loquitur, qui & corruptus erat, & aliquo recto=re indigebat nequid flagitij committeret, Sin fuerit meus comes, moderabor ita nequid eum offendam, quem minimè uolo.*

145. in princ. *Deiotarus cuius magnis auxilijs, &c.)* Deiotari *no=men in nullo manu ſcripto inuenitur: quin autem* Deiota=*rum intelligat, nemo dubitare debet: huius enim tantum ma-gnis auxilijs uſus eſt. ſupráque dixit* Deiotarum *filium ſe=cum in regnum Cicerones pueros duxiſſe.* Videndum *po=tius an rectius ſine nomine* DEIOTARVS *legatur, uo-lueritque* Cicero *illum deſignare, & indicare his uer=bis,* CVIVS AVXILIIS MAGNIS VSVS SVM. Quod *ita puto eſſe, ut iocetur cum Attico, quod ſæ-pe facit, ut cum ſuprà in fine antecedentis epiſtolæ ſeipſum deſcribit his uerbis,* Quod *ſcribis libenter repulſam tuliſ-ſe eum, qui cum ſororis tuæ filij patruo certarit.* Per *pa=truum enim filij ſororis Attici ſeipſum intelligit: tangit autem repulſam* Hirri, *quam paſſus erat cum Aedilitatem cum* M. Cœlio *peteret, quam rem* Cœlius *ipſe in epiſto=la ad Ciceronem explicat.* Si *enim* DEIOTARVS, *di=xiſſet, quid attinebat uerba illa addere,* CVIVS AV=XILIIS MAGNIS VSVS SVM? *Satis enim erat* Deiotari *nomen, nihilque neceſſe erat ea ſubiungere: nunc autem cum* Deiotari *nomen reticuerit, ea neceſſario ponuntur quæ illum declarent.* Huiuſmodi *iocis, elegan*

tyſq;

tiisq́; plenus eſt hic liber. Quare meo iudicio uox illa, quæ contra noſtram ſententiam in noſtrum librum irrepſit delebitur.

Phameo quæritur κέρας:) Nos PHEMIO *caſtigauimus, quod cantoris nomen apud Homerum eſt in Odyſſea. De quo etiam meminit Plutarchus in libro de muſica: qui tradit ipſum, reditum Græcorum qui cum Agamemnone à Troia tranſmiſerunt, uerſibus cecinîſſe.* κέρας *autem inſtrumentum muſicum eſſe nemini dubium eſt. Libro* VI. *de hac re iterum agit, ubi in uulgatis etiam exemplaribus rectè omnia ſcripta ſunt: declaratúrque hic locus mirificè: inquit enim,* κέρας *Phemio mandatum eſt: reperietur modo aliquid quod illo dignum canat. antè enim ſe Phemio cornu, quo canere poſſet, quærere dixit: nunc eo inuento & illi mandato, ſe quæſiturum aliquod argumentum quod illo canere poſsit. Phemius autem pro omni muſico & cantore ponebatur, quemadmodum & apud Ouidium, Quid iuuet adſurdas ſi cantet Phemius aures? Quem autem per Phemium intelligat, obſcurum eſt: nos id curioſius non quæremus, contenti locum emendaſſe.* 145

Angunt me dubitationes tuæ:) PVNGVNT *caſtigauimus, auxilio antiquioris codicis, ut lib.* II. *Quid quæris? primo ita me pungit, ut ſomnum mihi ademerit. Verbum autem Græcum, quod paulo ſuprà eſt, amatorum proprium eſt, & illorum perturbationibus exprimendis accommodatum. eorum enim uoluptates, delectationéſque doloribus, ægritudinibúſque permixtæ ſunt: quod etiam Plutarchus in* V. *lib.* συμποσιακῶν *cap.* VII. *his uerbis docet,* Διὸ καὶ θαυμάσειεν ἄν τις εἶναι μάλιστα τὸ πάσχειν μὲν καὶ κακοῦσθαι τὸν ἄνθρωπον διὰ τῆς ὄψεως οἰμένων οὐκ ἔτι δὲ δρᾶν καὶ βλάπτειν· αἱ γὰρ ἄντι βλέψεις 146

τῶν ἐν ὥρᾳ καὶ τὸ διὰ τῶν ὀμμάτων ἐκπίπτον εἴτε ἄρα φῶς εἴτε ῥεῦμα τοὺς ἐρῶντας ἐντήκει καὶ ἀπόλλυσιν μεθ' ἡδονῆς ἀλγηδόνι μεμιγμένης ἣν αὐτοὶ γλυκύπικρον ὀνομάζουσιν.

147 *Præterquàm in* L. *Tullium legatum in cæteros qui:)* Nos *eam hic ſcripturam reſtituimus,quam in noſtro antiquiore inuenimus: exiſtimamus autem illam ſinceram,& incorruptam eſſe:nam hoc aduerbio alibi utitur* Cicero,*ut lib.* XIIII. *harum epiſtolarum,*O *loca cæteroqui ualde expetenda,interpellantium autem multitudine penè ſugienda.*Antè *de hoc diligentius locuti ſumus.*

147. in fine. *Statuas prohibeo:)*Inter *has duas dictiones &* Latinā, *&* Græcam *uocem antiquiores codices habēt:quarum Græca certa eſt:* τέθριππα *enim manifeſto legitur,id eſt quadrigas.* Latina *uerò inquinata,* EANA *enim ante* τέθριππα. *nos* AENEA *arbitrati ſumus legi debere:ut ſit epitheton* τῶν τεθρίππων. Verum *quia aliquātulum hoc loco noſtræ opinioni indulſimus,nonnihilque à priſcis literis diſceßimus,id omnino indicare uoluimus,ut ſi forte, quòd fieri poteſt,decepti ſimus,nō culpetur in hoc,minórq; fiat ueruſtorum librorum autoritas:ſimúlque ut qui noſtram coniecturam non probarint,poßint,antiqua ſcriptura duce,ueriorem lectionem inueſtigare.*

148 *Cum ſemio diſpiciam* κέρας *omnium:)*Pro SEMIO, PHEMIO *ſcripſimus,eodem quo ſuprà errore à librarijs peccatum eſſe credentes: nam* κέρας AONIVM *ueteres codices adhuc ſeruant: nec ulla opus fuit induſtria in his uerbis corrigendis.* In *Aonia autem, quæ poſtea* Bœotia *appellata eſt,* Helicon *mons erat,ſedes muſarum.* Vergilius *etiam in* Bucolicis *cum de muſis loqueretur,quæ in* Helicona *montem* Gallum *duxerunt,inquit,*Tum *canit errantem*

tem Permeſſi ad flumina Gallum Aonas in montes ut duxerit una ſororum. Quamuis credam hic Aonium potius cornu, ipſius excellentiam, quam regionem illam ſignificare: longe enim tunc ab his locis erat Cicero. Eſt autem ſemper hæc res breuiter, obſcuréque tractata: ut nihil certi affirmari poßit: ſtudioſi tres hos locos (nam toties de eadem re agit) diligentius animaduertent. ut nos ſententiam, & huius negotij hiſtoriam explanare non poſſumus: ita uidemur de uera, & à nobis conſtituta ſcriptura fidenter aſſerere poſſe.

Hortatus ſum demum etiam:) *Locus deprauatus: antiquior noſter codex* d ETIVI *habet, corruptè prorſus. ex quo tamen facile legitima lectio (niſi fallimur) exculpi poteſt: conuerſa enim prima litera deorſum uerſus, fiet* PETIVI. *Quo facto omnis locus inluſtratus erit. Non tantum, inquit, hortatus ſum, ſed petiui pro meis in ciuitatem beneficijs, ut negotium conficerent. ut oſtendat quantopere* Bruti *cauſa laborarit, cum eò etiam deſcenderit, ut beneficij loco ſe hoc ab illis accepturum dixerit.* 149

Ille ex ſyngrapha poſtulabat illo:) Nos IIII. *id eſt quaternas ſcripſimus, ut intelligat centeſimas.* Nam *infrà hac epiſtola,* Nam *aut bono nomine centeſimis contentus erat, aut non bono quaternas centeſimas ſperabat.* Item *lib.* VI. *cum de hoc eodem negotio loqueretur, inquit,* Tu *qui ais* Brutum *cupere aliquid perdere, quaternas habebat in ſyngrapha.* Et *eadem epiſtola infrà,* Niſi *forte id uolumus armis efficere ut fœnus quaternis centeſimis ducant.* 149

De ἐνδόμῳ:) *Vetuſtior noſter codex, de* ἐνδομύχῳ, *id eſt de noſtro illo domeſtico, & occulto negotio. ſuprà autem longius de hoc ipſo loco diſſeruimus.* Vbi *autem paulò pòſt,* POMELIA *legebatur, nos* PONTIDIA *ex ue-* 150 in fine

tuſti codicis autoritate ſcripſimus. Præterea idem nomen in longa ſequentis libri epiſtola reperies, non multo poſt, quàm de Tullia egerat, cum inquit, Multo enim malo hunc à Pontidia, quàm illum à Seruilia.

EX LIBRO VI. AD ATTICVM.

151 *Ad quintum miliare Laodiceæ:)* Nos hic uulgarem, & communem lectionem retinuimus: noſter tamen antiquior TERMILIA pro MILIARE habet. Germani uerò in ſui codicis margine TERMINALIÀ emendarunt: quapropter uideant doctiores in quibus libris uitium ſit, & qui ſinceriorem ſcripturam conſeruarint.

Ibidem *Iis igitur reſpondebo:)* Nos iudicauimus Græcam uocem deeſſe, quæ doceret modum quo uellet ſibi Atticus reſponderi: ideóque inane ſpatium reliquimus, ut ſi in integriore aliquo libro inueniretur, reponi poßit: præterea ne fallat aliquem imperfectam eſſe ſententiam huius loci. Nec enim uериſimile eſt poſtulaſſe Atticum à Cicerone ut tantum reſponderet: ſed potius illi quomodo uellet ſibi reſponderi, mandaſſe. Quia epiſtola Attici confuſior, perturbatiórque erat, illa inquam, cui hæc reſpondet (ſcripſerat enim quicquid ſibi ex tempore in mentem ueniſſet) poteſt fieri ut à Cicerone petierit, ut ipſe quoque αὐτοσχεδίως ſcriberet. ſed hoc magis poteſt aliquis ſuſpicari aut hariolari, quàm confirmare aut credere. infrà autem dicit, Sed enim οἰκονομία ſi perturbatior eſt, tibi aßignato: te enim ſequor σχεδιάζοντα.

Ibidem *Quam meam βαθύτητα, &c.)* Vetus noſter liber: QVOD MEAM. Paulóque pòſt ubi antea PROBARI: idem PROBO habet: quæ nos accepimus. cum enim

ſinceram eſſe putauimus lectionem, hac ſententia, & ordine, Vehementer gaudeo, quòd probo tibi meam, & cæteteres tamen codices LIBERALITATEM, *quod fortaſſe non adeo contemnendum erat, ut eijceretur. uidebatur enim ſibi fuiſſe in Bruto liberalis, quòd illius negotium omni cura, & diligentia conficere uoluerit. nec tamen penitus,* LIBERTATEM, *improbo: ut intelligas, quæ uſus eſt erga Brutum, ea: quæ parum honeſta eſſent, ei fortiter negando: quam parum probatum iri ab Attico rebatur, quem omni ratione uelle putabat Bruto commodari.*

Enectam, & προσαναστρεπομένην:) *Hinc duo magna* 152 *menda ſuſtulimus: nec enim copula eſſe debet: & προσαναστρεφομένην legendum eſt: quod ex ueteribus libris, & ratione, ſententiáque uerborum animaduertimus: loquitur enim uerbis medicorum: & uſque ad finem clauſulæ manet in eadem tranſlatione. Tanquam enim ægrotum, qui repletione laboraret prouinciam curaſſe Appium dicit, miſsione ſanguinis, inedia, exinanitionúmque omni genere, omnibúſque detractis quæ poſſet, extenuatam, & quaſi enectam tot purgationibus prouinciam Ciceroni tanquam alteri medico tradidiſſe: cum eam autem ipſe idoneis cibis uellet refocillare, & priſtinas ei uires reddere, ægre tulit Appius. ἀνατρέφειν autem eſt ægrotum ex diutino morbo curationibúſque ualentibus imbecillum, & macillentum reficere. Sic loquitur apud Ariſtophanem in Ranis Euripides μεταφορικῶς de tragœdia, quam à ſe primo purgationibus, detractionibúſque extenuatam dicit: poſteáque recuratam, & refocillatam: quem locum (nam huic ualde ſimilis eſt) non importunum fore arbitror hic ſcribere.* ἴσχνανα μὲν πρώτιστον αὐτὴν καὶ τὸ βάρος ἀφεῖλον ἐπυλλίοις καὶ περιπάτοις καὶ τευτλίοισι μικροῖς χυλὸν διδοὺς στωμυλμάτων

των ἀπὸ βιβλίων· ἐπ' ἠθῶν εἶτ' ἀνέτρεφον μωνοδίαις τοῦ κηφισοφῶντα μιγύς. *Græcam autem hanc dictionem* προσανατρεφομένην *cum ſequentibus uerbis coniungi puto de= bere: non enim tradiderat illam* προσανατρεφουένην, *Nam potius moleſtè tulit cum uidit illam recreari ex tam graui morbo. Primas autem uoces poſt illam Græcam, quemadmo dum Germani, legimus: nec ferè aliter in noſtro antiquiore leguntur: quæ ſi probentur, recipiantúrque, alia omnibus autoribus firma ſunt.*

152 *Quàm ut mandatis tuis ſatis facerem:)* Noſtri libri *ſcri- ptura ex antiquiore noſtro exemplari accepta eſt, quam ual de prouauimus: quia* Brutum *fuiſſe, qui, quæ fieri uellet man darat, non* Atticum, *ut ipſe ſtatim infert, animaduertimus.*

153 *Dum ne negotiarentur:)* Nos, DVM NE NEGO- TIATORI, *ſcripſimus: ita enim ueteres codices habent, & ſic omnino melius.* Non multò item pòſt, *Id uerò per te exceperamus negotiatori.* Vbi *etiam* PRÆFECTVRAS *erat antea, nos* PRÆTEREA *ex iiſdem libris reſtitui= mus: ut duas ſe ei præfecturas dediſſe dicat: præter illas duas quas ei promiſerat rogatus ab* Attico*: quas* M. Sca= ptio L. Gauio *detulerat.*

154 *In* T. Lemnio:*)* Nos IN TVO LENIO *ſcripſi= mus: nam ſic habent ueteres libri.* Et *lib.* V. *legimus,* Quid *dicam* Torquato, *de* M. Lenio *tuo? nam & ex illo loco* M. *prænomen illi fuiſſe, non* T. *cognoſcimus: & cum* LENIO TVO *legatur illic, rectè etiam hic* IN TVO LENIO *ſcriptum eſſe credere poſſumus.* Item *in hoc ipſo uolumine iterum,* Non C. Vennonio *meo familiari: nõ tuo* M. Lenio. *quibus in locis etiam uulgati libri omnes ſine mendo ſunt.*

156 *Tu in burſa:)* Scripſimus Burſa *maiore prima litera, ut declaretur eſſe proprium nomen: fuit autem hic Ciceronis inimi*

inimicus, qui in iudicium uocatus à quodam Ciceronis amico condemnatus eſt. Ipſe hoc docet in epiſtola ad Marium, De Burſa te gaudere certo ſcio, ſed nimis uerecundè mihi gratularis: putas enim ut ſcribis propter hominis ſordes minus me magnam illam lætitiam putare. credas mihi uelim: magis me iudicio hoc quàm morte inimici lætatum, &c. longius enim de hoc in ea epiſtola loquitur.

156 *In moribus eſt:)* Nos IN AMORIBVS *caſtigauimus: quemadmodum locutus eſt in epiſtola ad Volumnium, Id cum ipſius cauſa (eſt mihi ut ſcis in amoribus:) tum mehercule etiam reip. In amoribus enim dictum eſſe credimus, ut in delicijs: & noſtri amores, ut noſtræ deliciæ. lib. II. harum epiſtolarum, Pompeius noſtri amores (quod mihi ſummo dolori eſt) ipſe ſe adflixit. Lib. autem XVI. & amoribus, & delicijs dixit, Piliæ ſalutem dices, & Atticæ delicijs, atque amoribus meis.*

Ibidem *Eum furenter iraſci:)* Nos SE, *ut in melioribus cunctis libris inuenimus, ſcripſimus.* SE *autem pro* IPSVM *ut alijs locis, dictum eſſe à Cicerone hic credimus, ut ſecunda* IIII. *libri epiſtola, Ille noctem ſibi poſtulauit, non concedebant: reminiſcebantur enim Calend. Ianua. uix tamen ſibi de mea uoluntate conceſſum eſt. ſecundum enim* SIBI, *pro* EI *poſitum eſt. Poſſem huius rei plura exempla apud hunc autorem adferre: ſed quia de hoc à doctiſſimo, & optimi iudicij uiro Budæo in commentarijs copioſè & eruditè contra Vallam diſputatum eſt: non neceſſarium eſſe arbitror conſtitutam iam rem plurimis clariſſimorum autorum teſtimonijs, & ſummi uiri patrocinio, & autoritate, nunc nouis argumentis, & exemplis corroborare.*

No

157 *Noſtra armatura* X X X. *æque erit ad ſuſtentandum:) Nos pro his corruptis uerbis ueterem ſcripturam reſtituimus nulla mutatione facta, ut notas etiam illas deſcripſerimus, quæ nunc in uſu non erant: in cunctis autem ueteribus inueniuntur, ubi mille numerum per notam illis ſignare commodum erat.*

157 *Sed rectiorem ex* Q. *Municipi* P. F: *) Nos caſtigauimus,* Q. M V C I I. *Quis enim non uideat nomen proprium illud eſſe debere? rexerat autem hic* A*ſiam admirabili iuſtitiæ & innocentiæ fama: quod* Cicero *etiam teſtatur lib.* V. *his uerbis,* Et *ſimul hanc gloriam iuſtitiæ, & abſtinentiæ fore iuſtiorem ſperò ſi cito deceſſerimus, id quod* Scæuolæ *contigit, qui ſolos nouem menſes* A*ſiæ præfuit: ſed nihil huius laude clarius ex hac prouinciæ iuſta adminiſtratione parta.* Ne *autem paruam rem negligamus, ſemper in antiquis libris hoc nomen per* C. *ſcriptum notauimus, quod etiam in* Græcis *exemplaribus inuenies, ut doleam non ſemper hoc obſeruaſſe noſtros librarios.* V*idendum adhuc eſt de uerbo illo* R E C T I O R E M. N*oſter enim antiquior* T E C T I O R E M *habet: quod fortaſſe melius ſinceriúſque eſt, ut cum exceptionem* Bibuli *culpet, quia nimis graui erat præiudicio in equeſtrem ordinem: quamuis iuſta eſſet: ſe dicat habere exceptionem, quæ par illi ſit ui, & robore, ſed tectiorem, & occultiorem, ut non poßit equeſter ordo de illa queri: cupiebat enim* Cicero *quod in illa boni erat, & honeſti, non omittere: & tamen ſui ordinis offenſionem uerebatur, quare tectius occultiúſque æqua exceptione uſus eſt.*

158 *In illa autem, quæ eſt ad* πόδας ἡρακλέους: *)* A*uxilio noſtri antiquioris libri* A D πολυδεύκους *ſcripſimus: parum enim in illo deſideratur, ut hæc ibi dictio integra ſit. Ad*

Poll

Pollucis autem, ut paulò ſuprà, ad Opis: & infinitis locis: ut intelligatur aut ſacellum aut templum. Nemo autem mire tur cur πολυδεύκους *Græcè ſcripſerit, cum Latine Pollucis dicere poſſet. Nam & alibi quædam nomina Græce ſcribit, cum nihil uetaret ea Latinis literis, & Romano ſermone pronunciare, ut libro* I I. *Quare ſiquid* θεοφάνης *tecum ſorte contulerit. Et lib.* I I I I. *Vt* ἀριστοτέλης *in his, quos* ἐξωτερικοὺς *uocat: & alijs etiam locis, ne longiores ſimus.*

Αἴδεσθεν μὲν, *&c.) Homeri uerſus in* V I I. *Iliadis ex* 160 *poëtæ perſona pronunciatus: cum Hector fortiſsimum quem que ex exercitu Græcorum ad pugnam prouocaſſet: inter illos autem diu ſilentium fuit: etenim ut ait ipſe,* αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι. *Huius autem uerſus ſententiam, ni fallor, Liuius exprimere uoluit lib.* V I I. *ubi de Gallo, qui in pontem Anienis proceſsit, magnáque uoce fortiſsimum uirum Romanorum ad pugnam uocauit, inquit, Diu inter primores iuuenum Romanorum ſilentium fuit, cum & abnuere certamen uererentur, & præcipuam ſortem periculi petere nollent.*

Et heus tu genuarios:) Nos omnium excuſorum ferè 160 *prope finem.* *codicum lectionem, certè cunctorum manu ſcriptorum retinuimus, etſi corruptam, & mendoſam. quid enim aliud faceremus in tam peruerſa ſcriptura? poſſe autem fieri putamus, ut his conſeruatis ueſtigijs quandoque uera lectio indagetur: quod ſi hæc quoque perturbata, & deformata fuerint, omnis ſpes amiſſa erit poſſe ullo tempore ſinceram lectionem inueniri, & ſuo loco reponi: è regione tamen huius loci mendi notam adpoſuimus.*

Vidi illum ibi:) Caſtigauimus apud Pompeium Vindullum: quam lectionem magis probatum iri putauimus: nec 161 *enim ſe illum Vindulli domi uidiſſe dicit Cicero, ſed eum ibi*

ibi diuerſatum eſſe, ibique ſua depoſuiſſe cum ad ſe profectus eſt, tradit. V*indullus autem hic* P*ompeius, quia fortaſſe eius libertus erat, appellabatur: qua de cauſa etiam illius res ad* P*ompeium pertinere exiſtimabatur.*

161 Q*uinque lagunculæ matronarum:*) M*anuſcripti libri* LANGVNCVLÆ *habent: ut fortaſſe cum non integra ſit hæc dictio, legi debeat* I*magunculæ: quod tamen non adfirmo: etſi ut tenuem ſuſpicionem quandam proponere excutiendam accuratius, non dubitarim.*

Ibidem N*um in* E*piro fuerimus:*) S*ic omnes manuſcripti libri habent, mendoſè profectò, niſi ualde fallimur.* N*os,* NVM INEPTI FVERIMVS, *ſcripſimus.* A*iunt autem ſic olim* B*eroaldum hunc locum emendaſſe: libenter autem in hoc eum ſecuti ſumus, quia animaduertimus alibi etiam* C*iceronem ſic loqui: ut hoc ipſo uolumine, cum de triumpho ageret, ad quem amicorum literis uocabatur, ait,* Q*uare tu quoque mi* A*ttice incipe id cupere, quo nos minus inepti uideamur: nonnihil enim ineptiarum, & uanitatis habet hac inani gloria delectari.*

162 I*d conſilium probari.* D*e iſto autem, &c.*) H*ic locus ualde corruptus erat.* N*os ope antiquioris noſtri codicis eum emendauimus: eſt autem* ἀποσιώπησις, *plena indignationis & ſtomachi.* A*udierat* A*tticus ut puto,* Q. C*iceronem de repudianda uxore cogitare, quæ ipſi ſoror erat:* C*inciúſque ſcripſerat ad eum* S*tatium libertum* Q. C*iceronis, dicere id conſilium à* M. C*icerone probari: de quo nunc ſe purgat.* C*irca finem ſequentis epiſtolæ de eadem re iterum loquitur.* I*tem tertio in eodem hoc libro his uerbis,* C*icero* Q. F*ilius piè ſanè, me quidem certè multum hortante, ſed currentem, animum patris ſui ſorori tuæ reconciliauit.*

Vetabat autem Alexius:) Nullum hic aliud erat menndum: niſi quod ex tribus uerbis unũ conflauerant negligenter nimis, & imperitè librarij: intelligit autem A. Gabinij legem, ut ipſe paulò antè dicit. Prænomina uerò non integra ſolitos eſſe ſcribere Romanos, ſed primis tantũ literis denotare, docet accuratè Plutarchus in quæſtionibus Romanis, ubi de Spurio diſſerit his uerbis. ἀλλ' ἔστιν ἀπόρειος τῶν πρώτων ὀνομάτων ὡς ὁ σέξτος καὶ ὁ δέκιμος καὶ ὁ γάϊος. τὰ δὲ πρῶτα τῶν ὀνομάτων οὐχ ὁλογραφοῦσιν ἀλλ' ἢ δι' ἑνὸς γράμματος ὡς τὸν τίτον καὶ τὸν λούκιον καὶ τὸν μάρκον, ἢ διὰ δυοῖν ὡς τὸν βέρριον καὶ τὸν γναῖον, ἢ διὰ τριῶν ὡς τὸν σέξτον καὶ τὸν σέρυιον, &c. 164

Sumptum iam ne poſſe uadit Scaptius:) Nos ex noſtro antiquiore codice noſtrã collegimus lectionem: minus enim illic perturbata, quàm in impreſſis eſt: quam tamen nonnulli poſtea longè peius corruperant, dum corrigere parũ conſiderate aggrediuntur. Quod ſi, SVMPTV, ut in antiquis eſt, non ſumptum accuſandi caſu, excuſi etiam habuiſſent: diligens uir, & qui aliquid induſtriæ & exercitationis habuiſſet in libris corrigendis, parum laboraſſet in hoc loco inluſtrando: nihil enim ferè aliud opus erat, quàm malè diſſectas literas componere. Miratur Cicero cur turmas equitum potius uelit Scaptius, quàm peditum cohortes: cum in illis alendis maiores ſumptus facere oporteat, quaſique iocans dicit (ut putamus) Sumptu iam nepos euadet Scaptius: cum primum auarus ut fœnerator à nobis haberetur, nunc repente prodigus & ſumptuoſus factus eſt. hanc etiam lectionem uidentur perſpexiſſe Germani. 165

Liberius eſt Brutus:) Omnes profecto & excuſi, & manuſcripti conueniunt in hac uoce LIBERIVS. Videndum tamen accuratè an (liberalius) potiùs legendũ ſit, quod 168

s ſane

ſane puto:contra tamen tot exemplariorum autoritatē nihil auſus ſum decernere.

Τῆς δάμαρτός μου:)*Græcis his uerbis loquitur obſcu-*
170 *rè de re ſua familiari,maximéque de emptione illa bonorum*
Milonis:nam ut libro quinto apertè narrat,Philotimus ſo-
cius erat in bonis Milonis:de quo Milo querebatur quod
Cicero ſe uoluiſſe oſtendit illius commodi gratia,ut ibi ac-
curatè ſe purgans docet.libertus autem hic Terentiæ,Cice-
roni ſuſpectus erat corrupiſſe perturbaſſéque rationes em-
ptionis eorum bonorum:mandátque Attico,ut id diligen-
ter obſeruet.Res tota ἐν αἰνιγμοῖς *narratur,ut nihil cer-*
ti tradi poſſit:putamus tamen nos hanc eſſe ſummam: τὰ
ὑπάρχοντα τοῦ κροτωνιάτου τυραννοκτόνου *, bona Milonis*
appellat:alludens ad Milonem illum Crotoniatam pugilem,
cum uellet Annium Milonem ſignificare, quem τυραννο-
κτόνον *appellat,quia Clodium ſeditioſum,& turbulentum*
ciuem occiderat. Vbi autem antè διεφθαρκέναι *legebatur,*
πεφυρακέναι *caſtigauimus ex uetere libro. Nam ubi ulti-*
ma huius uoluminis epiſtola inquit, περιφύλαξον *(ſi me*
amas) τὴν τοῦ φυρατοῦ φιλοτιμίαν *,credimus nos ad hoc*
uerbum Ciceronem alludere,appellaréque φυρατὴν *illum,*
qui perturbarat,permiſcuerátque calculos, quem quia ſci-
mus Philotimū fuiſſe(ſic enim appellabatur Cononis Athe-
nienſis Imperatoris pater,cui hunc dicit ὁμώνυμον *fuiſſe)*
ſuſpicamur per uocem illam φιλοτιμίαν *cum Philotimum*
ſignificare,ut iubeat Atticum diligenter obſeruare Philo-
timum perturbatorem illorum calculorum. Hæc tamen in-
certa ſunt:itaque accipi uolumus,potiúſque ueniam preca-
mur,quòd de his uerbum facere audeamus: cum Cicero ipſe
ſe fateatur ἐν αἰνιγμοῖς *ſcripſiſſe, quàm petamus nobis*
omnino credi oportere,contendamúſque ita eſſe. Ne lon-

giores

giores ſimus. quædam in his Græcis uerſibus emendauimus: quædam à nobis nõ ſatis intellecta, ut in antiquis libris inuenimus, deſcripſimus. magnus profecto labor eſt ex his Græcis characteribus uelle ſinceram lectionem eruere: tam deprauati ſunt. & tam parua quæq; peruerſio moleſta, & odioſa eſt.

Ἐξ ἄστεως ἑπταλόφου:) *Credimus his uerbis eum Romam indicare. ſic & Propertius, Septem urbs alta iugis. Quin etiam hoc ipſo nomine eam Plutarchus à ſeptem collibus appellat in problematibus Romanis, cum inquit.* 171
τὸ δὲ Σεπτομόντιον ἄγουσιν ἐπὶ τῷ τὸν ἕβδομον λόφον τῇ πόλει προσκατανεμηθῆναι καὶ τὴν Ῥώμην ἑπτάλοφον γενέσθαι.

Καί τινας προνομήσας:) *Reſtituimus* κληρονομίας, *ſtatimque ex his antiquis libris numeros pecuniæ ſcripſimus quæ ex eis hæreditatibus uenerat: pro quibus Germani* κλήρων, *ni fallimur, longius à ueterum librorum fide, & rei ueritate, intellexerunt.* Ibidem.

Πυρὸς εἰς δῆμον,) *Credimus hoc prouerbium fuiſſe in eos dictum qui frumentum populo diuiderent: exiſtimabantur enim illi multorum exẽplis adipiſcendæ tyrannidis gratia id facere: ut cum plebem ea liberalitate ſibi conciliaſſent, eius auxilio ciuium libertati imponerent. Cum igitur audiſſet Cicero Atticum uniuerſos Athenienſes frumento donaſſe, ut à Cornelio etiam Nepote traditur, iocatur cum eo, quaſi ille uelit ibi his artibus Tyrannidem occupare: quod tamen (poſtquam de hoc eum leuiter caſtigauit) ipſe egregiè tuetur: negátque contra ſuos ſex libros de republ. id factum eſſe: bene enim conſtituta reſp. largitionem in ciues prohibere debet, non tamen impedire liberalitatem & munificentiam in hoſpites, ubi nullum periculum eſt atten-* 172

tatæ libertatis. Attici autem fuerat potius liberalitas in hoſpites, quàm largitio in ciues. Quod ſi Romæ id commiſiſſet, non culpa uacaſſet.

174. in fine. Expectare iuſsit:) *Nos,* MISI, *ex omnibus manu ſcriptis caſtigauimus: antea autem de hoc egimus: tria uerò quæ ſequebantur uerba, eorundem autoritate expunximus: & ſanè inania, & parum hic apta erant.*

174 *Eſeæ reliquiſſem:*) *Manu ſcripti codices,* ESSE. *Qui Patris emendant, grauiter meo iudicio peccant. Quomodo enim ſe nunc eum Patris reliquiſſe dicere poteſt Cicero, qui adhuc in Aſia erat? ut etiam ex ſequenti epiſtola colligitur. Neceſſe igitur eſt locum eſſe in Aſia, ubi relictus fuit Tiro: cum tamen poſtea ille ex morbo alleuatus Ciceronem aſſecutus eſſet, iterum Patris relictus eſt Achaiæ urbe, ut ex multis locis perſpicuum eſt. Oportet igitur uidere (ſi hæc uox integra eſt) quænam ſit urbs, uel opidum Eſea appellatum.*

174. in fine. *Qui dum unus hoſpes:*) *Lib.* VI. *ubi eandem hanc rem iiſdem penè uerbis narrat,* Vnus *hoſtis inquit, ut ſic etiam hic fortaſſe legendum ſit. manu tamen ſcripti, & excuſi omnes uno cõſenſu (hoſpes) ut ueritus ſim aliter & ipſe ſcribere. Videndum autem an cum paulò pòſt dicit,* Pedem porta non plus extulit, quàm domo ſua, *alludat ad tempus illud cum Bibulus in Conſulatu octo menſes ita ſe domi cõtinuit, ut nunquam foris uiſus ſit.*

175 *Hanc quæ mehercule, &c.) Statim poſt Græca uerba incœpit loqui de hæreditate Præciana: quare nos ita orationem pupugimus. eſt autem orationis ſtructura (duabus κατὰ παρένθεσιν ſententijs interpoſitis) obſcurior moroſiórque. ſic autem legi. & intelligi debere oſtendunt præterea hæc uerba in epiſtola ad Terentiam. De hæreditate Præcia-*

na,

na, quæ quidem mihi magno dolori eſt: ualde enim illum amaui, &c.

Επέχειν *ut ſcribebas:*) Nos ἐπέχειν TER *caſtigauimus, maximè quidem ex antiquo exemplari: non minus tamen, ut conſentiret cum illo loco,* Nā *quas multo antè acceperam literas, in quibus* ἐπέχειν *ter ſcripſeras.* Eſt *ſanè ambobus locis nonnihil obſcuritatis: doctiores hæc accuratius conſiderabunt.* ἐπέχειν *erat philoſophis illis, qui ab hoc uerbo* ἐφεκτικοὶ *appellati ſunt, ſuſtinere aſſenſionem.* Primus *autem* Pyrrhon *eius ſectæ cōditor nomina hæc* ἀκαταληψίας *&* ἐποχῆς *excogitarat, ut etiam multis uerbis docet* Hammonius Hermæus *in proœmio commentariorum in prædicamenta* Ariſtotelis. Ibidem in fine, & prin. ſeq.

Τοῦτο μόνον ἐρώννυέ μοι:) Auxilio *antiquioris noſtri exemplaris, ut ſcriptum eſſe in noſtro codice uides, emendauimus: eſt autem prouerbium, quod ualde quadrat huic loco,* Meum *mihi ſomnium narras: id eſt rem, quam ego melius te noui, mihi explicas: gaudet ſe conſentire cum* Attico *de* Q. Cicerone *puero, admonerique ſe, ne illum in prouincia relinquat, quod ipſe antè fecerat: quod ſi antè de hoc ſimul conſilium cepiſſent non aliter factum eſſet.* Prouerbium *ab* Eraſmo *exponitur,* Suidæq́; *, &* Platonis *teſtimonio frequens apud Græcos autores fuiſſe declaratur.* 176

De *Cenſoribus, maximéque de ſignis. & tabulis:*) Diligentius *in hiſtoria quærēdum eſt quæ eſſet Cenſorum actio ad ſigna, tabuláſque pertinens: magni enim momenti rem fuiſſe planum eſt.* Cœlius *etiam in epiſtolis de hoc ipſo negotio, & eodem hoc tempore loquens inquit,* Scis Appium *Cenſorem hic oſtenta facere de ſignis, & tabulis, &c.* Et *in eadem epiſtola,* Appium *de tabulis, & ſignis agere. fuere autem cenſores* Appius Claudius, & L. Piſo, *ut* Dion *etiam* 176

lib. XXXX. narrat, καίτοι τιμηταὶ τὸν χρόνον τοῦτον ὅτε κλαύδιος ὁ ἄππιος καὶ ὀπίσων καίτοι μὴ βουληθεὶς ἐγένοντο καὶ οὗτος μὲν διὰ τὴν συγγένειαν ὑπῆρχε τῷ καίσαρι, ὁ δὲ δὴ κλαύδιος ἠναντιοῦτο μὲν αὐτῷ, τὰ γὰρ τοῦ πομπηΐου ᾑρεῖτο οὐκ ἐλάχιστα δὲ καὶ ἄκων ἀπέλησε πλείστους γὰρ καὶ τῶν ἱππέων καὶ τῶν βουλευτῶν διέγραψεν ἐκβιασάμενος τὸν συνάρχοντα κἀκ τούτου πάντας αὐτοὺς τὰ τοῦ καίσαρος φρονεῖν ἐποίησεν, ὁ γὰρ πίσων οὔτ' ἄλλως πρᾶγμα ἔχειν ἐθέλων καὶ πρὸς τὴν τοῦ γαμβροῦ χάριν πολλοὺς θεραπεύων αὐτὸς μὲν οὐδὲν τοιοῦτον ἐποίησεν ἐκείνῳ δὲ οὐκ ἀντέπραξεν.

Ibidem *Macte ſcribas Athenis:) Locus erat ualde deprauatus. Nos ope meliorum codicum* IN ARCE ATHENIS STATIO MEA NVNC PLACET *emendauimus. Cũ enim uideret remp. in maximis periculis, omniaq; in Italia crudeli bello euerſum iri: quid futurum ſit timet: tutiúſque ſibi eſſe putat, dum hæc aliquem exitum inueniant, in arce Athenis extra omne periculum manere. Iocatur autem ut conſueuit. cætera ſpero ita nota eſſe, ut nihil amplius de illis loqui oporteat. Noſtri librarij uellẽ non punctum ante uerbum illud Athenis, tam importunè collocauiſſent: quare deleas neceſſe eſt: id enim omnem ſententiam perturbat.*

EX LIBRO VII. EPIST. AD ATTICVM.

278 Ἐπίτηκτα *fuerunt:) Sic in cunctis manuſcriptis codicibus inuenimus. qui* ἐπίκτητα *legunt, cõtra fidem omnium librorum faciunt: & deteriorem ſententiam (uera, & eleganti, aut neglecta, aut nõ ſatis intellecta) inducũt:* ἐπίτηκτα *appellauit, cum cito fluxerint, & euanuerint ea in quibus ille,*

ille, ut perpetuam gloriam ſibi adferrent, laborauerat: ci-
tóque ſe cognouiſſe ait quàm deceptus ſit qui ea diutius ſta-
re poſſe putauit.

Aliter iratus Hircius:) Nos & hic & paulò infrà duo- 179
bus locis, HIRRVS, emendauimus: ſic enim habent me-
liores codices: & intelligit C. Hirrum, qui Ciceronis an-
tè competitor fuerat, grauéſque cum eo inimicitias geſſe-
rat: de hoc Cœlius in epiſtola, cuius initium eſt, SIC TV
IN QVIS HIRRVM TRACTASTI, multũ lo-
quitur: unde illum ſibi iratum appellat: & infrà agit dili-
genter cum Attico, ut eum ſibi placet: docétque quos adhi-
bere debeat, quum gratiæ reconciliationem eam facere uult.

Ita puto ἄμεμπτος fore:) Olim nulli excuſi hic Græ- 130. in
cam uocem habebant: poſtea ἄμεμπτος reſtitutum eſt: no- princ.
ſtro etiam iudicio recte, & antiquis characteribus ualde
congruenter. quare miror Germanos ea uoce deleta ἀμενηνὰ
repoſuiſſe, id eſt debilia & imbecillia, & omnino ſine ro-
bore: nam id parum ſententiæ huius loci quadrat. ἄμεμπτος
autem hic intelligo, quæ culpari & reprehendi non poßint:
cum enim triumphi apparatum ex priuata ſua pecunia con-
ficere cogitet, uere exiſtimat omnes uoces, accuſationéſque
maleuolorum ſe hac ratione eſſe euitaturum.

Auſter mitis:) Nos ita ſcripſimus: qui enim non multis 180. in
ab hinc annis excuſi ſunt, ſic ferè habẽt: cum primæ impreſ- princ.
ſionis omnes ANCHES pro AVSTER haberent: quæ
uox in cunctis etiam manu ſcriptis reperitur: quod teſtari
uoluimus, etſi illam, ut nobis ignotam, & deprauatam re-
liquimus: nam recepta lectio non incommoda eſſet, ſi ma-
neret copula illa inter AVSTER, & MITIS, quam de-
leuimus, quia in antiquis libris à nobis nõ uiſa eſt, & quia
omnem ſententiam perturbat huius loci: nã corrumpit uer-

ſum ſpondaicum, qui à præterito illo FLAVIT, *incipit: & uerbo illo* MITIS *terminatur: de quo poſtea iocans infert,* Hunc σπονδειάζοντα *ſicui uoles, &c. id eſt meipſum, qui ſpondeum carmen inter ſcribendum effundo: credimus enim forte illum uerſum ipſum ſcripſiſſe, quæ poſtea ioci occaſio fuit: ſtatim enim cognouit* Cicero *ſe ſpondaicum in orationis tractu pronunciaſſe: accidit autem quandoque ut nolentes uerſus edant, maximéque ſenarios, ut qui proſæ orationi ſint ſimiliores. qui autem hanc rem non animaduerterant,* σπονδιάζοντα *ſcripſerant, nullo ſatis idoneo ſenſu, & contra antiquorum codicum fidem.* Nos *ut ad ſuperiora redeamus, uerba illa* AVSTER MITIS, *mendo uacare non putamus: nec tamen omni diligentia adhibita, conſultis eruditis, & ingenioſis hominibus, quid* ANCHES MITIS *ſignificet, quomodóue corrigi poßit, unquam intelligere potuimus: quare quibus licuit mendis hinc ſublatis, reliquum, quod eſt doctioribus uiris emendandum tradimus.*

281 *Fecit palam te ex libella, me ex teruncia:)* *Locus ualde inquinatus.* Nos *nihil à uulgatis mutauimus: hic autem antiquam ſcripturam, etſi (ut arbitror) fœde & ipſam deturpatam, conſtituemus. eſt autem hæc:* TE EX LIBER: TV ME EX TARVACVS. *ipſi ex tam deformata lectione deſperauimus aliquid ſincerum elicere & exculpere poſſe.*

Ibidem Corcyræ Alexion, &c. Nos *In* ACTIO, *repoſuimus ante* CORCYRAE *ex uetere illo libro qui hic minus lacer deprauatúſque erat. Sanè Actium regio eſt Acarnaniæ, & promontorium, quod ſinum facit, eodem nomine & ipſum appellatum. erat autem, ut putamus, in inſula* Corcyra, *quæ contra hæc loca iacet, ager aliquis ſic etiam,*

uocatus

uocatus: habebat enim illis in inſulis Atticus *fundos, ut ex lib.* v. *colligitur, ubi inquit,* Cum *quidem & Corcyræ, & Sybotis muneribus tuis, quæ &* Areus, *& meus amicus* Eu*tychides opipare, &* φιλοπροσηνέστατα *nobis conceſſerant, epulati eſſemus* Saliarem *in modum.*

Et probari tibi φυσικὴν *eſſe* τὴν πρὸς τὰ τέκνα:) 182
Ita ſcripſimus cum antiquis libris: hancq́; putamus eſſe ſinceram lectionem, articulúmque illum accuſandi caſu, quem nos eorum autoritatem ſecuti reſtituimus, credimus indicare uerbum στοργὴν, *quod potius ex eo intelligi debeat, quàm ſuprà eſſe & legi. ſententiæ huius autores fuerunt* Xe*nocrates, &* Ariſtoteles: *ut* Cicero *etiam docet lib.* IIII. *de finibus, cum inquit.* Primúque *ex omnibus philoſophis à natura tributum eſſe docuerunt, ut hi qui procreati eſſent, à procreatoribus amarentur.*

Sed tamen prudentius:) Nos PVDENTIVS *caſtigauimus, id eſt minus flagitioſe, & turpiter. per Lucium autem credimus intelligere* L. Torquatum: *quem* Epicuri *rationem tuentem inducit in libris de finibus.* De Patrone *autem epicureo multis locis mentio facta eſt.* Ibidem

Quicquam alterius cauſa fieri putent?) Ita lego cum *interrogatione, ex antiquo noſtro libro: quaſi, non eſt hoc ab illis expectandum.* Atticus, *qui* Epicuri *diſciplinæ ualde deditus erat (quod & multis locis declaratur, &* Epi*cureorum etiam hominum conſuetudines quibus delectatus eſt ſignificant) cæperat orta ſibi filia, magis* Peripateti*corum opinionem probare, quam &* Stoici *ſecuti ſunt,* Amorem *ergà liberos eſſe naturalem. cognouit enim ſe natura tantum cogente, non quòd ullum inde commodum expectaret, filiam ſuam diligere. hoc laudat* Cicero: *gaudetque illum re doctum, ſententiam mutaſſe, percurritque bre-* Ibidem

uiter, quàm falsò, impudentérque reliqui ab hac opinionẽ diſſentiant.

182 *Sed nihil neceſſe. Seſtiam enim:)* Abundat ſyllaba SE, *negligentia, & imperitia librariorum, ut olim ſic legeretur (ut puto)* NECESSE EST, *ſic enim ſemper id uerbum ſcriptum inueni in priſcis exemplaribus, ut alibi etiam adnotaui. quæ peruerſio magni erroris cauſa extitit: ſequens enim uox cum hac importune coniuncta eſt adeóque creſcẽnte labe & malo locus contaminatus eſt, ut nonnihil induſtriæ neceſſarium fuerit ad eum purgandum. non putat neceſſe eſſe ad omnes epiſtolas reſcribere, cum eum cito uiſurus ſit.*

183 in princ. *Etſi cupidiſsime expreſſum, & expetitum:)* Locus antea ualde deformatus erat: *ſincera tamen adhuc lectio in antiquiore noſtro conſeruatur.* Expetitum autem: *deſideratum, & omnibus uotis, precibúſque poſtulatum: frequens hoc uerbum hoc ſignificatu apud* Terentium: *quin & à* Cicerone *crebro eſt uſurpatum, ut non multò poſt,* Quid multa? *non modo non expetere pacem iſtam, ſed etiam timere uiſus eſt.*

185 *Sed quid eſt quod cuncti Luccis ſint addicti?)* Nos QVOD EI VICI LVCCEI, *ex uetere noſtro codice caſtigauimus. non quòd omnino ita in eo legatur: talis tamen eſt in eo ſcriptura, ut ſi eam paulum adiuues, ſatis clare inde hanc lectionem elicias: quia tamen aliquantum coniectura in hoc uſi ſumus, placuit id notum facere: de negotio autem hoc, nihil amplius legimus.*

186 *Nomen rebatur oppidi eſſe Piræa:)* Lego *cum antiquiore noſtro codice:* NON REBATVR OPPIDVM ESSE. Quod *ſi, ut* Dionyſius, & Nicias *grammatici putant, non eſt oppidum* Piræus: *nihil peccauit*

Cicer

Cicero, qui IN *præpoſitionem addiderit, etſi aliter etiam ſe tueri poßit: Vulgata antè lectio falſa, & contraria erat: ſi enim nomen oppidi fuiſſe Piræum grammatici illi cenſuiſſent, ægrius ſtructuram ſuam tueri Cicero potirat: non enim oppidis præpoſitiones addi debent. reſtabat igitur, ut ſe autoritate ueterum comicorum defenderet, qui ſic locuti ſunt.*

Mihi exeunti urbe:) Poſtremam dictionem deleui: non 187 *enim in manuſcriptis libris eſt, & ſententiam huius loci corrumpit. quod ſi declarandum erat unde exiret, ſenatu potius dicendum erat: quod patebit illi, qui diligenter ſuperiora uerba conſiderarit: dixit enim, Puto ſiquando præclarè in ſenatu pro repub. dixero, Tarteßium iſtum tuum mihi exeunti dicturum, &c. ut qui offenſus ſit, quòd libere ibi ſententiam dixerim, ſtatim cum me exeuntem uidebit, ut curem ſibi pecuniam, quam Cæſari debeo poſtulabit: erat autem Cicero Cæſaris debitor, ut non multò pòſt his uerbis apertè narrat, mihi autem illud moleſtißimum eſt, quòd ſoluendi ſunt numi Cæſari, & inſtrumentum triumphi eò conferendum. eſt enim ἄμορφον ἀντιπολιτευόμενον χρεωφιλέτην εἶ). Per Tarteßium autem arbitror eum Cornelium Balbum intelligere, qui Gaditanus erat, & negotia Cæſaris curabat.*

Etſi mirabilis utilitatis fructum mihi præbet.) Egò lego 188 *unà cum manuſcriptis codicibus,* MIRABILIS VTILITATES: *quæ profectò ſincera eſt lectio. ſæpe utitur Cicero hac uoce multitudinis numero, ut pro Milone, Magnam ſpem in Milonis morte propoſitam: magnas utilitates fuiſſe. In libris de finibus etiam plurimis locis: ſed non opus eſt tam planam, & tam elegantem uocem, tam multis teſtimonijs, non indignam eſſe Cicerone probare.*

De

Ibidem. *De Luſgenio :) Ego hic nihil mutaui, etſi aliquid omnino mendi, & peruerſionis ineſſe putem : quia nihil quod tuto reponi poſſet, inueni : antiqui certè libri nihil hic à nouis, uulgaribúſque diſcrepant. audiui quoſdam non ineruditos uiros* DE EIVS INGENIO *legere, non mehercule inſulsè : ut de* Tirone *ſermo adhuc ſit,* Philogenes *autem libertus erat* Attici, *de quo fit ſæpe mentio. uiſendum tamen accuratius ne tamen locum hunc ſuſpectum, uel maculoſum potius ſilentio præterirem, cum nihil ipſe melius habuerim, aliorum ingenio excogitatam lectionem, notam facere uolui.*

189 Οὐ γὰρ δὴ ἂν τόδε μεῖζον ἔπει κακὸν :) *Sententia Homerica eiſdem ferè uerbis pronuntiata ab Vlyſſe, dum exhortaretur ſocios ad ſuſtinenda fortiter pericula, quæ ſubire debebāt in tranſeundo freto Scyllæ, & Charibdis,* ὦ φίλοι οὐ γάρ πώ τι κακῶν ἀδαήμονές εἰμεν· οὐ μέν τοι τόδε μεῖζον ἔπει κακὸν ἢ ὅτε κύκλωψ εἴλει ἐνὶ σπῆϊ γλαφυρῷ καρτερῆφι βίηφι.

190 Τυα λῆψις :) *Lego cum antiquiore noſtro libro* Τυα λῆψις, *ut de quartana agat qua* Atticus *laborabat, ut antea ex multis locis didicimus.* λῆψις *autem febris accessio eſt ut nos etiam uulgò loquimur: qui febrim nos cepiſſe, cum illa acceſſerit, dicimus.* Ariſtoteles *in problematis, ſegmento primo,* τεταρταίοις πυρετοῖς δεῖ νῦν λεπτύνειν ἀλλὰ πῦρ ἐν τοῖς σώμασιν ἐμποιεῖν εἰσάγοντα, δεῖ δὲ καὶ τοῖς γυμνασίοις χρῆσθαι, ἣ δὲ ἡμέρα ἡ λῆψις λυσάμενον ὕπνον μὴ ζητεῖν. *Præterea idem,* ὅπως θερμόθερος ᾖ πρὸ τῆς τὴν λῆψιν ᾖ. *Tribus autem locis hoc nomen in his epiſtolis eſt, ſempérque in uetuſtiore noſtro libro integrum, & ſincerum : in uulgatis autem deprauatum, & uarijs modis inquinatum. libro enim* VIII. *bis inuenitur, etſi ſemel* διάληψιν, *quod tamen idem eſt : ut ibi, Tamen ad eadem ipſam*

breuem

breuem quam III. Nonas ὑπὸ τὴν διάληψιν dediſti, reſcribendum putaui. Et poſtea λῆψιν, eo inquam loco, Deinde IIII. Non. Mart. ὑπὸ τὴν λῆψιν cum breuiter ſcriberes &c. Cum igitur diem neſciret Cicero, quo febris redibat, timet ne illi moleſtus ſit, ſi forte eo ipſo die ad urbem ueniret, in quem febricula incidebat. uix enim putat illum ſibi temperaturum ne ad ſe ſtatim ueniat. quare petit ab eo ne ſe incommodo ualetudinis ſuæ commoueat: ut omnino de morbo, & ægritudine aliqua ſermo ſit. Sequenti autem epiſtola quod antea neſciebat, dicit ſe ex eius epiſtola notaſſe, & intellexiſſe, diem ſcilicet illius, id eſt eum in quem λῆψις incurrerat. Non me latet Eraſmum aliter hunc locum declaraſſe: quàm rectè, alij potius iudicabunt.

Etſi mihi crebro ὕπνος νήδυμος:) *Duo hæc Græca uerba nullam hic ſententiam habebant, ut ualde mirer illos qui ea poſuerunt, nam prorſus huc nihil pertinebant. nos ex noſtro antiquiore codice ξυνὸς ἐνυάλιος reſtituimus: quæ uera, & huic loco germana lectio eſt. cum enim ſuprà ſermonem Pompeij recitaſſet, qui pericula ſimulatæ pacis expoſuerat, bonúmque ſe animum habere oſtenderat, ſi ad arma uentum eſſet, fore ut Cæſar uinceretur: ualdè enim confidebat ſuis, & reipub. copijs: quamuis igitur inquit ſcirem Martem communem eſſe, idque mihi crebro prouerbium occurreret, uarióſque caſus belli mente agitarem: qui imperatoribus ſæpe uictoriam adferunt: tamen cura metuque leuabar audiens uirum fortem & peritum, magnæque autoritatis ducem differentem de ſimulatæ pacis periculis, & tantopere aduerſarij copias contemnentem. Ariſtoteles lib. II. Rhetoricorum, χρῆσθαι δεῖ καὶ ταῖς τεθρυλλημέναις γνώμαις κοιναῖς, διὰ γὰρ τὸ εἶναι κοινὰς ὡς ὁμολογούντων ἁπάντων ὀρθῶς ἔχειν δοκοῦσιν οἷον παρακαλοῦντι εἰς τὸ* 192

εἰς τὸ κινδυνεύειν μὴ θυβμένοις, εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης καὶ ἐπὶ τὸ ἥττους ὅπλοις ξυνὸς ἐνυάλιος. idémque prouerbium copijs, & reliquo belli apparatu inferiores, bene ſperare iubet: eiſque animum addit: contráque eis qui numero militum, & uirtute ducum ſuperiores ſunt timorem incutit, cum affirmet belli deum communem eſſe, ſæpéque cum imparatioribus ſe coniungere. Cicero in Oratione pro P. Seſtio Latinis uerbis enuntiat, Hic ego quid prædicem, quibus hic rebus Conſulem ad rem gerendam excitarit, quot ſtimulos admouerit, homini fortaſſe ſtudioſo uictoriæ, ſed tamen nimium, communem Martem, bellique caſum intuenti? reſpexiſſe enim puto Ciceronem ad duo prouerbia, quorum unum hoc eſt: alterum autem antè in his epiſtolis uerbis pariter Græcis protulit, cum inquit, Direpto, & uaſto Amano, inde diſceßimus: ſcis enim dici quædam πανικά. Dici item τὰ κενὰ τοῦ πολέμου. Ad eandem hanc ſententiam alluſit lib. VII. in Verrem, cum eum nauali crimine premeret: inquit enim: In illa autem calamitate non Martem fuiſſe communem, ſed Venerem poſſumus dicere. Eſt autem Homeri Hemiſtichium pronuntiatum ab Hectore λ. σ. Sic etiam Germani in ſui libri margine adnotarunt.

192 in fine & in prin. ſeq. *Ex illa autem ſententia ira relinquendæ urbis &c.)* Nî fallimur, hic locus corruptus eſt: nullus enim certus & elegans ſenſus ex his uerbis elici poteſt: nos tamen nihil mutauimus. antiquior noſter codex uno tantum uerbo diuerſus eſt: pro IRA enim habet IN. Quod pariter deprauatũ eſt.

194 *Præterijt tempus legitimum:)* Nos ope noſtri uetuſtioris codicis (quod etiam à Germanis adnotatum eſt) integram hic lectionem reſtituimus, cum antè in uulgatis libris deminute, peruerſéque hic locus legeretur. tam aperta autem uerb

uerba ſunt, ut nulla declaratione indigeant.

Niſi ego inſanio, ſtulte omnia, & incaute agi uideo:) Nos poſtremas duas dictiones deleuimus: in nullis enim manu ſcriptis libris inueniuntur: declarationem quandam eſſe putandum eſt ab imperito quopiam librario importune additam. concitatus enim ſermo, qualis hic eſt, ſæpe figuram ἔλλειψιν patitur: quid autem deſyderetur planum eſt. 195

Τὴν θεῶν μεγίστην:) Senarius Euripidis in Phœniſſis pronuntiatus ab Eteocle, quum ſe regnum fratri negaret redditurum. ſic enim inquit, ἄστρων ἀνέλθοιμ' ἡλίου πρὸς ἀνατολὰς καὶ γῆς ἔνερθε δυνατὸς ὢν δρᾶσαι τάδε, τὴν θεῶν μεγίστην ὥστ' ἔχειν τυραννίδα. 165

Libenter enim in his moleſtijs ἐνσχολάζω:) Nos ſcripſimus cum antiquiore noſtro exemplari ἐγχολάζω σοι: id eſt expplico tibi ſcholam: ut antea in his epiſtolis dixit ἐμπολιτεύομαι σοι. ſcholam autem Græci appellabant de aliqua certare, & materia continuam & abſolutam diſputationem. eſt autem hoc uerbum frequens apud Ciceronem: ut in II. de Finibus, Primum inquam deprecor, ne me tanquam philoſophum putetis ſcholam uobis aliquam explicaturum. In epiſtola ad Pætum, ὁ σοφὸς ἐνθυμημονέσι; habes ſcholam Stoicam. In III. libro Tuſculanarum, Separatim autem certæ ſcholæ ſunt de exilio, de interitu patriæ, de ſeruitute, de debilitate, de cæcitate, & de omni caſu in quo nomen poni ſolet calamitatis. hæc Græci in ſingulas ſcholas, & in ſingulos libros diſpertiunt. Plut. etiam in commentario περὶ τοῦ ἀκούειν, τὴν γενομένην μοι σχολὴν περὶ τοῦ ἀκούειν ὦ νίκανδρε ἀπέσταλκά σοι γράψας. uerſus etiam Alexidis hos legimus ex comœdia Olympiodoro in uita Platonis: in quibus hoc ſignificatu 195

ſchol

ſcholam ponit: inridet autem Platonem, σῶμα μὲν ἐμοῦ τὶ θνητὸν ἄνθρωπος ἐγένετο, τὸ δ᾽ ἀθάνατον ἐξῆρε πρὸς τὸν ἀέρα ταῦτ᾽ οὐ σχολὴ πλάτωνος.

296 Οὕτω καὶ τῶν πρόσθεν:) Hic uerſus in multis non erat: in alijs corrupte legebatur: eſt carmen Homeri, λ. ι. pronunciatum à Phœnice uno ex Agamemnonis ad Achillem oratoribus miſsis ab eo, ut eum ſibi reconciliarent. conatur autem illi perſuadere ueterum exemplo ut iniuriam ſibi inlatam obliuiſcatur: illos enim docet acceptis muneribus nunquam ſolitos eſſe non placari: ſicque laudes inquit priſcorum uirorum audiebamus celebrari. Eſt autem pene prouerbialis hic uerſus, cum uolumus oſtendere à maioribus nos multum degeneraſſe. Hunc etiam Syneſius in quadam epiſtola adducit.

Ibidem Exitium habiturum:) EXITVM antiquis libris conſentientibus legimus. nunc pro Pompeij parte diſputat, iudicatque ex dolore, ſermonibúſque municipalium hominum, qui Pompeij fugam æquo animo ferre non poterant, uehementérque Cæſari irati erant, Pompeij conſilium, rationémque belli gerendi poſſe explicari, & non incommode concludi. Sic etiam lib. IX. loquitur, Quid illa? dic M. Tulli quem exitum habebunt? &c.

196 Quæ ſit ora uiæ Cæſaris.) Auxilio noſtri antiquioris codicis caſtigaui: QVÆ SIT ὁρμὴ. etſi in illo Latinis literis, Græca dictio ſcripta erat: quod erroris fortaſſe occaſionem dedit. quàm inepta autem foret uulgata lectio, omnes qui attente animaduerterint, cognituros puto: ὁρμὴ autem de animi motibus dicitur. Cicero in Lucullo, Nam aliter appetitio (eam enim eſſe uolumus ὁρμὴν, qua ad agendum impellimur, & id appetimus quod eſt uiſum) moueri non poteſt. Polybius etiam apud Suidam ἐνέπεσε

δὶ

δέ τις ὁρμὴ τῷ σκηπίωνι καὶ διαπόρησις εἰ δεῖ συμβα-
λεῖν καὶ μονομαχεῖσαι πρὸς σὸν βάρβαρον. *Dicitur etiam impreßio, & uehemens impetus exercitus in hoſtes inrum=pentis.* Idem *hiſtoriæ prudẽtißimus ſcriptor:* τῆς δ' ἠλείων ὐδὲ ξαμένον τὴν ὁρμὴν ἀλλ' ἐξ ἐπιφανίας τραπέντων ἀπέκτεινον μὲν αὐτῆς εἰς τετρακοσίους Dion de Pompeio *loquens, eodem quo hic Cicero ſignificatu, cum eandem fe=rè rem ageret, capit: inquit enim,* καὶ πρέσβεις πρὸς τὸν καίσαρα λούκιον τε καίσαρα συγγενῆ αὐτῷ ὄντα. καὶ λού-κιον ῥώσκιον στρατηγοῦντα αὐτεπαγγέλτους ἀπέστειλεν ὅπως τὴν ὁρμὴν αὐτοῦ ἐκφυγὼν ἔπειτα ἐπὶ μετρίοις τι-σι συλβαίη. *quare cenſeo noſtram lectionem ſinceram, & germanam eſſe.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ecquod Pompeij *deſiderium, ecquæ Cæſaris iniuria ap=* 197. in
paret:) Emendaui *& hic auxilio mei probatioris codicis* fine.
ECQVAE CAESARIS INVIDIA. *Quærit enim an iam quæ geßit, Cæſari inuidiã faciant: & quis eſſet de omnibus rebus ſenſus populi. nõ enim quærendum erat an aliqua* Cæſaris *iniuria appareret: plurimæ enim graues, & nefariæ erant: ab omnibúſque manifeſto perſpiciebantur.* D. *autem* Brutus *in ſua ad* Brutum *&* Caßium *epiſtola, di-cit ſe poſtulaſſe à contrariarum partium ducibus, ut liceret Cæſaris interfectoribus* Romæ *eſſe publico præſidio, ut inuidiam illis faceret: ſperabat* Cicero *magnum* Romæ *eſſe deſiderium* Pompeij, *magnámque Cæſari inuidiam facere il=lius miſerabilem fugam, & inſectationem Cæſaris.*

Labienum ἥρωα *iudico:)* Sic *emendaui ex eodem codi=* 198
ce, excuſi formis aut Græcam uocem non habebant, aut ?ρῶα *legebant mendoſe.* ἥρωα *enim hic Cicero Labienum, quo fortißimos uiros nomine decorare conſueuit, appellat: ut lib.* XIIII. *Noſtri autem* ἥρωες *quod per ipſos con=*

t fici

ſici potuit glorioſiſſime, & magnificentiſſime geſſerunt. Et eodem lib. de Dolabella loquens, eiúſque præclaro illo facinore, quod ſemper ſummis laudibus in cœlum fert inquit, Magnam ἀναθεώρησιν res habet: de ſaxo in crucem, columnam tollere, locum illum ſternẽdum locare: quid quæris? ἡρωικά. Qui autem τρῶα legunt, putantes Ciceronem ſic appellare Pompeianarum partiũ ſectatores, in magno errore uerſantur. quamuis enim antecedente epiſtola dicat αἰδέομαι τρῶας, non magis intelligit Pompeianos quàm cunctos bonos uiros, & ciues: dicit enim ſe pudore deterreri, ne ſe det, & coniungat cum illis qui tenẽt omnia. Nam 11. etiam libro harum epiſtolarum eodem uerſu utitur: nulli tamen tunc erant Pompeiani: ſed eam uim habent ea Homeri uerba, ut ſi dixiſſet, Facerem, niſi ignominiam, uituperiúmque uererer. ut ſe metu infamiæ ab eo conſilio deterreri oſtendat: ſæpe enim uitæ, ſecuritatíque noſtræ conſulentes ea caperemus conſilia, quæ omni periculo uacua eſſent, niſi ea ignominiam ſecum ferrent: quam boni uiri ualde fugiunt: eſt enim non contemnenda pars fortitudinis, rectè, honeſtéque facere, ut infamiam, uituperiúmq; fugiamus.

198 *Quàm autem ſine conſilio res ſtet:) Omnes & manuſcripti, & impreſſi codices conſentiunt: quare nihil mutauimus: noſtram tamen ſuſpicionem proferre quid nocebit? non parum timeo ne in extremis dictionibus mendum inſit. cum enim de Pompeio diſſerat, ſupráque dixerit quàm ille omnis imperatoriæ diſciplinæ expers ſit ſe credere Atticum quoque animaduertere, cauſámque addiderit cur ita ſentiat: quippe cui ne Picena quidem nota ſint. de Pompeio item loquens infert. Quàm autem ſine conſilio. ut poſt hæc uerba, punctum meo iudicio ponendum ſit: ut deinde ex-*

pond.

ponat quid ſit quod declaret, & aperiat illum ſine conſilio eſſe ut antè fecerat, cum eum ἀστρατήγητον eſſe pronunciauerat: tunc enim adeo id certum eſſe, ut Atticus *quoque animaduertere poſſet dixerat. nec enim (niſi fallimur) de re ipſa: id eſt, de toto negotio Ciceroni nunc ſermo eſt: ſed de natura* Pompeij, *eiúſque culpa, & peccatis: quod etiam ex inferioribus uerbis egregiè declaratur: tota enim hæc epiſtola iudicium facit de rebus geſtis* Pompeij, *multáque eius nõ ſapientiæ conſilia liberè accuſat.*

Μάντις δ' ἄριστος:) *Huiuſcemodi uerſus & dicta quæ prouerbij uim haberent, adeo nota tunc erant, & uulgata: ut tantum qui ſententiam illorum adferre uellet, prima uerba pronunciaret: reliqua enim intelligebantur. Noſtris temporibus, cum multi poëtæ uetuſtate perierint, quorum ſcripta in theatris frequenter recitabantur, id multo difficilius eſt, ut nonnulla inueniantur deminute pronunciata prouerbia, quorum ſenſus uix, aut ne uix quidem intelligi poteſt: nos tamen integrum hunc uerſiculum reperimus in extrema margine ſecundi libri* τῶν ἐμφυλίων *Appiani, cum de morte Cæſaris ageret: ſic enim inquit,* τὸ δ' αὐτὸ καὶ ἀλεξάνδρῳ συνέπεσεν ἐπανιόντα γὰρ ἐξ ἰνδῶν ἐς βαβυλῶνα μετὰ τοῦ στρατοῦ καὶ πλησιάζοντα ἤδη παρεκάλουν οἱ χαλδαῖοι τὴν εἴσοδον ἐπισχεῖν ἐν τῷ παρόντι τοῦ δὲ τὸ ἰαμβεῖον εἰπόντος ὅτι μάντις ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς: δεύτερα γοῦν οἱ. χαλδαῖοι &c. *Item apud* Plutarchum *in commentario* περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, *qui* Euripidis *uerſum eſſe dicit, hæc eius uerba:* οὐ γὰρ ὡς εὐριπίδης φασὶ μάντις ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς: *& cetera. Necnon in eo cui titulus eſt* περὶ τοῦ μὴ χρᾶν ἔμμετρα νῦν τὴν πυθίαν: *etſi ibi nonnihil in excuſis deſideratur. Cicero hunc ſenarium Latinũ fe-* 199

cit lib. II. *de diuinatione, Eſt quidem Græcus uerſus in hanc ſententiam,* Bene qui conijciet, *uatem hunc perhibeto optimum, ut tot exemplis certum nunc factum ſit, quam hoc loco hæc Græca uerba uim habeant.*

199 Oppios enim de Velia ſanctones: *) Cum uulgata uerba nullam certam ſignificationem habeant, eſſétque omnino locus obſcuriſſimus, & qui uix his temporibus intelligi poſſit, nos cum fide ueterem ſcripturã reddidimus, quæ (ueri ſimile eſt) aut ſincera ſit & incorrupta, aut ſinceræ propinquior.*

200 *Scutorum in ludo M. fuerunt:)* Nos SECVTORVM *ſcripſimus, quod alios etiam animaduertiſſe ſcimus: hanc enim putauimus non paruis argumentis eſſe huius loci rectam lectionem. Cæſar ipſe in commentarijs de bello ciuili,* Gladiatoréſque, *quos ibi Cæſar in ludo habebat ad forum productos* Lentulus *libertati confirmat, atque ijs equos attribui, & ſe ſequi iuſſit: quos poſtea monitus à ſuis quòd ea res omnium iudicio reprehendebatur, circum familiares conuentus* Campaniæ: *cuſtodiæ cauſa diſtribuit. Scripſit etiam Cæſar ad Ciceronem de hoc negotio, ut ex ſecunda* VIII. *libri epiſtola colligimus.* Nam quin Secutores, Gladiatores *ſint, dubium eſſe non debet, ex* Iuuenale, & Artemidoro *de ſomnijs, qui lib.* II. *cap.* περὶ μονομαχίας *uaria genera gladiatorum nominat, omniáque uarijs nominibus appellat. de ſecutoribus autem ſic,* εἰ δὲ σεκούτορας, εὔμορφον μὲν λήψεται *(loquitur autem de nuptijs & uxore dicenda)* γυναῖκα καὶ πλουσίαν μεγάλα δὲ φρονοῦσαν ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ καὶ διὰ τοῦτο καταφρονοῦσαν τοῦ ἀνδρός. καὶ κακῶν πολλῶν εἰτίαν ἐσομένην ἀεί γὰρ διώκει. *Numerus autem longe maior eſt in noſtro libro, quem ex ueteri exemplari accepimus. Sic autem de his notis Priſcianus*

ſcianus in libello de ponderibus & menſuris, Quinque millia, per I, & duas à dextra parte apoſtrophos. I ↄ ↄ. etſi noſtri librarij pro uirgula illa, primam literam ex quatuor quæ permutationem non patiuntur, imperitè poſuerunt: in quod peccatum ſæpe propter ſimilitudinem charaĉterum lapſi ſunt. Tu igitur humaniſſime lector huiuſcemodi menda, quæ uix caueri poſſunt, æquo animo ferto, & corrigito.

Quæ quidem ille ſi repudiarit, tacebis:) Scripſimus ex noſtro antiquiore codice, IACEBIT. Hanc autem ſententiam inde elicimus, Si Cæſar reſponſa Pompeij repudiarit, iacebit: id eſt omnium amorem, beneuolentiámque amittet, & peſſime rebus ſuis conſulet. cum enim ea ſint grata populo, & probata concioni, non poteſt ea Cæſar repudiare, quin in omnium odium ueniat. Frequens autem eſt hoc uerbum apud hunc autorem, ut libro x. ad Atticum, Iacere Cæſarem putans offenſione populari. Quæ autem ſequuntur uerba, SI ACCEPERIT, cum interrogatione legenda ſunt. Quaſi dicat, quid erit? non minus enim ab illo mali inſtat, ſi eas conditiones acceperit: fractus enim ſemel inimicis ſuis intolerabilis in rep. erit: ut incertum ſit, quid magis ſit optandum. eſt autem ἀποσιώπησις figura: non enim exponit quid futurum ſit, ſed reticet. 204

Ne ſit moleſtiſſimus, inuitúſque &c.) Legimus cum uetere noſtro codice, NE MOLESTI SIMVS INVITO, & cætera. Si contigerit, inquit, ut Romam nobis redeundum ſit (tunc enim conſtituerat accerſendum eſſe) uide ne moleſti ſimus inuito. id eſt, ſi inuitus ad nos uenit, noli eum urgere: nec enim uolumus ei moleſti eſſe. Vulgata lectio (niſi fallimur) non tam uenuſta, & elegans eſt. Poſtre- 205

ma tria uerba, hæc inquam, CVRA VT VALEAS, *in his non reperiuntur: quare ea deleuimus.*

206 *Legionum uicinarum :)* *Nos legimus eodem maxime exemplari autore:* LEGIONVM ACTINARVM. *Antea hoc ipſo uolumine, Pompeius ad legiones Actianas eſt profectus. Hic autem Actinas ſcripſimus, credentes ab Actio Actinus poſſe deduci: ut à Mario Marinus, & ab Hirtio Hirtinus: quod alibi etiam adnotauimus.*

208 *Recte ſic cenſeo cedendum &c.)* *Legimus cum manu ſcriptis,* RECTE SIT: *ut ſit uotum quoddam. Cū enim cædes & proſcriptio formidetur, Vtinam, inquit, proſpere omnia cedant: fruſtráque nos hæc mala timuerimus. ut ſimilis ſit illi hæc locutio quæ eſt in* II. *lib. harum epiſtolarum, Patria propitia ſit, habet à nobis etiam ſi non pluſquàm debitum eſt, plus certe quàm poſtulatum eſt. Demoſthenes etiam in fine primæ* Olynthiacæ, χρηστὰ δ᾽ εἴη παντὸς ἕνεκα *dixit eadem, qua Cicero hoc loco, ratione dicendi.*

209 *Maneo igitur, etſi uiuere non liceat:)* *Nos poſtrema duo uerba deleuimus, nulli enim manuſcripti habebāt. Credimus autem addita fuiſſe ab aliquo, qui figuram hanc dicendi (eſt enim* ἀποσιώπησις*) nō animaduerterat. quod igitur ille deſiderari putauit, imperite, & fidenter de ſuo adpoſuit. nos potius intelligi debere arbitramur, Tædet, uel turpe eſt.*

209 *Ecce poſtridie Caßij literæ:)* *Nos,* AD CASSIVM, *caſtigauimus: non enim Caßius eas literas ſcripſerat, ſed ad eum miſſæ erant (ut ſtatim infert) à Lucretio familiari eius: erat autem hoc tempore Caßius cum Cicerone in Formiano. niſi intelligas Caßij literas ſecundo caſu non ab eo ſcriptas, ſed ad illum miſſas, quemadmodum* Non. Marcellus *appellat*

pellat epiſtolam Peti, quæ ad Petum à Cicerone miſſa eſt: cum locum citaret ex libro ad Varronem: ſi uera eſt noſtra illa ualdè probabilis emendatio, de qua eo loco diximus. Et ſanè (ut uerum confiteamur) in nullis manu ſcriptis AD CASSIVM *uidimus: ſed in cunctis* CASSII LITERAE. *Quare accuratius animaduertendum an alibi ſic loquatur Cicero: nos certe in noſtro ſermone ſæpe ita conſueuimus loqui.*

Si te ſecundo lumine:) Hunc ſenarium ſeparatim ſcripſimus, ne quenquam amplius fallat: adducitur autem à Cicerone ut exemplum Regiorum imperiorum, eſt autem uerſus Ennij, ut putamus: is enim Euripidis Medeam Latinam fecit: credimúſque hunc Euripidis locum interpretari, qui eſt in ea tragœdia, ubi Creon Medeæ minatur, interdicitque illi ne longiore ſpatio temporis Corinthi, ubi imperabat maneat, εἴσ' ἐπιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ, καὶ παῖδας ἐντὸς τῆσδε τερμόνων χθονὸς θανῇ, λέλεκται μῦθος οὐ ψευδὴς ὅδε. *multi autem citantur ab antiquis autoribus Ennij uerſus ex ea fabula. Hunc etiam uerſum, cum idē exprimere uellet, Cicero in oratione pro Rabirio Poſthumo poſuit, Regum autem hæc ſunt imperia, Animaduerte, & dicto pare: &, Præter rogitatum ſi queràre, & illæ minæ, Si te ſecundo lumine hic offendero, Moriere: quæ non ut delectemur ſolum, legere & ſpectare debemus, ſed ut cauere etiā, & effugere diſcamus.* 210

Planè eum quin noſter &c.) Locus hic fœdis maculis deformatus erat. Ego auxilio meliorū codicum (ut mihi uideor) eum purgaui. Eadem ſententia libro VIII. *explicatur iiſdem ferè uerbis, quæ hic ſubiungam, Me eſſe unum, qui ſi offendiſſem eius animum, cui tum cum iam in armis eſſemus, conſulatus tamen alter, & triumphus ampliſſimus* 210

deferebatur, &c. Et *clarius ſequenti epiſtola, Caui ne animum eius offenderem, cui* Pompeius *iam armatus, armato conſulatum, triumphúmque deferret. Magnam autẽ huic errori occaſionem dedit quòd* QVI *pro* CVI *in antiquis exemplaribus: propter earum literarum affinitatem ſcriptum fuerat: id tamen frequens eſt, & à nobis alibi adnotatum.* Alia *autem in hac epiſtola emendaui, quæ quia & plana ſunt, & minoris omnino momenti, prætereo.*

IN LIBRVM VIII. AD ATTICVM.

213 *Non in ipſa urbe &c.)* Quis *non uideat hunc locum depriuatum eſſe? Nam ut ſuppletus etiam eſt, non bene intelligitur, nec certum aliquem, aut planum ſenſum habet: quare nos iudicauimus rectius eſſe antiquam ſcripturam reſtituere, ipſiq́; notam, quæ mendum & defectum indicaret, adponere.*

213 *Animaduertito locum illum ubi erit diple.)* Diligẽtiores *erant antiqui in libris ſcribẽdis, quàm nos nunc ſumus. nam ſigna quædam in marginibus eorum collocabãt, quibus tantum inſpectis, perſpici poterat qui ſenſus eo loco ſcriptoris fuiſſet, aut orationis ornatus, uel uitium.* Hoc *ipſorum inſtitutum maxime obſeruatum eſſe in libris* Platonis, *docet* Laërtius Diogenes *in uita diuini illius uiri exponenda his uerbis:* ἐπεὶ δὲ καὶ σημεῖα τινὰ τοῖς βιβλίοις αὐτοῦ παρατίθενται φέρε καὶ περὶ τούτων τὶ εἴπωμεν, χ. λαμβάνεται πρὸς τὰς λέξεις καὶ τὰ σχήματα καὶ ὅλως τὴν πλατωνικὴν συνήθειαν· διπλῆ πρὸς τὰ δόγματα τὰ ἀρέσκοντα τῷ πλάτωνι, χ. περιεστιγμένον πρὸς τὰς ἐκλογὰς καλλιγραφίας· διπλῆ περιεστιγμένη πρὸς τὰς ἐνίων διορθώσεις. ὀβολος περιεστιγμένος πρὸς τὰς εἰκαίως ἀθετήσεις:

ἀντί

ἀντίσιγμα περιεστιγμένον πρὸς τὰς διττὰς χρήσης καὶ μεταθέσεις τῶν γραφῶν: κεραύνιον πρὸς τὴν ἀγωγὴν τῆς φιλοσοφίας. ἀστερίσκος πρὸς τὴν συμφωνίαν τῶν δογμάτων: ὀβολὸς πρὸς τὴν, ἀθέτησιν τὰ μὲν σημεῖα ταῦτα. *Quis neget autem (ſi manſiſſet hic mos) multam lucem adlaturas fuiſſe has notas antiquorum ſcriptis? Diplam autem quomodo fingerent, habes apud Ariſtophanem ab Aldo ſatis accurate impreſſum, nam reliquæ editiones eas notas non recte omiſerunt, licet interpres ferè ſemper de illis loquatur, & ubi adponendæ ſint doceat. Duas autem ponit ille diplas, unam intra, alteram extra declinantem. Hephæſtion quoque in libello de metris uno capite egit de huiuſcemodi notis, uerum mendoſe apud eum in impreſſo codice illæ deſcriptæ ſunt. quæ enim* ἔξω νενευκυῖα διπλῆ *appellari debet, eſt in eo* ἡ ἔσω νενευκυῖα. *hæc autem, quam hic pinximus* < *ſi in fine uerſus collocata fuerit,* ἔσω νενευκυῖα *appellanda eſt: ſi uerò contrà, ſic illam formabis* > ἔξω νενευκυῖα *erit, id eſt dicetur declinaſſe ab ea parte quæ extra eſt.* νεύειν *enim, id eſt declinare dicuntur autore Philopono in commentarijs in primum* τῶν ὑστέρων ἀναλυτικῶν *rectæ lineæ: quæ ſi productæ fuerint, ad unum ſignum concurrunt, quemadmodum dimetiens ſe habet cum latere. & hæc igitur ea ratione, quæ ab exteriore parte coniungitur,* ἔξω νενευκυῖα *iure appellabitur: & altera huic aduerſa* ἔσω νενευκυῖα. *Eſt etiam in Ariſtophanis illo codice, paragraphus alia nota, quæ hac figura —— ſignabatur: ut putem diplam ſic appellatam, quòd ex duabus paragraphis conſtaret, id eſt paruis quibuſdam rectis lineis, ex altera parte in ſe inclinatis, & ad unum punctum concurrentibus. eſt & coronis, & eius figura diligenter ibi expreſſa. Animaduertit idem ubi relictæ ſint*

notæ hæ à librarijs, & cur deſiderentur, & eſſe debeant: ut in Nubibus cum dixiſſet poëta, ὦ θεώμενοι κατερῶ πρὸς ὑμᾶς ἐλευθέρως ſubiungit ille, ἐχρῆν τὴν λέξιν ὑπὸ τοῦ χ σημειοῦσθαι, ἐχρήσατο γὰρ μετοχῇ ἀντ' ὀνόματος: & ſic de reliquis notis. Non igitur dubitandum eſt quin hæc ſit ſincera lectio: neque ob aliud hoc adnotaui, niſi quia nonnulli conati ſunt hanc uocem, ut mendoſam peruertere. Sententia autem huius loci clara, & plana admodum eſt. cum enim Attico miſiſſet Pompeij literas Cicero, hanc notam loco illi adpoſuerat, ut eum diligentius Atticus animaduerteret: putabat enim ex eo, ſi acutè ſubtilitérque conſideraretur, poſſe cognoſci quid exiſtimaret, ſentirétque Vibullius de Cn. Pompeio. Nos etiam conſueuimus, cum accidit ut aliquid accuratius uel à nobis ipſis aliàs, uel ab alijs animaduerti uelimus in libris, & epiſtolis etiam aliquod ſignum ponere, quod doceat nonnihil ibi eſſe animaduerſione dignum: ſed id caſu, & pro ſua quiſque libidine facit, non certas aliquas notas obſeruans quæ diuerſæ diuerſas etiam res arguant, & declarent. Quod autem ex Pompeij literis dicit, credimus nos literas illas à Vibullio ſcriptas fuiſſe, ad Pompeiúmque miſſas, ideóque Pompeij nunc à Cicerone appellatas. cum enim ex illis iuberet Cicero Atticum animaduertere quid Vibullius de Pompeio exiſtimaret: neceſſe eſt à Vibullio ſcriptas fuiſſe. Eadem autem ratione nunc ſecundo caſu Pompeij appellatas eſſe, qua paulo ante oſtendimus poſſe intelligi & defendi receptam lectionem eius loci, Ecce poſtridie Caßij literæ Capua à Lucretio familiari eius &c.

214 Si de pace ageretur, præfectus: ſi de bello, quid erit? Locus aliquantulum perturbatus, & corruptus: à manu ſcriptis codicibus nulla ferè uarietate: nos lectionem quam

proba

probauimus, accepimus. Videndum an paruo lapſu AGETVR *futuro tempore pro ageretur, legendum ſit. exiſtimabat Cicero cum ad Pompeium ueniſſet, ſi de pace ageretur, ſe præfectum fore* μεταφοεικῶς, *id eſt eius negotij principem. ualde enim aptam ad ea conſilia perſonam ſuam iudicabat: contrà, ſi de bello, inquit, ageretur, quid ero? cum parum idoneum ſe ſciat ad belli munia. Quod etiam ingenue fatetur his uerbis ex* XIIII. *libro, Et neſcio quo pacto tibi ego poßim, mihi tu dicere* τέκνον ἐμὸν οὔ τοι δέδοται πολεμύια ἔργα, ἀλλὰ σύγ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο. *aliter enim cum alijs, aliter cum Attico loquebatur.*

Maximis & miſerrimis rebus perturbatus ſum: &c.) 214
Non parum deprauatus erat & hic locus: ope tamen meliorum codicum facilè eum reſtituimus. Si diligenter animaduertes, uidebis nullam quaſi idoneam, & ſibi conuenientem ſententiam ex ea, quam condemnauimus lectione colligi poſſe: ex ea autem quam probauimus, & elegantem, & planam.

Et quanta ei fides ſit adhibenda:) NOS HABENDA 214
legimus, ut in cunctis manu ſcriptis inuenimus: & ſanè Habere fidem, frequens eſt apud optimos autores. Adhibere, neſcio an à Cicerone hoc ſignificatu uſurpatum ſit: nam Adhibere fidem in aliquo negotio ut adhibere ſtudium, induſtriam, artem, uſitatum eſt atque eleganter dictum. Cic. pro A. Cluentio, Vt quam ipſe adhibere conſueuit in amicorum periculis fidem & diligentiam, cum uim animi libertatémque dicendi in hac mihi concedat &c. Eadem perverſio erat in ſecundo libro de diuinatione. nam in impreſſis codicibus, & his etiam qui meliores putantur, ita locus hic legebatur, Quod ſi inſanorum uiſis fides non eſt adhibenda, quòd falſa ſunt: &c. cum uetuſtiores omnes (habuimus

mus enim & illorum librorum non contemnenda exemplaria) Fides non eſt habenda, retineant: ut facile quemuis etiam diligentem, & peritum uirum hæ labes in errorem inducere potuerint. Scio clariſsimos noſtræ ætatis uiros, & qui ſcriptis ſuis Ciceronem exprimere, ac reddere ſummo ſtudio: & admirabili induſtria conati ſunt, Adhibere fidem, pro Habere, dixiſſe: nollem eos his autoritatibus nixos id pronuntiare: nam tot optimorum codicum conſenſu, & teſtimonio deprauata eſſe ea loca conuincitur: ſed puto illos prudentiſsimos, & accuratiſsimos uiros alia etiam exempla proferre poſſe, ut latinitatem ſuam tueantur.

215 Non futurus ſit ſui iuris:) Nihil ſanè hic mutauimus: cum tamen omnes codices antiquiores diuerſos inueniamus, non uiſum eſt committere ut aliquis nos id negligentia putet prætermiſiſſe. Eſt igitur in illis hic locus mancus decurtatúſque: tres enim poſtremæ dictiones ibi non leguntur, oratióque omnino imperfecta eſt. Reſtat nunc diligenter conſiderare, an quod poſt dictionem FVTVRVS, ſequitur, fuerit ab aliquo ſuppletum eorum qui operæ precium ſe facere exiſtimabant, cum ueterum ſcripta uetuſtate dilapſa, & lacera. ipſi ſuo ingenio aliqua excogitata uerisimili ſententia replebant. Nos totam hanc rem à doctioribus (ſi ſuo ingenio dignam exiſtimauerint) uolumus iudicari: tantum quam inuenimus uarietatem oſtendere, & teſtificari uoluimus.

215 Ille legibus ſerui mei contra auſpicia ferendis autor.) Hic locus continet uetera peccata Pompeij, qui Cæſari omnia tribuit, eámque illi potentiam, autoritatémque comparauit, ac poſtea confirmauit, ut nefarium patriæ bellum inferre potuerit. Duarum autem literarum non magna perverſione adeo deprauatus erat, ut nihil fœdius dici, cogitari-

que

que poſſet. Nos PER VIM ET CONTRA AVSPICIA *caſtigauimus: quæ lectio tam clara eſt, ut nullos dubitaturos credamus quin ita legendum ſit. ſæpe autem Cicero ſic loquitur.*

M.'que Marcello conſuli finienti prouincias Gallias Calend. Mart. reſtitit.) *Hanc rem diligenter narrat Appianus* 215
lib. I I. τῶν ἐμφυλίων, *his uerbis*, εἰσηγεῖτο δ' ἤδη (*loquitur autem de Marcello*) καὶ διαδόχους αὐτῷ πέμπειν ἐπὶ τὰ ἔθνη προαφαιρῶν τοῦ χρόνου ἀλλὰ διεκώλυσεν ὁ πομπήϊος εὐπρεπείᾳ τε λόγου καὶ εὐνοίας ὑποκρίσει: μὴ δεῖν ἄνδρα λαμπρὸν καὶ εἰς πολλὰ χρήσιμον τῇ πατρίδι γενόμενον ὑβρίζειν βραχεῖ διαστήματι χρόνου καὶ δῆλον ἐποίησεν ὅτι χρὴ μετὰ τὸν χρόνον παραλύειν τῆς ἀρχῆς αὐτίκα τὸν καίσαρα. *Cælius quoque de hoc ipſo certiorem fecit Ciceronem, qui in Cilicia eo tempore cum imperio erat, inquit enim, illa præterea Cn. Pompeij ſunt animaduerſa, quæ maxime confidentiam attulerunt hominibus, ut diceret ſe ante Calend. Mart. non poſſe ſine iniuria de prouincijs Cæſaris ſtatuere: poſt Calend. Mart. ſe non dubitaturum.*

Ego autem paraui.) *Nos ſcripſimus* EGO NAVEM 218
PARAVI: *quod etiam Germani adnotarunt. Quæ ſequuntur autem uerba cum ſequenti ſententia legi debent, Quamuis, inquit, nauem pararim, citóque me nauigaturum putem, tamen expecto tuas literas, quibus reſpondeas conſultationi meæ.*

Πολλὰ μαθεῖν:) *Hæc Græca uerba corrupta erant: nec* 218
enim μαθεῖν *ut Diſcere ſignificet, ſed* μάτην *ut, Fruſtra, in ueteribus ſcriptum eſt. Nos quæ potuimus tuto emendare, ea caſtigáuimus, reliqua quàm maxima potuimus fide, & ſedulitate deſcripſimus, ut ſiquis in hæc uerba ab aliquo Græco autore, uel enunciata, uel citata incidat, poßit lo-*

cum

cum nullo labore reſtituere, conferens cum ijs priſcis ueſtigijs: credimus enim ea omnino ex aliquo poëta eſſe, ſed cum tam multi perierint, ut hæc etiam (ſeu tragœdia, ſeu aliud poëma erat) temporis iniuria amiſſa ſit, difficile admodum eſt, ſeu magna potius felicitas in hæc incidere: ex his autem characteribus uix poſſe puto ſinceram lectionem elici. Quod autem ῥαθυμᾶν *pro* ῥαθημεῖν *ſcriptum in noſtro libro uides, uitio librariorum factum eſt.*

219 in princ. *Sed mea manſuetudine.*) Meliores codices, MEAM MANSVETVDINEM, *habent, ut ſi exclamatio. admiratur enim & ipſe tantam ſuam eſſe manſuetudinem, ut poſt tot flagitia, & graues* Dionyſij *iniurias ne animum illius offendat, iubeat ad ſe referri epiſtolam quam ad illum miſerat.* Arbitror *autem eam accuſationem* Dionyſij *continuiſſe: expoſtulationémque iniuriarum ſibi inlatarum: quare ne leuem, & iratum hominem magis exaſperaret, ſummum ſtudium ponit, ne ea in illius manus perueniat.*

219 *Faſciculum, qui eſt* M. Decurioni *ſcriptus.*) *Scripſimus ferè hunc locum quemadmodum ſcriptus eſt in uetuſtis codicibus, monoſyllabum tantum* DE *neglecimus, quod neſcio quomodo huc inrepſerat: ſic enim in antiquiore noſtro legitur,* TV FASCICVLVM QVI EST DE MARCO CVRIO INSCRIPTVS. *Hic eſt autem Curius ille, qui Patris uiuebat, cui commendarat* Tironem *ægrotum, & in cuius diligentia omnem ſpem eius ſalutis habebat: tres autem ad hunc ſcriptæ epiſtolæ in uolumine ad* M. Marium *leguntur.*

219 in fi. *Spero etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit, nihil mutaſſet:*) *Locus hic miſerabiliter lacer, & diuulſus eſt: antiquior noſter codex (ut omnem, quam poſſumus ſtudioſis opem feramus, etſi hunc ego pro deſperato habeo) pro* MV-

TAS

TASSET, VNITASSET *habet: reliqua ei cum uulgatis conueniunt. Oportet omnino hic ſtellulam, quæ men dum coarguat adponere: nam quòd paulo ſuprà uacuum ſpatium reliquimus, exiſtimamus uocem aliquam Græcam deeſſe: cuius cum nullum ueſtigium in manuſcriptis ſit, nihil aliud nobis faciendum fuit, niſi ſedem ſuam illi conſeruare, ut ſi quando in integriore aliquo codice inuenta fuerit: illinc in noſtrum etiam transferri poßit.*

Deſeret igitur talem ciuem? & eos unà quos is ſecum habeat.) Nos multa hinc menda ſuſtulimus, uel potius totum locum alium reddidimus, ex mendoſo ſcilicet, & obſcuro clarum, & integrum facientes, atque id beneficio antiquioris noſtri codicis. Qui diligenter noſtram lectionem conſiderarit, ſpero, iudicium noſtrum probabit. Fingit aliquem mirari ſuam ſententiam, nec poſſe credere hoc unquam Pompeium commiſſurum: diligentérque ſe interrogare, quomodo putet fieri poſſe, ut talem ciuem deſerat, & quos unà ſciat eſſe: cum habeat præſertim ipſe cohortes XXX: cui ipſe DESERET reſpondet, additque cauſam cur ita credat: tanto enim timore perculſum illum, tantoperéque de ſua ſalute ſolicitum eſſe dicit, ut nihil ſpectet aliud, niſi fugam. Cum autem aliquid uehementer aſſeueramus, de quo interrogati ſimus, eodem utimur uerbo quo uſus fuerat, qui cum admiratione, & indignatione aliqua nos interrogauerat: ut eſt etiam in illo eleganti epigrammate quod eſt in libello, qui continet luſus in Priapum, Fur abeas: pœnam licet indignere: ferámque Propter olus, dicas, hoc ego? propter olus. Sic enim legimus eos uerſus: non ut in melioribus etiam editionibus ſcripti ſint: quod etiam declarat Græcum epigramma, unde hoc expreſſum eſt; antea enim Græcum factum 220

factum eſſe putamus, poſtea Latinè non ineleganter redditum: hi autem ultimi duo uerſus, ἀλλ' ὡς ἐνίσταμαι φωρ ἔμβλεπε: τοῦτο δ' ἐρωτᾶς τῶν ὀλίγων λαχάνων ἕνεκα: τῶν ὀλίγων. *Quod* SI EX IPSO, *id eſt ipſius* Pompeij *intellexiſſet, falſum eſſet, & contra hiſtoriam. nam* Pompeius *in epiſtola ad* Coſs. *hoc ipſo in uolumine illum habere tradit* XIX. *cohortis, quæ ſuæ ſint,* XII. *autem ipſius proprias: quæ numerum ferè conficiunt* XXX. *cohortium quas* Domitius *habebat. ſupráque narrat ſe ad illum ſcripſiſſe: primum uti ipſe cum omni copia ad ſe ueniret: ſi de ſe dubitaret, ut cohortes* XIX. *quæ ex* Piceno *ad ſe iter habebant mitteret.*

220 *Quod enim tu meum conſilium laudas:)* Nos CONSILIVM *deleuimus, in nullis enim manu ſcriptis uidimus: & niſi hoc me fallit, uacare puto, uel potius elegantiorem ſenſum fœdare. meum enim, ſcilicet dictum, &* ἀπόφθεγμα *intelligo: ſic enim quod ſubiungit, uocari debet, non conſilium. multis autem locis ſic loquitur* Cicero.

Ibidem *Qui patriam reliquit,* Italiam *deſeruit.)* Antiqui libri *melius* ITALIAM RELINQVIT: *nondum enim ex* Italia *fugerat: quanquam id facere cogitabat: omnéſque uidebant eam ipſum omnino relinquere uelle.*

221 Πρὸς ταῦθ' ὅτι χρή: *&c.)* Hæc uerba Græca, *quæ antè deprauata legebantur, ex antiquo noſtro exemplari accepimus: citantur autem à* Suida *in dictione* παλαμᾶσθαι. *non memini me alibi ea reperiſſe: quamuis eorum ſententia non obſcura ſit, rectéque intelligatur quam uim hoc loco habeant. eſſet tamen non inutile ſcire, cuius autoris eſſent: clariorem enim hunc locum faceret, uidere à quo & qua occaſione pronunciata eſſent.*

Ibidem *Quo ad te plura ſcribam non habeo.)* Veterem hic

etiam

etiam lectionem repoſuimus,ut Intercludor dolore,prohibeor ſignificet,ne ad te plura ſcribam. non ſinit,inquit,dolor quo premor,me ad te plura ſcribere. nimis autem(ſi accuratè animaduertas) frigida,& inepta erat ſentētia uulgatæ lectionis.

Ex Italia *exire ullo modo,&c.)* Locus *erat ualde depravatus.* Nos *ex manu ſcriptis noſtram lectionē ſatis planam,& ueram,ut arbitror,collegimus. Hoc ipſo uolumine hos iterum coniunxit: parique conſilio uti uelle oſtendit,* De Lepido,& Tullio *quid quæris? illi uerò non dubitant quin Cæſari præſto futuri,in ſenatúmque uenturi ſint.* Erat *autem hic* M. Tullius *Ciceronis noſtri neceſſarius,quem ad Atticum non multo pòſt dicit ſe miſiſſe.* 222

Occultauit *occurrens ad Lentulum &c.)* Hæc *uerba aliquid omnino mendi continebant: neſcio an rectè id ſuſtulerim.* Parum *bic adiutus à manu ſcriptis codicibus,nihil habeo quod affirmem. Currens autem intelligo,magna celeritate iter faciens,ut lib.* XIX. *Vixdum epiſtolam tuam legeram,cum ad me,currens ad illum* Poſthumus *Curtius uenit.* Nec *multo pòſt,initio ſcilicet ſequentis epiſtolæ,* Domitij *filius tranſijt* Formias VIII. *Id.currens ad matrem* Neapolim. *Quod ſi occultaui te,legas: exiſtimare poſſumus illum antè de hac re* Atticum *certiorem facere noluiſſe.uel tu aliquid melius excogita.* MISSV *autem ſcripſimus,ubi antea* IVSSV *legebatur,autoritate ueterum codicum nixi.* 222

In *ſtudijs,ac literis noſtris cōſumo omne tempus:)* Elegantiorem,& *ueriorem lectionem retinent antiqua exemplaria,quam in noſtro libro ſcripſimus.* Non *enim ſe dicit conſumere omne tempus in ſtudijs,ac literis: nam falſum id fuiſſet,nec ſatis honeſtum illi in tantis* Reip. *perturbatio-* 223

nibus,tantòque belli motu officio boni ciuis deeſſe:ſed loquitur de lamẽtationibus,& querelis,in quibus totos dies uerſabatur:dicit enim ſe uereri ne cum nihil proficiat,dedecori ſit ſtudijs,& literis ſuis:qui enim philoſophiæ operam dedit,eiúſque præſidijs munitus eſt,debet fortiore animo fortunæ caſus ſuſtinere:conſumere autem ſe omne tẽpus in præclaris,& egregio ciue dignis cogitationibus.conſiderabat enim quanta uis eſſet illius uiri &c.in cunctis uulgatis codicibus præter puncta,quæ peruerſe conlocata erant, IN *prępoſitio abundabat:deerátque* IGITVR *poſt uerbum* CONSVMO: *quæ caſtigata,planam & ſyncerꝗm ſcripturam relinquunt.*

224 *Iámque maiora magno tumultu:)* Antiqua lectio omni penè mendo uacua eſt,una tantum litera in noſtro abundat:pro MARI enim, MARIA in eo legitur.Eſt autem initium carminis ea tempeſtate notiſſimi,quo Caſſandra futura mala Troianis denunciat.Id eſt apud Ciceronem libro primo de diuinatione,Iámque mari magno claſſis cita Texitur,exitium examen rapit:Aduenit,& fera ueliuolantibus Nauibus compleuit manus littora.Quòd autẽ pronunciatum ſit à Caſſandra,paulò antè declaratur: inquit enim,Deus incluſus corpore humano,nõ iam Caſſandra loquitur.quæ autem nunc nobis tam obſcura ſunt,& incerta,ea tunc plana,& nota omnibus erant.Ilias autem malorum,id eſt infinita quædam uis,& multitudo,prouerbium eſt,de quo Euſtathius in procœmio in Homerum mentionem fecit, καὶ παροιμία μέντοι. κακῶν ἰλιάδα φησιν αὕτη ἡ κακῶν παντὸς ἰλιάς ἐστιν.

225 *Conculcari inquam miſeram Italiam uidebis proxima æſtate,aut utriuſque mancipijs.)* Hæc uerba mendo uacare non puto:nam & antiquæ ſcripturæ diuerſitas id arguit,

& monoſyllabum AVT, quod cum diſiungendi naturam habeat, ſemel tantum poni non ſolet. Nos primo cum fide ueterem lectionem proponemus, deinde quid leuiter ſuſpicemur explicabimus: PROXIMA AESTATE QAVT VTRIVSQVE IN MANCIPIIS. uidendum an ex QAVT rectè QVATI fieri poßit, ut priori uerbo ſimile, & ferè par ſecundum ponat, conculcari inquam, & quati. Quatere autem infeſtare ſignificat autore Nonio Marcello, qui id confirmat teſtimonio Virgilij in VIII. libro, Aut raſtris terram domat, aut quatit oppida bello. ſed hæc incerta ſunt, & tenuibus quibuſdam tantum coniecturis nixa. Animaduertimus autem hanc epiſtolam fœdis multis maculis reſperſam eſſe, & à librarijs undique peßimè acceptam.

Nec tam inruptio pertimeſcenda.) Nos arbitrati ſumus legi debere PROSCRIPTIO. in antiquo enim codice IPTIO: & non multò pòſt, CONFIGENDO, ubi OBLIGANDO antè legebatur: cuius etiam caſtigationis non paruum in eodem libro ueſtigium inuenitur. Et ne ullam rem, quæ poßit aliquid opis adferre ad ingenuam lectionem indagandam, uel ad loci uitium & peruerſionem animaduertendam, relinquamus, ſic in illo is locus ſcriptus eſt, MVLTIS SERMONIBVS DENVNCIATA EST IGITVR QVAM VNIVERSAM INTERITVS. Hoc autem omiſimus: nec enim potuimus ex tam confuſis dictionibus aliquid boni eruere. Ibidem

C. Hircium cum V cohortibus ſubſequi.) Caſtigauimus Hirrum. putamus autem intelligere Hirrum illum inimicum Ciceronis, olimq; eius competitorem, de quo antè longius locuti ſumus. Rem parui omnino momenti adnotare 225

non pigebit: hoc inquam nomen, N. *litera terminari in antiquiore noſtro codice: quod etiam animaduertimus in primo lib. comment. Cæſaris de bello ciuili, ſic enim & ibi ſcriptum eſt, Ipſe ex finitimis regionibus quas poteſt contrahit cohortes ex delecti bus Pompeianis: in ijs Camerino fugientem Vlcillam Hirrum cũ ſex cohortibus, quas ibi præſidio habuerat, excipit.*

226 *Cum eò ueniſſem, uidi amplum delectum habere:) Quiuis uidere poterat hic mendum ineſſe: nec enim erat nomen eius, qui delectũ haberet. Autoritate igitur uetuſtioris noſtri codicis caſtigauimus* T. *Ampium. Secutum autem hunc eſſe Pompeij partes notum eſt. conſolatur enim eum Cicero, uel potius bene ſperare iubet, confirmans illi de ſuo celeri reditu epiſtola illa, cuius initium eſt, Gratulor mi Balbe &c. appellabatur autem* T. *Ampius Balbus, ut etiam colligitur ex epiſtola quadam, qua ipſius libertum Ser. Sulpitio commendat, ita enim inquit, cum* T. *Ampio Balbo mihi ſumma familiaritas, neceſſitudóque eſt: eius libertum* T. *Ampium Menãdrum hominem frugi, & modeſtum, & patrono, & nobis uehementer probatum, tibi commendo maiorem in modum.*

227 *In fine poſterioris epiſtolæ* Cn. *Pompeij ſunt hæc uerba,* CVRA VT VALEAS: *quæ in melioribus manu ſcriptis non leguntur. ea, ſeu nos non deleuimus, quòd in legendo præterierint: ſeu tunc à nobis damnata contra noſtrum mãdatum librarij deſcripſerunt: uerùm ſintne, an non ſint, parui omnino refert.*

227 *Quæ Dialio ad Conſules dederas.) Nos & hic, & iterum in epiſtola Pompeij, quæ non multò pòſt eſt,* D. *Aeli ſcripſimus.*

229 *Atque ea honorificè, & tardè:) Emẽdauimus* LARG[illegible] *ex noſt*[illegible]

ex noſtro illo codice:quam quis nõ uideat meliorem eſſe le-
ctionem? Cum enim primo Romæ *cœptum eſt agi de pace,*
multi libenter odio ciuilis belli eius cõditiones accipiebant:
ualdéque ad eam propenſi,& inclinati erant,idcóque Cice-
ro ad Cæſaris conditiones,poſtulatáque honorificè,& lar-
gè reſponſum eſſe tradit.ſi autem TARDE, *contrarium*
eſſet ſententiæ Ciceronis.

*Quæ quoniam ratio omiſſa eſt:)*Hic *receptam lectio-* 230
nem conſeruauimus:cum autem manuſcripti omnes aliter
habeant,non uiſum eſt alienum eam quoque ſcripturam no-
tam facere:& teſtatam apud omnes relinquere:ita enim eſt
in illis, QVAE QVONIAM RATIO MISIT.
Fateor *ſanè me nunquam hoc uerbum ſic poſitum inueniſſe:*
ueruntamen quia quædam in natura uerborum inueniun-
tur,quæ quamuis nos facere aliquid,dicere uideantur,tamen
potius rem illam,de qua dicuntur,pati ſignificant,ut Verto
ſæpe apud Liuium *& alios optimos autores:quemadmodum*
etiam apud Ciceronem Cõuerto *in* Bruto, Vox *permanens,*
uerum ſubrauca natura,ſed hoc uitium huic uni in bonum
*conuertebat.*Et *in libro de* Fato, *Quia ſunt immutabilia,*
nec in falſum è uero præterita poſſunt cõuertere. Quem lo-
cum ego emendaui ex uetuſto exemplari,cum corruptè an-
tea Conuerti,*legeretur,& non pauca alia,ut notiſsimum*
eſt,& à Grammaticis *diligenter adnotatum. Quis ſcit an*
etiam MISIT *hic à* Cicerone *ita ſumptum ſit?*Accura-
tius hoc eruditiores conſiderabunt,ego nolui officio meo
deeſſe:cur enim,quæ aliquam imaginem priſcæ lectionis ha-
beant,nota non facerem? ſi improbabuntur,poterunt facilè
repudiari:& tamen ſic(conſeruata ſuo loco recepta iam le-
ctione)adnotata,nihil nocere poſſe uidentur,& ſæpe non
parum prodeſſe.

230 in fine. Per L. Cæſarem, & Fabium allatas.) Manuſcripti F A-B A T V M, non Fabium habent: nos tamen nihil mutauimus. Dion L. Cæſarem, & L. Roſcium nominat, quem locum antè citauimus libro ſeptimo, dum confirmamus caſtigationem illam QVAE SIT OPMH CAESARIS. uidendum igitur an L. Roſcius Fabatus appellaretur.

232 Seu per montes explicare:) Et hunc etiam locum nõ tetigimus, licet corruptus ſit, ut putamus: nec enim ei ullam opem adferre potuimus. proponemus hic tantum ueterem ſcripturam, & ipſam inquinatam, & peruerſam: eſt autem hæc, SVBSIDIO DOMITIO IRE POSSIM SEMPER MONTIS EXPLICARE, &c.

234 Vt pars exercitus ad Balbum mittatur.) Manuſcripti libri, AD ALBAM. Sic etiam Cicero ad Atticum ſcribens hoc uolumine, Cohortéſque ſex, quæ Albæ fuiſſent, &c. quare (ad Albam) ſcripſimus: erant autem ibi cohortes Domitij in præſidio: Antea in epiſtola Pompeij de Domitio loquentis, Nam partim Albæ, partim Sulmone conlocauit.

Ibidem Vt quamprimum cum omnibus copijs huc uenias.) Nos, CVM OMNI COPIA, ut eſt in antiquiore noſtro, ſcripſimus. Appellat autem ſæpe Pompeius in his epiſtolis copiam ſingulari numero τὴν δύναμιν. Antea inquit. Vt ſi uobis uideretur, alteruter ueſtrum ad me ueniret, alter in Siciliam cum ea copia, quam Capuæ, & circa Capuam comparaſtis. Sic Virgilius, Reſpicio, & quæ ſit mecum copia luſtro. Quin & Cicero pro L. Murena eam uocem eodem ſignificatu uſurpaſſe uidetur, cum inquit, Non uſque eò L. Catilina rempub. deſpexit atque contempſit, ut ea copia, quam

quam ſecum eduxit,ſe hanc ciuitatem oppreſſurum arbitraretur.Sequenti tamen epiſtola idem Pompeius Copias numero multitudinis protulit, ubi tamen(aduerſariûm)pro (aduerſariorum)poſuit:quæ antiquis familiaris locutio à Cicerone notatur in Oratore.Seruius etiam Sulpitius(oppidûm)dixit pro oppidorum,Cum uno loco tot oppidûm cadauera proiecta iaceant.

Quod magis defuerit,multum eſſe à literis:)Partim ab antiquo adiuti,partim coniectura ducti, DEBVERIT MVTVM ESSE A LITERIS,*ſcripſimus.Mutum autem à literis,ut in Oratione ad Pontifices pro domo ſua,Inops ab amicis dixit,& nuda à magiſtratibus.locum autem ipſum ponemus,Tam inops autem ego eram ab amicis,aut tam nuda reſp.à magiſtratibus. Quod ſi diligenter antiquior noſter liber cõſideretur,ſic etiam ſcriptus inuenietur locus ille quinti libri in eo,In Amano tutò conſedimus,copioſo à frumento,Ciliciam propè conſpiciente, &c.Verum quia totus ille locus aliquantulum perturbatus eſt,ibi receptam lectionem,quæ præpoſitionem eam non habet,conſeruauimus:non incommodum autem fuit,datam nobis eſſe occaſionem hanc rem tunc negligentius actam, retractandi.* 237 in prin.

Eo modo autem ambulat Cæſar,& ijs diarijs:) ita enim ſcripſimus, cum antè impreſſi HIS DICTIS *haberent.Alij corrigunt,* HIS TRIARIIS:*quod non probo.quid ſi* HIS CONGIARIIS *legas? omnino(niſi fallimur)locus mendoſus.* DIARIIS *autem ſcripſimus, non quòd ea lectione delectemur:ſed in tantis tenebris à luce ueterum codicum deflectere timuimus.iuſſimus autem ad hunc locum ſtellulam poni:quæ infra tribus uerſibus importune poſita eſt:nihil enim mendi eſt in eo uerſu,pro=* 237

pe quem poſita eſt:& hic,ubi neceſſaria(noſtro iudicio) eſt,deeſt.

238. in princ. *An maris adipiſcendi:) Cum antiquiores codices* APISCENDI *habeant, utantúrque hac uoce Lucretius,Terentius,Tacitus:cur non debui & ego ita ſcribere?nã ſcimus quandoque Ciceronem delectatum eſſe uerbis antiquioribus. Ser.quoque Sulpitius in epiſtola de obitu Tulliæ inquit,Magnámque ex ea re laudem apiſci.*

238 *Nec me mouet(quod ſcribis)ionupſi meum)Si diligenter animaduertas,nihil ferè mendi habent hoc loco antiqui codices,unde reliqui fluxerunt:ut mirer tantopere poſtea ab alijs(cum facile antè corrigi poſſet) deprauatum fuiſſe.Noſter antiquior* IOVI IPSINICVM. *quod ſi conſideraſſent* C. & Q *literas ſæpe confundi,alterámque pro altera capi,nullo labore quicquid reſtabat peruerſionis reſtituiſſent. nam cum duæ ſint uocales ſibi hærentes, ſæpe altera ſupprimitur,& interit,ut paulo ſuprà* DIARIS, *pro diarijs in antiquo eſt ſcriptum,& eadem ratione infinitæ penè uoces. Nos igitur putamus* IOVI IPSI INIQVVM *ſcribendum eſſe: id eſt uehementer iratum, & exaſperatum,ut nec dijs,nec hominibus parcat. Sic appellat in epiſtola ad Plancum,Seruilium,qui actionibus ſuis aduerſabatur, Res in poſterum dilata, uenit paratus Seruilius Ioui ipſi iniquus,cuius in templo res agebatur.c.autem pro qu, in antiquis codicibus alibi ſcriptum obſeruaui.*

239 *Sed nihil deſero:) Nos* DESIDERO *emendauimus:ut ſit ſenſus, nihil amplius opto.nam quod tibi placeat,& quod rectum ſit intelligo.cum enim de his duobus antè dubitaret,cupiebat ab Attico doceri:nunc ſe cognouiſſe dicit,nihilque amplius deſiderare: ſuas nunc partes,*

ut ſibi

ut ſibi honorique ſuo non deſit.

Vt res ſine ſanguine conficeretur.) Nos CONFIERET, *ex antiquis codicibus caſtigauimus: quo etiam uerbo uſus eſt Ser. Sulpitius in epiſtola, qua conſolatur Ciceronem de obitu filiæ: inquit enim,* Propterea *per quos ea conſieri debent, propinquos, ac familiaris, ipſi pari moleſtia afficiuntur.* Nam Vergilium *etiam hoc non repudiaſſe, ut uetus nimis uerbum, notum unicuique eſt.* 240

Municipia uera adeunt.) Sic *antea in cunctis legebatur: eam nos lectionem improbauimus, ueterémque reſtituimus, credentes hanc eſſe ſinceram, & rectam. agit enim de honoribus Cæſari habitis, & oſtendit quemadmodum omnes omnia facerent, quo illum ſibi conciliarent: optimates enim occurrebant, & ſe ei uenditabant, municipia uerò* Deum, *ſcilicet faciebant, omnium honorum, & laudum genere in illum effuſo, & olim de ægroto* Pompeio *fecerant, deos orando, & uota nuncupando pro illius ſalute. Sic & alibi de hominibus loquendo, dicit Cicero: ut in epilogo orationis pro* P. *Seſtio,* Video P. Lentulum *cuius ego patrem &* Deum, *& parentem ſtatuo fortunæ ac nominis mei, fratris, rerúmque noſtrarum, &c.* In III. *item libro de* Oratore, Quem Deum *(ut ita dicam) inter homines putant.* ADEVNT *autem multis de cauſis (niſi fallimur) probari non poterat.* Ibidem

Qui me exturbent, cum ipſi domi maneant) Debuit *declarare locum unde ſe exturbarent: quare nos,* QVI ME EXTVRBENT CVM IS *caſtigauimus: ita enim ferè habent manu ſcripti codices. Exturbare, eſt de loco uiolenter mouere, & quaſi præcipitem agere. ipſi autem domi maneant, otioſi omnibus commoditatibus circunfluentibus, in me autem ſeueritatem exercere uolunt.* 241

EX LIBRO IX. EPIST.
AD ATTICVM.

242 *Ac Theophani perſequamur.) Animaduerte uulgatos e-
tiam codices hoc loco Theophani ſecundo caſu habere à re-
cto Theophanes, ut Achilli, Themiſtocli, Oronti, eadem
ratione qua alibi etiam notauimus. Diximus aliàs habere
nos Terentium illum, qui olim Politiani fuit: locus igitur
hic in Heauton. Cum prima luci ibo hinc. Me. de nocte cen
ſeo. aliter in eo legitur: ideſt, cum primo luci ibo hinc éſt-
que eius hæc locutionis declaratio ex antiquo exemplari ab
Angelo deſcripta, Primo luci alterum ablatiui eſt, alterum
genitiui: nam luci declinauit, ut Vergilius Oronti, Achil-
li, & Vlyxi. Etſi non latet me Aelium Donatum aliter
eum locum legere, & fortaſſe uerius, eodémque caſu duas
illas uoces prolatas eſſe intelligere: tradit enim ueteres ma-
ſculino genere lucem dixiſſe: ſi autem (luci) genitiuo caſu,
ut interpretationis illius autor cenſuit, dictum fuiſſet, poſ-
ſemus ſuſpicari à rectò (luces) deductum eſſe. nam in uſu e-*
Ibidem *tiam priſcis illis fuiſſe mirum uideri non debet.*

*Prope ego unus, &c.) Accepimus ab antiquiore noſtro,
noſtri libri lectionem: numerat autem Fauſtum proquæſto-
rem cum illis, qui ius habebant, & iuſtam excuſationem
mare cum Pompeio tranſeundi. De Fauſto hoc, cum de Pom
peij comitibus ageret, his item uerbis alibi meminit, Quid
enim tu illuc Scipionem, quid Fauſtum, quid Libonem præ-
termiſſurum ſceleris putas? Quæ autem eſſent recentium
inimicitiarum cauſæ inter Appium & Cæſarem aperit Plu-
tarchus in Pōpeio his uerbis:* πρὸς δὲ τούτοις ἄππιος ἀφί-
κετο κομίζων ἐκ γαλατίας ἣν ἔχρησε πομπήϊος καίσαρι
στρατιὰν καὶ πολλὰ μὲν ἐξεφαύλιζε τὰς ἐκεῖ πράξεις καὶ
λόγους ἐξέφερε βλασφήμους περὶ καίσαρος, αὐτὸν δὲ πομ-
πήϊον

πήϊον ἀπείρως ἔχειν ἔφη τῆς αὐτοῦ δυνάμεως καὶ δόξης ἑτέροις ὅπλοις πρὸς καίσαρα φραγνύμενον ὃν αὐτοῖς κα-τεργάσεσθαι τοῖς ἐκείνου στρατεύμασιν ὅταν πρῶτον ὀφθῇ τοσοῦτον καὶ μίσους πρὸς καίσαρα καὶ πόθου πρὸς πομ-πήϊον ἐνυπάρχειν αὐτοῖς.

Quam III. Non. Mart. ὑπὸ τὴν δείλην *dediſti.)* 243 in princ.
Caſtigauimus ope noſtri melioris exemplaris, Quam III. Non. ὑπὸ τὴν διάληψιν *dediſti. eſt autem* διάληψις *idem quod* λῆψις. *Vide (ne idem inutiliter repetamus) quæ adnotauimus eo loco* VII. *libri, Tua* λῆψις *quem in diem incurrat, neſcio.*

Τίς δ᾽ ἔστι δοῦλος.) *Euripidis ſenarius, autore Plutarcho in commentario, cui titulus* πῶς δεῖ τὸν νέον τῶν ποιημάτων ἀκούειν. *inquit autem,* καὶ πάλιν τοῦ εὐεκτίδου λέγοντος. τίς δ᾽ ἔστι δοῦλος τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν ὑπακουστέον ὅτι καὶ περὶ πόνου καὶ νόσου τὰ αὐτὰ εἴρηκεν. *Ad huius uerſus ſententiam exiſtimo alluſiſſe Dionem* IIII. *Aeneidos, cum dixit, Quem timui moritura?* 244

Confido igitur aduentum noſtrum illi quoquo tempore fuerit (ut ſcribis) ἀσμενέστερον *fore.) Antiqui codices in tertia collatione* ἀσμένιστον *habent, & ita ſcripſit Atticus: ut colligitur ex epiſtola, in qua multa loca ex eius literis citat. In ultimo hæc ſunt uerba, Poſtea ſi opus fuerit, non erit difficile, & illi quoquo tempore fiet, erit* ἀσμένιστον. Ibidem

Μὴ αὐτὸς τὶ πάθῃ.) *Non pauca in his Græcis conſultationibus caſtigauimus: quorum hoc unum eſt: pro* πάθῃ *enim,* ἀρθῇ *ſcriptum in antiquis eſt: id eſt, è medio tollatur, & extinguatur. Plutarc. in commentario de Stoicis contrarietatibus,* πάλιν ἐν τῷ α. περὶ δικαιοσύνης εἰπὼν περὶ τῶν θεῶν ὡς ἐνισταμένοις ἐνίων ἀδικήμασιν. κακίαν δέ φησι καθόλου ἆραι οὔτε δυνατόν ἐστιν οὔτε ἔχει καλῶς 245

ἀρθῆν

ἀρθῆναι τὴν ἀνομίαν, τὴν ἀδικίαν, τὴν ἀσέλγειαν.

Ibidem. Τεταραγμένῃ μᾶλλον ἢ ἐν πολέμῳ.) Emendauimus ſic, τῇ εἰρήνῃ μᾶλλον ἢ πολέμῳ. uulgata lectio nullum ſatis idoneum ſenſum habebat.

Ibidem. Εἰ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν:) Inducit Philicum quendam ſua in hiſtoria Dion hortantem Ciceronem ut forti animo exilium ferret, longo ſermone cum eo habito: ſuadet autem hoc illi, quod nunc Cicero conſultatione hac complectitur. eius hæc ſunt uerba. ἂν μὲν γάρ μοι πεισθῇς καὶ πάνυ ἀγαπήσῃς τὸ χωρίον τι παραθαλάσσιον ἔξω πάντων ἐκλεξάμενος καὶ ἐν αὐτῷ γεωργῶν τε ἅμα καὶ συγγράφων τι ὡς Ξενοφῶν, ὡς Θουκυδίδης. τότε γὰρ εἶδος τοῦτο τῆς σοφίας διαρκέστατόν ἐστι καὶ παντὶ μὲν ἀνδρὶ πάσῃ δὲ πολιτείᾳ ἁρμοδιώτατον.

247 Qui nos hoc defendente ne dicam grauius.) Credidimus negatiuam particulam negligenter omiſſam fuiſſe, ut NON DEFENDENTE antea lectum ſit, eámque addidimus. Non potuit autem magis Pompeij culpam minuere, iniuriámque ab illo acceptam leuiorem reddere quàm dicens, ſe ab eo non defenſum, cum uerius Pompeius ipſum prodidiſſet: cùm enim ab eo immortalia beneficia accepiſſet, poſtquam periclitari uidit, ne ſibi ille moleſtus eſſet in Albanum ſuum exiuit: quò cum Piſonem generum ad opem implorandam Cicero miſiſſet, ipſe quoque poſtea ſupplicatum ueniſſet, ab eo neglectus eſt, ac ne conſilio quidem adiutus, cum Pompeius alijs foribus domo clàm ſe ſubripuiſſet. Plutarchus, qui hanc rem diligenter explicat, ſemper proditum à Pompeio Ciceronem dicit.

Ibidem Et mater, & dea dixiſſet αὐτίκα τεθναίην.) Deerat Homeri uerſus, quem nos reſtituimus: eſt autem in σ. λ. pronunciatus à Thetide, cùm uellet filium perterrefacere à pug

pugna cum Hectore committenda, ſignificans paratam ei eſſe necem ſtatim poſt interfectum ab ipſo Hectorem: cui poſtea Achilles ſequenti uerſu reſpondet. Decepti autem fuere librarij, quia ambo hi uerſus ab eodem temporis aduerbio incipiunt: priorem igitur omiſerunt.

Ego uerò hæc efficiam: ei candida uita puto.) Ex an- **Ibidem** *tiquiore noſtro exemplari noſtram lectionem eruimus: quam Germani quoque ex priſco (ut puto) & illi exemplari adnotarant.* VITA *tamen, quod neceſſarium uerbum eſt, neſcio cur omiſerint: iacet enim ſine eo omnis ſententia: qua uoce conſeruata, & ſublatis ijs quæ antea menda inerant, præclara & plana admodum ſententia* ex *hoc loco elicitur.*

Ad Curium in Municia.) Nos AD CVRTIVM **Ibidem** MINVTIA *ſcripſimus, tribus mutatis uocibus: credimus enim Ciceronem hic Curtium Poſthumum intelligere, de quo prius, Cùm ad me, currens ad illum Poſthumus Curtius uenit.* IN VIA *abundare nobis uiſum eſt: non enim manu ſcripti libri habent, & declarationem potius eſſe exiſtimamus ſequentis uocis: nam nomina uiarum perſæpe ſola ponuntur: ut lib.* XVI. *Statueram enim recta Appia Romam. unuſquiſque enim ſcit uiam ſignificare. pro* MVNITIA *autem* MINVCIA *in antiquis libris legimus, & Germani etiam idem obſeruaſſe uidentur.*

Quam ut certum uideat.)Germani adnotarunt Curium. **148** *Nos credimus ex* CVRTIVM *Curtum factum eſſe errore illo, qui ſæpe in priſcis etiam codicibus inuenitur, ut duabus uocalibus contractis altera deſideretur. quia antea multa exempla huius maculæ prolata ſunt, non erimus nunc longiores: eundémque Curtium Poſthumum intelligere*

gere

gere putamus, de quo paulò antè ſermo fuit. Hanc autem uim habere credimus hæc uerba: quouis potius certè, quàm ut Curtium uideat: ut intelligat ſe Domitium non reprehenſurum, Eat ille quò uult, modo ne Romam redeat: ubi Curtium uidere cogeretur, qui tanto odio dignus eſt, ut ne ipſe quidem Cicero patronus, eum aſpicere poßit. PATRONVS *autem, non* PRORSVS *omnes manu ſcripti habent: ut neceſſe ſit aliquem intelligere qui ab ipſo antea defenſus fuerit. Fuit etiam quando in hac ipſa epiſtola ſic locum illum putarem legendum, Hæc qui in mea uilla non feram, Curtum in curia potero ferre? ut Curtum nomen ſit, non duæ partes orationis. Egerat autem paulò antè de illo, cùm eum ad ſe in uillam ſuam ueniſſe dixiſſet, Fuit apud me Poſthumus, ſcripſi ad te quàm grauis. Quòd autem ante ſe ſcripſiſſe dicit, his uerbis de eius leuitate Atticum docuerat, Vixdum epiſtolam tuam legeram, cum ad me, currens ad illum Poſthumus Curtius uenit, nihil niſi claſſes loquens, & exercitus: eripiebat Hiſpanias, tenebat Aſiam, Siciliam, Aphricam, Sardiniam: confeſtim in Græciam perſequebatur. Sed quia uulgata lectio aliquem etiam ſenſum habebat, noluimus aliquid temere facere: nec enim nobis tantum tribuimus, ut quicquid uiſum ſemel ſit, ilico rectum eſſe ſtatuamus: rem autem qualis qualis eſt, attentius conſiderandum proponimus. Quod ſi hunc Poſthumum à Cicerone quandoque defenſum inuenerimus, omnia fermè, quæ adhuc non parum ſcrupuli habent, certa & aperta erunt.*

248 *Sicut res ſcilicet ipſa cogebat, quo uti conſilio poſſem.*) *Hic locus deminutus eſt, & mutilus in noſtro antiquiore codice: ſic enim in eo ſcriptum eſt,* SICVT RES SCILICET IPSA CVM CONSILIO POSSEM.

inal

in alijs autem manu ſcriptis uerbum illud (cogebat) legimus. Germani integriorem codicem hoc loco uidentur habuiſſe: eam enim lectionem reſtituerunt, quam nos hic aptam, & accommodatam iudicantes probauimus, in noſtrúmque codicem tranſtulimus.

Οὐδέ μοι ἦτορ ἔμπεδον ἀλλ' ἀλάλη). Legimus ex antiquiore noſtro libro, & ex Homeri emendatis codicibus ἀλαλύκτημαι, prima perſona. uerba ſunt Homeri λ.κ. pronunciata ab Agamemnone cum Neſtore loquente. ἀλαλύκτημαι, autem, mente conturbor ſignificat, & ἀδημονῶ. Diſſentiunt de hoc uerbo grammatici: quidam enim præteritum perfectum, quidam uerò præſens tempus eſſe uolunt. ſed hæc nunc curioſè tractare neceſſe non eſt: qui uolet quicquid de huiuſcemodi rebus ſenſerint diligentiores grammatici ſcire, is eos autores adeat, quibus has quæſtiones explicare operæpretium eſt, qui nec pauci ſunt nec ignoti. Ibidem

Quæ facta uolebam ut populari, &c.) Hic locus ualde mendoſus eſt, ueteribus codicibus nullum mihi auxilium adferentibus. quid facerem aliud non habui, quàm ut ad hunc uerſum notam adponerem, quæ peruerſum eſſe, & deminutum doceret: ea tamen aliter, ac nos ſtatueramus, aliquantulo inferius negligentia librariorum lapſa eſt. 249

Quæ mihi quiddam quo ſtarem inſtillarunt.) Et hunc etiam locum deprauatum eſſe cenſuimus. ſcripturam autem noſtri melioris codicis hic ponemus, ut quàm inquinatus ſit, omnes uidere queant: & ut alij etiam quam poſſunt opem ei adferre conentur: eſt autem hæc, QVÆ MIHI QVIDDAM QVA STANT MVTA EST ILLI ARVNT. 250

Εἰδόσι λέγω.) Scripſimus εἰδὼς ὅτι λέγω ex antiquis exemplaribus: quam lectionem Germani etiam agnoſcunt: ut di 251

ut dicat, Niſi hoc rectè ſcirem, non tantopere affirmarem. non erat autem facile hoc perſpexiſſe cùm eſſet natura tectus Pompeius, *ſoleretque aliud ſentire, aliud loqui.* Ex *priore etiam lectione egregius ſenſus elicitur : dicerem melior, niſi me pudor uetaret, dignitati ueterum monimentorum, & quaſi mihi ipſi, qui illis tantum tribuerim, contradicere. Eſt enim prouerbium ſatis frequens,* εἰδότι λέγειν, *id eſt, rem quampiam alicui narrare, qui eam optimè ſciat, quaſi hoc* Atticus *(cùm non, ut ſolebat, res ſuas* Pompeius, *ita hoc quoque obſcurè tuliſſet) animaduertiſſe & ipſe potuerit.*

251 Ὅπως ὡραῖος.) *Vetuſta lectio* ὁπλοῦς ὡραῖος, *id eſt idonea, & bella nauigatio. Infrà autem inquit,* Abeamus *igitur inde qualibet nauigatione.* Id *eſt etiam fœda &* μὴ ὡραία *: etſi enim idonea tempeſtas non obrepſerit, abeamus tamen, ne diutius horum ſcelera, & inſaniam uidere cogamur.* Videtur *autem ſe corrigere, quòd ſuprà ſe opportunam, & bonam nauigationem quaſi expectaturum eſſe dixerat.* Vtitur *autem & in* X V. *lib. harum epiſtolarum hac* Græca *uoce, cum inquit,* Hic *autem quantus* πλοῦς *: ſed uidebimus.*

252 *Senatorum nullos.)* Emendaui *autoritate eorundem librorum, & ratione ipſa motus,* SENATORES MVLTOS. *magis enim mirandum erat multos eius ordinis eſſe* Romæ, *cum ferè omnes à* Pompeio *relicta urbe diſceſſiſſent : ſed poſtea rebus ipſius aduerſis animo fracti, demum illo* Italia *pulſo in urbem redibant.* Suprà *etiam pro* PAVLVS : AVLVS *ſcripſi, qui manifeſtus erat error in cunctis uulgatis.* A. *autem hunc* Torquatum *conſolatur ſuis literis* Cicero, *qui poſt uictoriam* Cæſaris *diu* Athenis *manſit.*

Feſti-

Feſtiuo enim ſimillimus decurro.) Hunc locum nō par= *255 in*
uis argumētis cenſui deprauatum eſſe: quare antiquam ſcri= *fine.*
pturam etſi inquinatam, & corruptam, in noſtrum librum transtuli: ut poßint uires ingenij ſui doctiores in ea purgan da experiri. Eſt *etiam non multo ſuprà in hac epiſtola alter locus non parum mihi ſuſpectus, quem tamen non uariaui. non alienum autem puto eſſe hic docere quàm diuerſam in noſtro meliore probatioréque exemplari lectionem habeamus: ſic in uulgatis,* Et *iam de ſupero mari perlabor, ut antea ad te ſcripſi.* In *eo autem,* PLABOQVE, *ubi illi* PERLABOR. *priſca igitur lectio deformata non parum eſt.* Eſt *autem accuratè uidendum an hoc etiā, quod receptum eſt,* PERLABOR, *ſubdititium ſit, & ſuppletum à quopiam: ut aliquis ſenſus qualis qualis eſſet, illinc eliceretur: magis enim moleſtos, & periculoſos eos errores puto, qui tecti ſunt, & prima ſpecie multos cum mundi integrique appareant, fallere poſſunt: de his tamen quiſque pro ſuo ingenio iudicet.*

Ad quam ueniet iratus.) Nos, AT QVAM *&c. ca=* *256*
ſtigauimus, ut cum admiratione pronunciatum ſit, ut in II. Philip. *At quàm paratus uenerat, cùm in uilla* Metelli, *&c.* Et *paulò pòſt, ubi antè,* QVI EVM MAXIME SALVVM: QVI EAM MAXIME SALVAM *ſcripſimus. intelligit autē* Italiam: *ut dicat* Pompeium *maxime iratum eſſe illis qui* Italiam *ſaluam uellent. cum enim eam deſerere cogitaſſet, non poterat illis amicus eſſe qui cōſilium hoc ſuum improbabant, & eam omnibus uiribus tueri uolebant.*

Vt *ais epiſtola tertia expectabas.)* Emendauimus *ex an-* *257*
tiquis libris, VT ALIIS: *ut ſit hæc ſententia horum uerborum,* Vt *aliis epiſtolis, ſic etiam tertia* Philotimum

x expect

expectabas: nondum uenerat Philotimus, cum tertiam epiſtolam ad me dediſti: expectabas autem illum ut prioribus etiam literis faciebas.

258 De Lanuino ſtatim ut audiui.) Hic totus locus multis maculis (ut putamus) deturpatus eſt. Nos conati ſumus in tantis anguſtijs ueterem ſcripturam reddere: quaſdam tamē, quas tutò uiſi ſumus poſſe, non paruas omnino notas deleuimus: non minores autem reſtaut, quas tollere, & abluere non paruum negotium erit. Eſt non multo pòſt hoc ipſo in uolumine alter locus, qui eandē rem iterum tractat, & ipſe quoque lacer, & inquinatus, & eandem obſcuritatem retinens. In fine autem huius epiſtolæ, D. Liberalibus, ſcripſimus, ſignificat enim diem quo hæc epiſtola data eſt: quæ uerba impreſsi omnes codices in principio ſequentis epiſtolæ pudendo errore habebant. ortus autem ille erat, ut puto, quia in manu ſcriptis libris non eſt ſeparata ab hac, inferior epiſtola. Cum autem malè hærentem diſiungere uellent, ſuperioris extremam partem inferiori non bene attribuerunt.

259 Sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς, alienatur immundæ inſulis nudæ decore.) In antiquis libris hic locus ualde deformatus eſt: nos eam lectionem ſecuti ſumus, quæ magis ſimilis antiquæ ſcripturæ uiſa eſt, & magis pura, & ingenua: nec tamen ei tantum confidimus, ut hanc germanam eſſe, & ueram cōtendamus. Vt autem facilius certior, firmiórque indagari poſsit, uetus hic à nobis ſcriptura, qualis qualis eſt, adpoſita eſt, Sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς alienantur immund inſulis unde decore fit: ſic me illius fugæ, negligentiæq; deformitas auertit ab amore.

Ibidem Tanquam auis illa mare proſpecto, euolare cupio) Alludit ad locum Platonis in epiſtola VII. ad Dionis propinquos,

quos, cuius hæc ſunt uerba, τὸ δὲ μετὰ ταῦτα ἐζῶμεν ἐγὼ καὶ Διονύσιος, ἐγὼ μὲν βλέπων ἔξω καθάπερ ὄρνις ποθῶν πόθεν ἀναπτάσθαι, ὁ δὲ μηχανώμενος τινὶ τρόπῳ με ἀναcοβήσει. habitabat enim tunc Plato in horto, qui Regiæ domui cōiunctus erat, unde exire eum ianitor niſi iuſſu, mandatóque Dionyſij nō ſiuiſſet. ideóque dicit ſe ſpectare extrà tanquam auem, cauea ſcilicet incluſam. Accipit igitur ſententiam Platonis, eámque Latinè pronunciat, & rebus ſuis accommodat. dicit autem ſe mare proſpectare Cicero, quia animus erat in curſu, & nauigatione.

Quæ noram etiam uiris bonis.) Alij alijs modis hunc locum corrigere tentarunt: quorum opiniones utinam tam eſſent probatæ, quàm ſunt notæ: antiquior ſanè noſter codex NOMINA habet pro NORAM, ſi nō rectè, ut nos credimus, tamen ſinceræ lectioni uicinius. Nos ex NOMINA ETIAM, NOMINATIM fecimus: quam emendationem eruditis uiris probauimus, ideóque eam nulla dubitatione eiectis, exploſisq́; cæteris ſecuti ſumus: putamus autem ἀπὸ κοινοῦ ſumendum eſſe MINAE: ut ſit, quæ minæ nominatim uiris bonis: quæ deniq́; (ut iterum minæ intelligatur) omnibus qui remanſiſſent. Ibidem

Fuga quam tu peregrinationem ὑποκορίζῃ appellas.) 26. 1
Sincerius, elegantiúſque antiqui codices, Quam tu peregrinationem ὑποκορίζῃ habent, ſecūda perſona præſenti à uerbo ὑποκορίζομαι, quod eſt rem turpem, & deformem honeſtiore, tolerabilioréque nomine appellando uelo & minuo. Plato lib. VIII. πολιτείας, τὸ μετὰ τοῦτο ἤδη ὕβριν καὶ ἀναρχίαν καὶ ἀσωτίαν καὶ ἀναίδειαν λαμπρὰς μετὰ πολλοῦ χοροῦ κατάγουσιν ἐστεφανωμένας ἐγκωμιάζοντες καὶ ὑποκοριζόμενοι ὕβριν μὲν παιδείαν καλοῦντες. ἀναρχίαν δὲ ἐλευθερίαν, ἀσωτίαν καὶ μεγαλοπρέπειαν, ἀναίδειαν δὲ

ἀνδρείαν. Athenæus lib. XIII. de Omphale regina Lydorum loquens, quæ ante quàm regnum occuparet, unà cũ alijs multis & uirginibus & matronis certo quodã loco à Lydis contumeliam paſſa eſt. gens enim illa quondam luxu, & intemperantia admodum perdita erat. Poſtquam autem ipſa regnum adepta eſt, ueteris iniuriæ memor, & ipſa quoque intemperans ulciſci ſtatuit eos, à quibus antea paſſa eſſet ludibria. ſeruis igitur qui in urbe erant uirgines heriles filias tradidit: in eúmque locũ, ubi uim, cõtumeliáſque omnes perpeſſa erat, coactis mulieribus, ui inuitas heras cum ſeruis unà clauſit. ὅθεν (inquit) λυδοὶ τὸ πικρὸν τῆς πράξεως ὑποκορίζόμενοι, τὸν τόπον καλοῦσιν γυναικῶν ἀγῶνα γλυκὺν ἀγῶνα. Eadem igitur ratione, ut culpam Pompeij minueret Atticus quæ fuga appellanda erat, peregrinationem nominauit: animaduertit tamẽ Cicero conſilium illius.

261 Fugam ne fidem an moram deſerendam.) Contra hunc locum ſtellulam adpoſuimus: deprauatus enim omnino nobis uidetur: nonnulli in antiquiore noſtro uerbũ FIDAM in FEDAM mutare tentarunt: nam ubi uulgati DESERENDAM, ille DEFENDAM habet. Nonnullas aliquorum emendationes recitare piget: nec tamen ipſi quod firmius ſit inuenimus.

292 Cùm tu ad me quædam ἀῤῥονικώτερον ſcripſiſſes) Scripſimus γενικώτερον. nam ita uetuſtiores codices habẽt. primo autem libro ad Atticum γενικῶς dixit: uulgata lectio, non ut inepta & falſa à nobis repudiata eſt, ſed hæc ut uerior, & certior magis probata.

Ibidem Hanc ἢ ἐκεῖνα.) Valde antè in uulgatis corruptum uerbum Græcum erat: quod integrum ferè in antiquis adhuc conſeruatur: νεκυῖα enim erat Attici uerbum, quo turpem comitatum Cæſaris ſignificabat, & flagitioſam turbam improborum

proborum quam ille ſecum ducebat, ſequenti epiſtola, Quàm *ille hæc non probare mihi quidem uiſus eſt, quàm illam* νεκυῖαν*(ut tu appellas) timere?* Alludebat autem Atticus *(ut puto) ad librum* XI. Odyſſeæ, *in quo* Vlyſſes *narrat quomodo iuſſu* Circes *ad inferos peruenit, ut* Tireſiam *uatem de reditu in patriam, & de ſua ſociorúmque ſalute conſuleret. eam enim eius poëmatis partem appellarunt antiqui* νεκύιαν*: quòd ibi de mortuis agatur, & quòd fingat* Homerus *ſimulacra & umbras heroum & illuſtrium fœminarum ad* Vlyſſem *confluere, & ſermonem cum eo habere.* Non *uiſa eſt autem quibuſdam hæc de mortuis narratio eam habere grauitatẽ quam reliqua illius diuini poëmatis membra: quod etiam ipſum* Homerum *animaduertiſſe argumentantur: nam uerſum illum quo iubet mater* Vlyſſem *ea diligenter perdiſcere, ut poßit poſtea uxori exponere, de hac potißimum* νεκύιᾳ *dixit: ut qui perſpiciebat auſcultationem eam mulieribus potius quàm uiris aptam & accommodatam eſſe.*

Deinde IIII. Non. Mart. ἐν ἀπολογίᾳ τινὶ, *cum breuiter ſcriberes)* Ter *iam eandem uocem reſtituimus, quæ aut omnino deeſſet, aut falsò repoſita eſſet: legimus autem, ut hic etiam priſcum habet exemplar ferè ſincerè,* ὑπὸ τὴν λῆψιν*: id eſt, cùm appropinquaret acceſſus quartanæ febris. intelligit autem epiſtolam, de qua meminit etiam antè hoc ipſo in uolumine his uerbis,* Tamen *ad eam ipſam breuem, quam* III. Non. ὑπὸ τὴν διάληψιν *dediſti, reſcribendam.* 263

Conſcius ego alijs.) Locus *ualde obſcurus, & fortaſſe corruptus: manu ſcripti libri nihil ab excuſis diſcrepant.* Germani *(conſcijs alijs) etiam legunt. uideant quæſo doctiores quid de hac re ſtatuendum ſit: nobis utraque lectio ſu-* 264

ſpecta eſt: cum autem nihil certi haberemus, uulgatam lectio nem retinuimus.

264 *Exiſtimatus quidem eſt ſemper autor otij.)* Quamuis receptam lectionem non improbem, tamen quia antiquior noſter codex aliquantum ab ea diſcrepat, non ueritus ſum (licet inquinatam) illius ſcripturam notam, ac teſtatam facere: pro, AVCTOR OTII igitur, AVCTORITATI ille habet, iudicet nunc de hoc quiſque pro ſuo ingenio. Autorem hunc pacis, uel potius non ſuſcipiendi belli li grauiſſimum Cicero in epiſtola ad ipſum ſcripta appellat. quare cum hominis natura receptæ lectioni reſpondeat, & ſermo Ciceroni familiaris ſit (nam quoſdam etiam lib. XIIII. autores latrocinij appellat) rectè mihi uideor hic antiquo codici fidem non habuiſſe: cùm tamen raro ſoleat ille peccare, non malum ſuit peruerſiones etiam illius adnotare.

Ibidem *Qui prudentia potius attendere.)* Locus peruerſus, & deminutus. Antiqui codices cum uulgatis conſentiunt: quare nos eorum auxilio deſtituti, nihil nouare auſi ſumus: cũ nihil quod melius eſſet aut ipſi excogitare potuerimus, aut ab alijs excogitatum ſciamus.

265 *Quid enim tu illuc Scipionem, quid Emagium.)* Nos QVID FAVSTVM, ex antiquis libris emendauimus. Mentionem antè de hoc fecit in prima huius uoluminis epiſtola, cum catalogum faceret eorum qui Cn. Magnum in Græciam ſecuti erant: inquit enim, Et tamen præter hunc & C. Caſſium reliqui legati, Fauſtus proquæſtor.

Ibidem *Quam uerò μακροψυχίαν nec noſtri eſſe, nuncian Aegyptum, &c.)* Conſentiunt cum uulgatis codicibus antiquiores hoc loco. Nos tamen ex NEC, Cn. fecimus, id eſt, Cnei noſtri. ut Pompeius intelligatur, quem ſæpe in his epiſtolis

epiſtolis ſic appellat,ut non multo pòſt,Cui Cn. noſter locum,ubi hortos ædificaret dedit.nam de eo ſermonem eſſe nulli dubium eſſe debet. Quæ ſequuntur autem uerba id manifeſtè coarguunt: exiſtimabatur autem Pompeius in Hiſpanias prouinciam ſuam,ubi & legati ipſius,& exercitus erant,nauigaturus,& omnino ad occidentem ſpectare:cum decimo libro Cicero perſuaſum in Italia multis fuiſſe dicat Pompeium cum magnis copijs iter in Germaniam per Illyricum feciſſe.miratur autem μακροψυχίαν *Pompeij,qui in tam remotas terras proficiſci cogitaret,& tam longinquam fugam pararet:quod etiam in ultima huius uoluminis epiſtola tangit,In Aegyptum nos abdimus,exercitu pares eſſe non poſſumus,pacis fides nulla eſt.Eodem autem ſignificatu quo* μακροψυχίαν *hic Cicero: Strabo* μακροθυμίαν *dixit,loquens de illis qui Caſilini ab Annibale obſeßi erant,in quinto libro his uerbis,* ἰδὼν δὲ αὐτοὺς πλησίον τοῦ τείχους σπείροντας γογγύλην ἐθαύμαζον, ὡς ἔοικεν ὁ ἀννίβας τῆς μακροθυμίας εἰ ἐλπίζειεν τέως ἀνθέξειν ὡς τελεσφορῆσαι τὴν γογγύλην. *Vtroque autem uocabulo longanimitas,ſi Latinum uerbum Græco par fingere uelis,ſignificatur,& infinita quædam,& obſtinata ratio obſiſtendi.*

Et quidem eſt tui cōſilij ad finem huius miſerrimæ uitæ.) 267 *Locus obſcurus,& fortaſſe deprauatus:quidam* ADFINIS *emendant,ut eſt etiam in nonnullis manu ſcriptis, quos puto à noſtro antiquiore deſcriptos eſſe:in eo enim* ADFINES *legi,ſupráque ultimam uocalem,quæ ſequitur ordine uocalis,ſcripta eſt, ut* ADFINIS *fiat,nulla tamen ex his lectio ita mihi perſpicua eſt,ut non ualde adhuc de ſinceritate huius loci dubitem. Quòd autem paulò pòſt ex* QVIDEM, QVIBVSDAM *feci, ha-*

bui huius animaduerſionis autores antiquos libros. Tor-quebatur mirificè Cicero, quòd nonnullis ſapiens, aut fe-lix fuiſſe uidebatur, quia in Italia manſiſſet: tanquam nul-lius rei rationem habere debuiſſet, niſi ſuæ ſalutis, & uti-litatis: ſapiens, ſi id conſilio feciſſet: fœlix, ſi caſu hoc acci-diſſet. ille uerò, qui ſe omnia honeſta conſilia cautioribus præponere uideri uolebat, ægrè ferebat, homines ita de ſe exiſtimare.

267 in fi ne, & in prin. ſeq. Nec interim poteſt non modo ſtatui, ſed ne cogitari qui-dem.) Nos ex antiquo noſtro codice reſtituimus locutionem ſimilē illi, & penè eandem, quæ lib. I I. harum epiſtolarum adnotata eſt: ea autem (niſi fallimur) delata erat ab aliquo eorum, qui eam Latinam eſſe, & à Græco ſermone fluxiſſe neſcirent.

268 Quod ab iiſdem dilecti ſumus.) Antiquior idem co-dex ILLECTI habet: ego tamen receptam lectio-nem conſeruaui. uidebunt nunc doctiores utra caſtior ue-riórque ſit.

Ibidem Sed ſit hoc ψευσηποιόδετον) Quàm inconſideratè hic poſitum eſſet hoc uerbum Græcum, dici non poteſt. Qui πλάσμα emendarunt, coniecturam magis ſecuti ſunt, quàm autoritatem ueterum exemplariorum: id enim uerbum ſup-pleuerunt, quod ſententiam tantum impleret. ſi Germani accuratè ſuum ueterem librum perſpexiſſent, integram (ut puto) & ingenuam in illo lectionem inueniſſent: in noſtro enim tam certa, & clara eſt, ut nihil in ea deſideretur: ita-que eam auidè arripuimus, eſt autem λάπισμα, καύχη-μα, ut Heſychius etiam docet, & λαπιστὴς καυχητὴς ψεύ-στης. Non credebat autem Cicero tantas copias habere Cæ-ſarem, Matiúmque amicum illius, eas nimis uerbis auge-re, & glorioſè iactare putabat. Eſt igitur λάπισμα, falſa quædam

quædam oſtentatio, & amplificatio rerum ſuarum.

Ludum ac uellem:) Locum hunc ualde corruptum & 269 *deminutum eſſe exiſtimamus: ideo notam, quæ mendum indicet appoſuimus. antiquiores etiã codices nihilo hac parte meliores. Alij conati ſunt rem difficilem, & periculoſam meo iudicio, ſuo ſcilicet ingenio hunc locum reſtituere, & ſupplere: quorum quia notæ ſunt opiniones, nihil eas attinet explicare.*

Ἀλίμενα uideo tibi non probari.) Hoc loco parum di- 269 *ligenter librarij noſtri ſe geſſerunt: nam &* Latinam uo*cem, quæ hanc Græcam præcedere debebat, omiſerunt, & perperam orationem pupugerunt. poſt locum autem ex* Platone *citatum, altero principio facto (in aliam enim rem tranſit) ita ſcribere eos uolebamus, Illa ἀλίμενα uideo tibi non probari &c.* Vocat *autem ἀλίμενα loca quædam quæ portus non habebant: quare ea* Atticus *non probabat. ſe tamen de illis cogitaſſe Cicero dicit, quia occultationem eam quam quærebat, in illis habiturus erat: nec qui ea quæ ſibi opus forent fideliter adminiſtrarent, ſuppeditaréntque, defuturos ſperabat, quæ omnia ſe alio celebri loco inuenire poſſe diffidebat: toto autem pectore hoc tempore de nauigatione cogitabat.* Verba *autem* Plato*nis dictione illa ἀνάγκαις, terminantur: ſunt autem accepta ex* VII. *epiſtola, quæ ſcripta eſt ad* Dionis *propinquos.*Germanos *quoque hanc ſcripturam in ſuo antiquo exemplari credendum eſt reperiſſe, in margine enim eam adnotant.*

Et occulte ſic omnem:) Emendauimus OCCVL- **Ibidem.** TATIONEM: *antiqua autem ſcriptura, etſi aliquantulum inquinata eſt, adeo tamen huic quam reſtituimus propinqua eſt, ut ſine temeritatis culpa uideatur ita po-*

tuiſſe corrigi. Cum autem infrà, Sedibi occultatio nulla eſt, dicat: uidetur omnis dubitatio ſublata eſſe. ex illis enim commodis, quæ in locis importuoſis uidebat, alterum omnino Brundiſij deficiebat, de altero non loquitur: nihil enim uerendum de eo Brundiſij. In locis autem deſertis periculum erat ne quæ ſibi ad uſum neceſſaria erant, deeſſent, præcipuè ſi uellet ibi occultè degere, quod tamen ipſe diligenter ſe prouidiſſe dicit.

269 *Locum uberem ut hortos ædificaret.) Nos auxilio ueterum codicum* LOCVM, VBI HORTOS ÆDIFICARET *ſcripſimus:* VBE *tantum in illis, pro* VBI *legebatur: in reliquis nihil omnino peruerſionis. ſed qui in antiquis exemplaribus tractandis exercitati ſunt, huiuſcemodi errores ſæpe inuenerint neceſſe eſt: confunduntur enim hæ duæ uocales, & altera ſæpe alterius locum ſubit, ut à diligentiſſimis, & eruditiſſimis uiris animaduerſum eſt.*

270 *Nihil Curione ſe duce facere:) Manuſcripti libri,* CVRIONEM *accuſandi caſu habent, quam lectionem & accepimus, & ſinceram eſſe exiſtimamus, ut ſe Syllæ, Curionem Pompeio comparans dicat, Nihil Curionem facere ſe duce, quod Pompeius antea Sylla duce non fecerit. Locus tam certus eſt (niſi fallor) ut nihil amplius eum oporteat confirmare, & declarare,. uidendum potius accuratius in uerbis his quæ ſequuntur, an uitium ſit, Ad ambitionem quibus exilij pœna, &c. ego enim ualde dubito: nec tamen in manuſcriptis ullam uarietatem inueni.*

271 in princ. *Contra ſe mouerunt:) Nos duas has ultimas uoces deleuimus, nec enim neceſſariæ ſunt: pulchréque intelligitur quod deſideratur: & declarationem, paraphraſinque quandam illas fuiſſe arbitratur à recentiore, nec ualde erudito factam*

ctam. E regione ſequentis uerſus notam, quæ deprauationem oſtendat, conſtitui iußimus. Quis enim ex his uerbis HOMO NON INFANS SED QVIS VLLI NON DICAT, *idoneum ſenſum ullum eliciat?*

Illic equidem Cn. profectum puto.) Receptam hic lectionem conſeruauimus: in antiquiore tamen noſtro codice, ILLIM EQVIDEM, &c. legimus. Eadem ratione qua antea multis locis obſeruaſſe nos expoſuimus, (iſtim) pro (iſtinc) ſcriptum eſſe. Nam (illi) pro (illic) & Virgilius dixit: ut, Patet illi ianua leto. Et in II. Illi mea triſtia facta Degeneremque Neoptolemum narrare memento. ita enim exponit Aelius Donatus. Terentius, Interea, dum ſedemus illi: interuenit adoleſcens quidam lacrymans. Et in Hecyra, Itaque ineptus hodie dum illi ſedeo. Huius autem aduerbij multa (ut puto) exempla inuenirentur, niſi paſſim illa ab aliquibus, qui corruptam ſcripturam credebant, deprauata, & contaminata eſſent. Ibide m.

Et primas eius actiones horreo.) Nos ſinceriorem, & meliorem lectionem putauimus eſſe eam quam reſtituimus inuentam à nobis in antiquis libris. Vt (prima) caput intelligat & principium: non enim actiones appellat, ut puto, quæ gerere debebat Cæſar in Senatu, ſed quæ in congreſſu illo à ſe agenda, & tractanda erant cum Cæſare. 17I

Cum tu hæc leges, ego illum fortaſſe conuenero.) Poſt hæc uerba addidimus ex uetere codice τέτλα κύντερον. uidetur autem & Germanorum antiquus codex, ex notis quas illi pinxerunt, eandem hanc ſcripturam habuiſſe: in noſtro tam integri ſunt, & rectè compoſiti hi characteres, ut non facilè exiſtimandum ſit hunc locum corruptum eſſe: nec tamen omni ſcrupulo uacuus eſt. τέτλαθι ſæpe Ibidē in fine, & prin. ſeq.

ſæpe dixit Homerus pro ſuſtine, perfer, perdura, quod à uerbo τλῆμι, ut maxima pars grammaticorum putat, modo imperandi τλᾶθι & κατὰ ἀναδιπλασιασμὸν τέτλαθι formatum eſt. Quidam non ignobilis grammaticus cenſuit eſſe uerbum τέτλημι, unde τέτλαθι ortum ſit, à cuius fortaſſe profecto τετλάω, τέτλα formatum eſt eodem modo, & ſignificatu: uel τέτλα per extremæ ſyllabæ abſciſionem a τέτλαθι factum eſt: ſeu uitium potius fuit librarij, qui τέτλαθι ſcribere debuit, & fortaſſe reliqua uerba quæ inter hanc ſunt & poſteriorem uocem in uerſu Homeri, qui infrà poſitus eſt. nam duo ſola illa uerba uix poſſunt abſolutam ſententiam reddere, nec ea memoria teneo me unquam ita apud Homerum legiſſe. Sententia ſanè eius uerſiculi quem pronunciat Vlyſſes, uidetur hic ualde apta & accommodata eſſe. & hæc cauſa fuit cur hanc lectionem probarem & reciperem. nam duo hæc Græca uerba etſi rectè ſcripta ſunt in priſco exemplari, non tamen ita perfectam ſententiam, & certam rationem habent ut non aliqua dubitatio inſit. hortatur autem ſeipſum ut forti animo congreſſum illum cum Cæſare ſuſtineat, quem maximè formidabat. Iiſdem fere uerbis & Vlyſſes cor ſuum perferre iubet præſentia mala: difficiliorem fortunam quandoque illud perpeſſum eſſe docens. Eſt autem is uerſus ab illo pronunciatus lib. 11. Odiſſeæ, τέτλαθι δὴ κραδίη καὶ κύντερον ἄλλόποτ᾽ ἔτλης.

272 Vt ne Trebatium quidem.) Vetus ſanè lectio Trabilium. Quam uocem cuncti quoque formis excuſi libri olim habebant: nonnulli eam poſtea in TREBATIVM, conuerterunt: unde in omnibus nunc Trebatium eſſe cœpit. Ego ut illius nominis nullam rationem, aut hiſtoriam adferre poſſum, quæ rem obſcuram aperiat, ita tot librorum conſenſ

conſenſum uix contemnendum eſſe puto. Qui primi priſcam, & receptam lectionem condemnarunt, ſi aliquo argumento caſtigationem ſuam confirmaſſent, ſtudioſis omnibus omne dubium exemiſſent: cum uerò nihil eiuſmodi fecerint, mirari non debent, ſi maioris adhuc autoritatis apud quoſdam eſt antiquorum exemplariorum fides, quàm illorum iudicium.

Ἄλλα μὲν αὐτὸς, &c.) *Verba Homeri ex* III. *libro* 272
Odyſſeæ: quæ Minerua Mentorem referens pronunciat, hortans Telemachum ut abſque timore Neſtorem alloquatur. Verebatur, adoleſcens ſapientem ſenectutem laudati uiri ipſe imperitus rerum, & qui tunc primo pedes domo mouiſſet. ſic ante loquitur. τηλέμαχ᾽ ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται. *Adducitur hic locus à Platone lib.* II. *de Legibus, Ijſdem ferè uerbis de eadem re ſollicitos bene ſperare iußit diſcipulos ſuos uerus Deus, & qui nobis indigniſſima nece ſalutem, uitámque procurauit, ſi diuina profanis commiſcere licet.*

Vide quàm ſit antiquorum.) Caſtigauimus, VIDE 272
QVAM SIM ANTIQVORVM HOMINVM: *id eſt ſimplicis ingenij, & minimè callidi, quales antiqui homines erant. Græci item* ἀρχαίους *appellant rudes, & ſtultos homines, & propter eandem cauſam* εὐήθεις *eoſdem quoque uocant. Miratur Cicero, ſéque nimiæ ſimplicitatis damnat, quòd Atticus iuſtam ſuam in Dionyſium iracundiam reprehenderit, ſéque magnopere ſtultitia ſua, & nimia bonitate deceptum dicit. putaſſe grauius illum laturum, quæ Dionyſius improbè fecerat, quàm ſe, duabus de cauſis, & quia amicum offenderat (debemus autem iniurijs amicorum commoueri) & quia iudicium ac teſtimonium quod de illo apud ſe ferebat, feſellerat.*

Philar

Ibid. in fine *Philargyro bene.) Sic omnes ueteres, & noui codices: quare nihil mutauimus: quamuis alij,* DE PHILARGYRO *legant. Putamus autem de Dionyſij iniuria adhuc Ciceronem loqui. cum enim (ut opinor) de hac re Philargyrus ſermonem haberet cum Attico, Ciceronémque fortaſſe accuſaret, planum ei fecit Atticus rem aliter ſe habere atque ille putaret. credebat enim Philargyrus Dionyſium eſſe relictum, & eiectum, cum ipſe potius improbè Ciceronem reliquiſſet. ideóque dicit illum habuiſſe cauſam & ueram & bonam. res enim ita ſe habet. facilè autem Ciceroni uidebatur defenſio ſua ſuſcipi & ad exitum perduci poſſe, ut ſcilicet in eo negotio nihil culpæ admiſiſſe probaretur. Exiſtimamus autem intelligi debere (reſpondiſti) ſeu aliquod ſimile uerbum.*

274 *Sed quid præcipiat ſentiam.) Antiquiores libri,* SED QVID PRÆRIPI, STATIM, *&c. Cum paulò antè ingreſſus eſſet diſputare quid à ſe in eo congreſſu faciendum eſſet, citò mutata ſententia, Quid præripi, inquit, ſupple neceſſe eſt: ſtatim ut cum eo locutus ero, perſcribam quæcunque fecero: non oportet hæc anticipare, & antè, quàm geſta ſint, uelle explicare. Eodem hoc uerbo, eodem ſignificatu utitur prima ſequentis libri epiſtola, Niſi, ſi tu aliter cenſeas, & hinc abero, & filij, ſed alterum mihi eſt certius, nec præripiam tamen, expectabo tuum conſilium. Vulgata autem lectio ſenſum frigidum habet, & paruum etiam ſermonis candorem.*

274 *Tardioris fore belli quod cum ijs Sinueſſam non uenerimus.) Auxilio ueteris noſtri libri hunc locum turpiter fœdatum purgauimus niſi fallimur: ſic autem ſcribimus:* TARDIORIS FORE RELIQVOS, SI IN HIS NON VENERIMVS. *nullum autem eſt uitium,*

niſi

niſi unius tantum literæ in antiqua ſcriptura, pro RELLIQVOS *enim* BELLIQVOS *ſcriptum eſt: nam (reliquos) per duo ll, ut quandoque (relliquias) credidit fortaſſe librarius ſcribi oportere. Quàm inepta autem, & falſa uulgaris eſſet lectio, nihil attinet dicere. quid enim nunc de Sinueſſa loquatur, cum exponat querelam Cæſaris, quam ſecum habuerat, quod ei negaſſet ſe ad urbem uenturum? quomodo autem hæc res tardius bellum facere poterat? Hæc ſunt tam inania, & ridicula, ut nihil ſuprà dici poßit. Recte autem iudicabat Cæſar reliquos fore tardioris, ſi Cicero in illis non fuiſſet: omnes enim boni uiri reprehenſionem eam fugere cupiebant: cum autem unus iuuentus eſſet qui fidenter negaſſet, illi quoque difficilius cogi poterant. Sequitur autem ſermo huic ſententiæ conformis. Tardioris autem accuſandi caſum numero multitudinis, quis non uideat eſſe, non unitatis generandi? quod fortaſſe nonnihil occaſionis dedit ad errandum. In his autem, frequens eſt apud Ciceronem, id eſt unus ex his, ut (in eis) etiam lib.* XIII. *Academicam omnem quæſtionem libris* IIII. *in eis quæ erant contra* ἀκαταληψίαν *præclarè collecta ab Antiocho Varroni dedi. Item in eodem lib. Incidiſſemus etiam in illos, in eis in cognatum tuum.*

Quæ ut tu ſoles dicere νεκυίαν.) *Sic locum reſtituimus auxilio meliorum codicum, in quibus adhuc hæc uox Græca inuenitur, etſi imperitia librariorum aliquantulum inquinata, non tamen ita ut tota non agnoſcatur: nam antè etiam cum hac dictione uſus eſſet, ut de nomine prius ab Attico & ſæpe uſurpato locutus eſt: ita enim inquit, Quam illam* νεκυίαν *(ut tu appellas) timere. quod ita eſſe ſcimus ex epiſtola illa, in qua multa loca ex epiſtolis Attici citat, nam in uno ſic legimus: Ita ut ſi ſaluus ſit Pompeius, &* 275

conſtiterit alicubi, hanc νεκυῖαν *relinquas. Quid autem de hoc nomine ſentiamus, antè diximus. quæ autem poſt hanc uocem ſequuntur uerba, adeo conturbata ſunt, & peruerſa, ut nos rectum eſſe indicarimus contra ea ſtellulam adponere: antiquam autem ſcripturam repoſuimus cum fide, & diligentia. ſiqua enim ſpes reſtat quandoque ſinceram lectionem reſtitutum iri, ex priſcis ueſtigijs eam exprimi atque erui poſſe ſperandum eſt.* Q*uidam* AREA SCELERUM, *legunt. alij pro* AREA *Græcam uocem* ἅλως, *quæ tamen idem ſignificat, reponunt: alij etiam alijs modis, ut fit cum ueritas occulta eſt: nos nihil, quod certum eſſet uidentes, inſtitutum noſtrum conſeruauimus, ut in tantis tenebris antiquorum codicum, lucem etſi obſcuram & tenuem, non dimitteremus.*

Ibidem *Illa tamen* καταιγίς) *Sic nonnulli legunt: quomodo autem exponant, notum eſt. antiqui ſanè codices* KATAKIC *habent: ego puto unam ſyllabam in medium reſtitui debere, quæ incuria librariorum omiſſa fuerit, & ita* κατάκλεισις *fieri & legi: quo uerbo etiam utitur lib.* II. *harum epiſtolarum, Sed me* κατάκλεισις *mea illa commouet &c. Arbitror autem denunciationem illam hic intelligere, quam ipſe Cæſar in primo commentario de bello ciuili mitioribus uerbis à ſe factam eſſe tradit: inquit enim, pro quibus orat, atque poſtulat, ut Remp. ſuſcipiant, atque unà ſecum adminiſtrent: ſin timore defugiant, illi ſe oneri non defuturum, & per ſe Remp. adminiſtraturum. nam neque illic hoc nomen communi ſignificatu ponitur.*

Ibidem *Non fuit rogandum.) Nos cum antiquis,* NON FUI NEGANDUM, *legimus: conſtituerat omnino hoc ill[...] Cicero liberè negare, quod tamen moleſtum, & periculoſum erat. quum autem hoc Cæſar quaſi perſpexiſſet, ut*

boneſ[...]

honeſtiorem finem ſermoni imponeret, ut deliberaret petijt. quare Cicero *gaudens commodiorem exitum, quam ſperabat, ſermonem illum habuiſſe,* Non *fuit negandum, inquit.* In *antecedente etiã epiſtola.* Ergo *ei negandum inquit? quaſi dicat, hoc non niſi cum periculo fieri poteſt.*

Inde expecto quidem ἀλλὰ τελέαν *illam tuam.*) H*æc eſt recepta lectio, quam cum ſententiam nullam habere existimauerimus, eò confugimus, ut antiquos characteres potius deſcripſerimus, quàm inania hæc uerba, & inerudita hic inutiliter iacere pateremur: unum tantum nomen, atque id fœminino genere deſiderari ſuſpicamur & ex hoc loco, & ex illo etiam qui eſt in ſecũda epiſtola ſequentis libri, qui in noſtro antiquiore ualde ſimiles huic notas habet, ut qui unũ purgarit, ambos reſtituerit.* 275

Ille uerò non.) N*egatiuã particulam deleui, quippe quam in nullis antiquis libris inueni: exiſtimo autem figuram eſſe* ἀποσιώπησιν, *ut magis accuſandus ſit* Seruius, *quàm* Pon*tius: nam is timoris cauſa id cõmiſit: turpior autem res* Ser*uium impulit ad id conſilium capiendum.* In *quo autẽ diſcrepat paulò ſuprà antiquum exemplar à uulgata lectione, quamuis id non receperim, celare nolo: in eo enim ita legitur,* Sed *erit immitiſſimus* Seruius, *qui filium miſit ad effligendum* Cn. Pompeium, *aut certe capiendum, &c.* Q*uod ſi* E*ffligere expellere ſignificaret, & quaſi ui & preſſu quodam extrudere, quemadmodum apud* Græcos ἐκθλίβεσθαι, *quod* Latini (*ut puto*) Exprimere *dicunt, non ineptum forteſſe ſenſum hæc lectio haberet, eundémque planum & apertum. ſed quia de hoc mihi parum compertum eſt, ideo ueterem lectionem repudiaui.* 276

Et aliquando ſententiam terminemus.) N*ulli manu ſcripti hoc extremum uerbum habent. ut* κατ' ἔλλειψιν *hic lo-* Ibidem

cus pronunciatus ſit, qualis eſt ſermo iratorum: cuiuſmodi hic eſſe Ciceronis, ex uerbis ipſius liquidò apparet.

EX LIB. X. EPIST.

AD ATTICVM.

277 Nonis illis Decembribus:) *Iuſſerã ego, ut dictio* ILLIS *bis ſcriberetur, nota figura, in quo magna culpa eſt librariorum, qui ea quæ non ſine aliqua moleſtia, & labore indagaui, ipſi ſua negligentia omiſerunt. Sæpe ita locutus eſt Cicero, ut in* II. *lib. ad Atticum, Vectius ille, ille noſter index &c. Et in primo, Noſti Caluum ex Nanneianis illum, illum laudatorem noſtrum. quam autem uim &* ἔμφασιν *habeat hæc repetitio, unicuique planum eſſe arbitror. Quantopere autem ſolitus eſſet Cicero celebrare Nonas Decembres, quo die de coniuratis ſupplicium ſumpſit: manifeſtum eſt: nimis enim erat ille laudum ſuarum iactator: ut amicis etiam, nedum alienis faſtidium tam crebra illarum prædicatio gigneret. Brutus in epiſtola ad Atticum, An quia non omnibus horis iactamus Idus Martias ſimiliter atque ille Nonas Decembres ſuas in ore habet, eo meliore conditione Cicero pulcherrimum factum uituperabit, quàm Beſtia, & Clodius reprehendere illius conſulatum ſoliti ſunt?*

277 Quidnam ego, quid ille:) *Et locum hunc auxilio ueteris codicis antea corruptum, & diminutum reſtitui: uerba autem Græca Homeri ſunt,* χ. λ. *pronunciata ab Hectore. eoſdem uerſus adducit Cicero in epiſtola, qua Præciliũ Cæſari commendat: quo loco plenius eius ſentẽtiæ uim, & excellentiam explicaui.*

278 Me attractum iri ſi de pace agatur.) *Vetus illud exemplar, Si de ea re agatur, habet. ego tamen receptam lectionem*

nem non ſpreui. qui uetere magis delectatur, poteſt nũc eam pro ſuo arbitrio reponere: nam quin de pace intelligat, dubium eſſe non poteſt ex ſequentibus uerbis.

Vt dum oratores cantent, rideant, quieſcat:) *Tradunt Beroaldum ſic emendaſſe*, EANT, REDEANT: *quam nos caſtigationem non improbauimus. Nam & ſatis modeſta eſt, & ingenua: & quæ antea uerba legebantur, riſum uere unicuique mouere poterant. in manu autem ſcriptis codicibus*, QVIESCAT *unitatis numero legitur. nam in alijs nihil diſcrepant priſca ac noua lectio. Quem autem ſummarium appellet, nobis ignotum eſt, eam uocem etſi nonnulli attentare conati ſint, quia in cunctis manu ſcriptis eſt, & nihil melius, neque à nobis excogitari potuit, neque ab alijs adhuc prolatum ſcimus, ut erat reliquimus: ſitne autem corrupta, an non ſit, nihil compertum habemus.* 278

Ἐκφώνησις τέρπει,) *Poſteriorem Græcam uocem deprauatam eſſe credimus. Quid enim ibi* τέρπει *faciat cum paulò pòſt* DELECTAVIT, *ſcriptum ſit? quod uerbum ſuperiorem ſententiam concludit. Nos autem aduerbium quoddam, uel* ἐπίθετον *uocis illius* ἐκφώνησις *deſiderari arbitramur: quod tamen quale ſit, dicere non poſſumus: Græcos autem characteres depinximus, ut alij ueram ex illis lectionem quæ latet, euocare poßint. Quod cum omni ſtudio ipſi facere conati ſimus, adhuc præſtare non potuimus.* Ibidem

Hæc eſt ἄλοσις *in qua nunc ſumus mortis inſtar:) Veteres libri* ἄλη *habent, id eſt* πλάνη *& erratio. animi tamen, non corporis errationem intelligere debemus: cum aliquis uarijs grauibúſque cogitationibus diſtractus in quo conſilio conſiſtat reperire non poteſt: quod magnam mo-* Ibidẽ in fine

l.ſtiam, uel uitæ potius tædium gignit. Malé noſtri illi librarij per duo λλ hanc uocem ſcripſerunt.

278 Si acciderit ut legarer.) Legerer habent manuſcripti codices, ut in IIII. etiam lib. teſtati ſumus: illic enim eandem locutionem reſtituimus. eſt autem huic ille locus ualde ſimilis. M. ſsius defendebatur à nobis è legatione reuocatus, nã cum Cæſari legerat Appius Sunt autem lecti, legati: nõ tamen urbe exierunt: cum Piſo etiã ſocer apud Cæſarem offenderit, quòd in Senatu de ea re mentionem facere auſus ſit. Hoc ex Dione accepimus, qui de hac legatione ſic loquitur, καίτοι τελευταῖον πρέσβεις ὑπέρ τε τῆς εἰρήνης καὶ περὶ τῆς ὁμονοίας σφῶν παραχρῆμα πρός τε τοὺς ὑπάτους καὶ πρὸς τὸν πομπήιον πεμφθῆναι ἐσηγήσατο. Et paulò pòſt, καὶ ἐκεῖνον ὑπετόπουν καὶ μάλισθ' ὅτι οἱ πρέσβεις οἱ τὰς καταλλαγὰς δῆθεν πρυτανεύοντες ἠρέθησαν μὲν, οὐκ ἐξῆλθον δὲ: ἀλλ' ὅτι καὶ ἐμνήσθη ποτὲ περὶ αὐτῶν ὁ πίσων ὁ πενθερὸς αὐτοῦ αἰτίαν ἔσχεν.

279 Iam adeſt & animus ardet:) Ante hæc uerba Græca dictio deſideratur: quam cum ex priſcis characteribus intelligere nequiuerimus, illos diligenter deſcripſimus. nullo autem modo μάντευμα legi poteſt, ut crediderunt Germani: nam & nullum ſenſum hic ea uox habet, & fœmininum eſſe debere iam antè docuimus in penultima præcedentis libri epiſtola, Perſpicere autẽ poſſumus conſimiles noſtris omnino characteras eſſe in antiquo codice Germanorum: quos ipſi, dum ſtudent eam uocem aliquem ſignificatum habere, aliquantulum peruerterunt ſed tamen non ita ut non retineant adhuc multum ſimilitudinis.

280 Alteram tibi eodem die epiſtolã dictaui.) Nos HANC repoſuimus ex manuſcriptis exemplaribus, quæ uox culpa librariorum omiſſa fuit, cum eſſe debeat: locuti anteaſu- m

mus de hoc loco, ubi etiam plura exempla huius ſermonis adpoſuimus.

Quorum ſocietas, & ſceleratæ conſenſionis fides.)*Caſtior omnino, elegantiórque antiqua lectio eſt, à me reſtituta, quæ* SOCIETATIS *habet: ut poſtea ſe quaſi corrigat, qui ſocietatem appellarit conſenſum, & coitionem eorum: cum potius ſcelerata, & nefaria conſenſio appellanda ſit. fidem autem ſocietatis dicit, quia illi cum fide, quæ cogitauerant texerunt, & poſtea exercuerunt.* 280

Quò intelligeret ſe apud ipſum legem offendiſſe de ærario.) Nulla ſanè alia re diſcrepant antiquiores codices, niſi quòd IPSAM, *& non* IPSVM *habent: ut nunquam ferè fruſtra inſpiciatur. qui ſi & ipſi aliqua parte mendoſi ſunt, tamen aliquod ueſtigium retinent uerioris lectionis, ut hic accidit: putamus enim nos pro* LEGEM, PLEBEM, *legi debere, ut intelligamus Cæſarem perturbatum eſſe, quòd intellexerit ſe in magnum odium plebis ueniſſe in eo negotio de ærario. ærarium enim clauſum, non ſine ſcelere à quibus non debebat aperiri poterat, quod etiam inter magna Cæſaris impedimenta Cicero collocat lib.* VII. *cum inquit de illo,* Non *cum rerum prolatio, nec* Senatus, *magiſtratuúmque diſceſſus, nec ærarium clauſum tardabit.* Cum *igitur ille eius clauſtra fregiſſet, publicáſque pecunias diripuiſſet, ualde ab omnibus reprehenſus erat, & plebs uiolatum ab eo* Tribunum, *contra cuius uoluntatem auſus fuit id facere, iniquo animo tulerat.* Sequenti *autem epiſtola idem his uerbis affirmat,* Cu*rio mecum uixit, iacere Cæſarem putans offenſione populari.* Item *ſecunda ab hac epiſtola,* Quippe *qui florentis, ac nouos, ut uti diebus ipſi illi egenti, ac perditæ multitudini in odium acerbiſſimum uenerit.* Etſi *in primis uer-* 283

bis mendum ſit. Offendere *autem apud aliquem,id eſt odio illi eſſe,alibi apud* Ciceronem *reperies,ut ad* Qu. Fratrem *lib.* II. *Nam apud perditiſſimam illam atque infimam fæcem populi propter* Milonem,*ſuboffendit*, & *boni multa ab eo deſiderant.*

283.in fine. *Atque ego me receſſurum,& ſolitudinē quærere.)* Emendauimus RECESSVM. *Receſſum enim appellat loca ab hominum cœtu remota.ipſe lib.* XII. *Nam mihi receſſus, & ſolitudo prouincia eſt.*

284 *Atque uidebat.)* Reliquum huius epiſtolæ multis mendis ſcatet:ipſi in tantis peruerſionibus conati ſumus quàm tutiſſime potuimus omnia ad antiquorum codicum fidem reuocare:multæ tamen reſtant maculæ,ut dici nō poſſit quàm male habita ſit hæc epiſtola.in uetuſtiore noſtro exemplari ne illud quidem IVBEBAT integre legitur ſed detruncata,& lacera quædam uox IVLEBAT: quæ magis adnotamus,ut fidem faciamus mancum,& corruptum eſſe totum hunc locum,quàm ut ullam opem adferant huic contextui uerborum: cum præſidium illud,quo multa menda ſuſtulimus,nos penè deſeruerit.quid aliud facere poſſumus,quàm deprauata loca indicare?

Ibidem *Et ſermonis Hirtiani.)* Lurtiani habent manu ſcripti codices:& infrà, Lurtio conuento.ubi prius Hirtio: quod quamuis non certam hiſtoriam faciat huius negotij,tamen à nobis receptum eſt.cur enim non potius antiquis codicibus fidem habeamus,quàm nouis,& contaminatis?

Ibidem *Tu optimos Terentiæ dabis:)* Ita etiam habent manuſcripti codices nullo ſenſu:nos tamen Oppios legi poſſe arbitrati ſumus:nam in extremo ſequentis epiſtolæ de eodem negotio agens (ut putamus) De Oppijs Velienſibus (inquit) quid placeat,cum Philotimo uidebis.Et lib. VII. ubi

loquitur

loquitur de ænigmate, quo uſus fuerat Atticus in ſua epiſto=la, inquit, Aenigma Oppiorum ex Velia. Et paulò pòſt, Oppios enim de Velia, &c. eſt autẽ de nummis (ut opinor) & pecunia ſemper ſermo. Libro etiam VIII. ſic inquit, Ad Philotimũ ſcripſi de uiatico, ſiue à Moneta, nemo enim ſoluit, ſiue ab Oppijs tuis contubernalibus. Hoc cauſæ fuit cur Oppios potius ſcribendum eſſe exiſtimauerim. qui me=liorem, certiorémque lectionem inuenerit, me facile in ſuam opinionem ducet.

Quod mihi mandas de quodam regendo ἀρκαδίαν:) 285. in princ.
Hoc etiam uerbum Græcum in uetuſtioribus incertum eſt, & deformatum, ut puto: nã ibi ita legitur APCAIAN:) Nos (ut in malis) non omnino inepte (ut putamus) ἀρχαῖον legi poſſe iudicauimus: id eſt ſimplex, & ſtultum. nam hæc uox Græcis quemadmodum ANTIQVVS Latinis, ſæ=pe non bene ſonat. Ariſtophanes νεφέλαις ἀρχαῖάγε καὶ διϋπολιώδη καὶ τεττίγων ἀνάμεστα. Scio ſanè Eraſmum uirum doctiſsimum receptam lectionem ſequi: crederéque Ciceronem ad Græcum prouerbium alludere, quod eſt ἀρκα=δίαν μ' αἰτεῖς, quod non reprehendo: licet antiqua ſcri=ptura aliquantum diuerſa ſit, & durum mihi uideatur ſi prouerbium indicare uoluiſſet, unum tantum uerbum po=ſuiſſe. Quamuis enim ut plurimum Cicero truncata, & mutila prouerbia adferat, hoc tamen mihi modum exce=dere uidetur, uetuſtum exemplar mihi hanc ſuſpicionem creauit: nam alioqui libenter optime de Latina lingua me=riti iudicium ſecutus eſſem. Loquitur autem, ut putamus, de Qu. Cicerone filio. nam in fine ſequentis epiſtolæ, cum nominatim de illo ſuprà egiſſet inquit, Quem tamen nos diſciplina regimus. Item ſuprà in eadem epiſtola, cum de eodem ſermo eſſet: Vellem, inquit, ſuſceſpiſſes iuuenem re=

gendum. Item non multò pòſt, cum dixiſſet, Iuuenem noſtrum non poſſum non amare: addit poſtea, Sederit curæ, & eſt ut regatur. ut fortaſſe pro QVODAM *(Quinto) legendum ſit: quod tamen non adfirmo. nunquam enim tam incertus fui, quàm ſum, in hac huius epiſtolæ parte.*

285 *Reſcripſi & iſta madio ſi uis cum ioco tamen familiari.) Noſter antiquior pro* ISTA, *habet* ISTO. *Germani quoque in margine ſui codicis ex uetuſto exemplari uidentur adnotaſſe* ISTOMACHO. *quæ enim à notis quibuſdam correctoribus non acceperunt, ex ueteri codice illos hauſiſſe poſſumus exiſtimare. ipſe* RESCRIPSI ET STOMACHOSE, *partim ex ueteribus codicibus, partim ex ratione ipſa auſus ſum ſcribere: ut intelligat rem illam, quam poſtea apertius exponit, cum inquit, Vectenum mihi amicum, ut ſcribis, ita puto eſſe: cum eo (quod* ἀποτόμως *ad me ſcripſerat de numis curandis)* θυμικώτερον *erat: id ſi tu ille aliter acceperit ac debuit, lenies. Monetali autem adſcripſi, quia ille ad me proconſulem &c. Credo autem intelligere iocum familiarem, quòd monetalem eum appellauerat: nam ſimultatem inter illos interceßiſſe ex hoc etiam loco declaratur. Dum certius aliquid reperitur, non incommode ſic legi poſſe exiſtimo. nam etſi coniecturis aliquantulum uſus ſum, eas tamen tam firmas arbitror, ut non omnino repudiandæ ſint, numerum autem dierum, quo epiſtola data eſt, qui incommode in caput ſequentis epiſtolæ collapſus erat, in finem huius retraxi: hæc enim ſua illorum uerborum ſedes.*

281 *Et tamẽ recitet.) Caſtigauimus* ET TAMEN RETICE, *cum uerba illa nihil ſignificati haberent, ut dixerit ſe omnino uelle nauigare ad Pompeium, cõſiliúmque hoc ſuum*

hoc ſuum aperte ſe exequi uelle, nec exitum rerum Hiſpanarum ſe expectaturum: fiat in illis quidlibet. quamuis autem non callide hoc agere uelit, tamen iubet ut reticeat hoc ſuum conſilium, ne ulla ratione impediri poßit: timuit enim ne cum ſe quod cogitaret palàm facere uelle dixiſſet, Atticus id non tegeret: id autem cum utilitatem nullam habeat: & incommodi aliquid gignere poſſet, nullo modo uult Cicero diuulgari.

Nec tamen in acie, ſed militia, aut alio in loco.) Nos *caſtigauimus pro (militia)* MELITÆ: *quæ inſula eſt, uicina Siciliæ, penè adhuc antiquum nomen ſeruans, de qua meminit Cicero in Verrinis. Plinius lib.* III. *cap.* VII. *& Strabo: unde appellatos uolunt Catulos Meliteos: eam nunc Hieroſolymitanæ religionis equites Rhodo pulſi muniunt, & ſedem reliquarum ſuarum fortunarum fecerunt. cogitauit autem Cicero ibi manere donec bellum eſſet, quieto loco, & ab omni belli ſuſpicione remoto, ut in fine ſequentis epiſtolæ narrat his uerbis, Cum Antonio item eſt agendum, ut cum Cicerone Melitæ me uelit eſſe. Item non multo pòſt, Melitam igitur (opinor) capeſſemus. dum quod in Hiſpania, quod quidem propemodum uideor ex Cæſaris literis ipſius uoluntate facere poſſe. Quamuis igitur non habeamus nobiſcum hoc loco ueteres codices, ex poſterioribus tamen his locis uidetur ſatis tutò poſſe mendum, quod illos etiam occupauit, deleri.* 286

Cretenſi Curio:) *Hæc eſt uulgata lectio, quæ quàm falſa ſit, dici non poteſt: uetuſtior noſter codex, Fretenſi: nos admoniti ab antiqua ſcriptura, & hiſtoriæ ueritatem, ſectantes,* FRETO SICILIENSI *ſcripſimus: ſic enim Cæſar ipſe primo libro, de bello ciuili de Curione loquens, Fretúmque Siciliæ claſſe occupauerat. Item in ini-* Ibidem.

tio ſecundi libri, Interim L. Naſidius ab Cn. Pompeio cum claſſe nauium X V I. *in quibus paucæ erant æratæ, L. Domitio, Maßilienſibúſque ſubſidio miſſus, freto Siciliæ, imprudente, atque inopinante Curione prouehitur. Dicitur autem Fretum Sicilienſe, ut prætura Sicilienſis. De natura Deorum lib.* I I I. *Quid Chalcidico Euripo in motu identidem reciprocando putas fieri poſſe conſtantius? quid freto Sicilienſi?*

286 *Quintum puerum accepi uehementer:) Male punctis diſtincta hæc oratio adeo confuſa erat, & tantas tenebras gignebat, ut quandoque hic locus immerito corruptißimus exiſtimatus ſit, in quibuſdámque impreßis aſteriſco, ut mancus, ſignatus. Accepi autem uehementer, ſignificat grauiter accuſaui, & aſperioribus uerbis reprehendi. ſic loquitur & Cœlius de Pompeio. Accipitur ſatis male à Curione, & totus eius ſecundus conſulatus exagitatur. nam ſæpe etiam in bonam partem hoc uerbum ſumi pro ſignificatu, & ui aduerbij quod ei adiungitur, notißimum eſt. Græci eadem ratione* τραχέως δέχεσθαι *grauiter accuſare dicunt, & è contrario* οἰκείως δέχεσθαι *familiariter, & læto animo recipere. Vtriuſque locutionis exemplum eſt apud Plutarchum. in uita enim Craßi, ubi de Mumio eius legato egit, qui contra Spartacum parum proſpere pugnauerat, ſic loquitur,* ὁ δὲ κράσσος αὐτόν τε τὸν μόμμιον ἐδέξατο τραχέως: καὶ τοὺς στρατιώτας ὁ πλείζων αὖθις, ἐγγυητὰς ᾔτει τῶν ὅπλων ὅτι φυλάξωσι. *In Cicerone autem, cùm de ipſo ſermo eſſet, qui puerum adhunc Octauium obuiam ſibi in uia ſactum accuratè, & blande ſemper excipiebat, ſomnio de futura illius potentia admonitus, ita inquit,* ἐκείνου φασὶ τὸν κικέρωνα τῷ παιδὶ κατὰ τὰς ἀπαντήσεις ἐντυγχάνειν ἐπιμελῶς κἀκεῖνον οἰκείως δέχεσθαι τὰς φιλο-

φροσ

φροσύνας. & illum etiam puerum ſcilicet Octauium blandi-
tias illecebráſque Ciceronis familiariter ſolitũ eſſe accipere.

Quod fieri non debet.) Duo poſtrema uerba in manu 287
ſcriptis libris non inueniuntur : alij codices excuſi pro il-
lis, DICITIS OPORTERE habent. donec tamen ui-
dero antiquiorem codicem, qui ea habeat, ſemper ſuſpica-
bor noua eſſe, & ab aliquo inculcata. uidendum potius an
ſit figura ἀποσιώπησις, ut quid intelligendum ſit relin-
quat in animis auditorum.

An ni ualde hic in abſentia) PRO ABSENTIA AB- 288
SENTIS, habent cuncti manu ſcripti codices. primum
autem uerbum ANNIBAL eſſe debere cenſuimus, adiu-
uante non parum noſtram coniecturam antiquo illo codice.
Cùm autem de immiti atrocique hoſte ſermo eſt, ſemper ſic
loquitur, ut antea lib. VII. Vtrum de imperatore pop.
Rom. an de Annibale loquuntur. Et in Philippicis, Anni-
bal credo erat ad portas. Quod ſi non ita legatur, negare
non poſſumus hunc locum corruptiſſimum eſſe.

Non hæc collegij noſtri ab Attico) Legimus, AB AP- Ibidem.
PIO. ſcripſit autem Appius de diſciplina augurali librum,
quod declarat M. Tullius in epiſtola quadam ad ipſum, his
uerbis, Quod egomet multis iam argumentis antè iudica-
ram, maximéque illo libro augurali, quem ad me amantiſ-
ſimè ſcriptum, ſuauiſſimum miſiſti. Item Sex. Pompeius
in dictione Soliſtimum, inquit, Appius Pulcher in augura-
lis diſciplinæ libro primo ait eſſe tripudium, &c. Simili-
tudo nominis decepit librarium : hoc enim nomen quod ſæ-
pe, imò in ſingulis paginis harum epiſtolarum habetur, in
errorem hominem induxit.

Quippe qui florentis ac nouos ut uti diebus, &c.) Hæc Ibidem.
erat ferè omnium impreſſorum codicum lectio, à qua nihil
diſcerp

diſcrepabat antiquior noſter liber. aiunt poſtea Beroaldum *emendaſſe, Quippe qui florens, ac nouus primis diebus, etcætera: alij rectius putant, Quippe qui florentibus, ac bonis ueluti rebus ipſi illi, &c. ut fit cum occulta ueritate unuſquiſque in ſuam aliquam ſententiam omnia conatur extorquere. Tutius igitur exiſtimauimus in tam peruerſo, & deminuto loco ueterem ſcripturam conſeruare, illique mendi notam adponere, quæ tantiſper maneat, dum aliquid certius inueniatur.*

Ibidem in fine *Manſuetudinis in Metello, diuitiarum in Afranio)* Nos, IN ÆRARIO *legimus: ut idem Cæſaris factum, nec manſuetum, nec diuitem (quod uideri uolebat) eum eſſe argueret. quomodo enim manſuetus, qui Metellum Trib. pl. occidi uoluerit? nam ſi diuitias quas oſtentabat habuiſſet, quid opus erat ærarium clauſum, ui, impediente Trib. aperire, publicáſque pecunias auferre?* Non paruam *anſam huic errori dediſſe puto, quòd ſæpe in hoc codice* F *litera pro* E *ſumpta eſt: propter ſimilitudinem (ut puto) quam inter ſe habebant in uetere ſcriptura hæ literæ. quid autem de Afranio loquatur, qui eo tempore legatus* Pompeij *in Hiſpania erat?*

289 Sedeo enim πλουτοδοκῶν) Hoc *uerbum* Græcum*, cum antea quiddam omnino deſideraretur, nonnulli repoſuerunt, acceptum (ut apparet) ex manu ſcriptis, nec tamen ſatis purgatis libris, interpretatique ſunt ditem expectans. quam nihil autem ad hunc locum faciat, omnes facile uidere poſſunt. Antiqui codices una minus ſyllaba πλουδοκῶν habent, quæ ſincera eſt, & uera lectio πλουδοκῶν enim tempeſtatem, & nauigationem idoneam expectans ſignificat, compoſito uerbo cum notiſſimo apud Græcos nomine, & quo uſum eſſe antea Ciceronem docuimus: nam in libro* x v.

in

in uulgatis etiam codicibus legimus, Hic autem quantus πλοῦς*: ſed uidebimus.* Ob hoc igitur Cicero ſe dicit non reperire quid ſcribat: quia cum omnia quæ parari, conficique debebant prouidiſſet, nauigationíque intentus, idoneam tantum tempeſtatem expectaret, quæ omni momento temporis fugere poterat: quid amplius ſcribere attinebat?

Vi meam ipſe iam euocem.) Sic erat in impreſſis codicibus inani aliquanto ſpatio relicto: quod noſtri ueteris auxilio expletur. legitur enim in eo, *Ne meam ipſe* συμπάθειαν *euocem*: adeo clarè, ut mirer ab alijs non eſſe id animaduerſum. Quàm autem hic accommodata ſit Græca hæc uox, dici non poteſt. cùm enim de incredibili amore in ſe Tulliæ ſuprà locutus ſit, cito ex eo ſermone delabitur: ſentiebat enim ſe iam commoueri, affectúſque ſuos excitari, quod nolebat. Verbum hoc notum eſt: quod ſi tam facilè exprimi poſſet uerbo Latino, quàm uis eius, ſignificatúſque intelligitur, nihil laboraremus. Cicero id nomen ponit lib. II. de diuinatione, eiúſque uim non uno uerbo reddit: hæc illius uerba ſunt, *Aut enim diuina uis quædam conſules nobis, ſomniorum ſignificationes facit, aut coniectores ex quadam conuenientia, & coniunctione naturæ, quam uocant* συμπάθειαν, *quid cuique rei conueniat ex ſomnijs, & quid quanque rem ſequatur intelligunt, &c.* Verum hic diuerſam uim συμπάθεια habere uidetur ab ea quam in diuinatione habet, & potius eodem ſignificatu hoc loco ſumpta eſſe, quo alibi uerbum ab ea deductum Cicero uſurpauit, cùm dixit, *Atticæ commotiunculis* συμπάσχω. 290

Infamiam quoque quamuis ſit falſa nauigio eſſe te iturum trans mare) Valde diuerſus eſt hic locus in antiquis codic Ibidem.

codicibus: nec tamen eſt in illis integer, & incorruptus, ſed profecto mancus. nos dum aliquid certius, meliúſque reperitur, quam maxime potuimus cautè, & parcè, eum caſtigauimus: antiquam tamen ſcripturam, ut teſtatam relinquamus, & ut quam nobis tutum uiſum ſit ab ea diſcedere, notum faciamus: adfirmamus omnia quæ in noſtro leguntur, in eis legi, exceptis his uerbis TE ITVRVM: quæ cum in omnibus excuſis inueniſſemus, reliquimus, ut aliquis, ſenſus elici ex hoc loco poſſet: de noſtro autem nihil addidimus. Vbi in impreßis erat NAVIGIO, antiqui (magno) uel (magni) habebant. reliqua quæ nunc in noſtro ſunt, eadem quoque in illis erant: ſi acute conſideres uulgatam lectionem, nihil ea ineptius. quid enim (nauigio) addere oportebat? quaſi aliter trans mare iri poſſet. nimis otioſa, & frigida (niſi fallimur) ea oratio fuiſſet: adhuc tamen aliquid inueſtigandum puto: locus enim hic in manuſcriptis ita deminutus eſt, ut niſi ex uulgatis TE ITVRVM ſuppleas, imperfectus ſit ſenſus.

291 Si non fortunæ obſecutus fueris ut debes) Locus hic ex epiſtola Cæſaris aliter in antiquis legitur: quorum lectionem nos magis probantes in noſtrum eam tranſtulimus: VIDEBERE enim ſeu VIDEBERIS eſt in illis, ubi uulgati & excuſi omnes FVERIS VT DEBES habent. Paulo item ſuprà uerba hæc neglegimus deleuimúſque QVOD MINVS PLACET. nam in nullis manu ſcriptis inueniuntur, & inutiliter ab aliquo addita exiſtimamus.

294 Vide quam ad hæc)Poſt hæc uerba ſpatium inane relictum erat: τυραννικῶς ibi repoſuimus: nam ita ante nos Germani in ſuo codice ſcripſerant, & ita unius tantum literæ tranſpoſitione in noſtro uetuſtiore legas: quare

quare ita ſcribendum eſſe cenſemus. poſt hanc Græcam uocem incipit epiſtola M. Antonij.

Quare parui refert me probare) Importune colloca*tum poſt dictionem* PARVI *punctum, quod perfectam orationem indicat, fecit ut crederetur ea eſſe præteriti temporis à pareo, id eſt quod iußit & imperauit ille, feci, méque obedientem mandatis illius præbui. cum debeat puncto ſublato (parui refert) legi: uóxque illa* PARVI *ſecundo caſu nomen ſit, ſeu potius aduerbium, hoc ſenſu, Parui refert me probare cogitationem tuam: niſi mandata Cæſaris negligere uolo: quamuis enim ea probem, nihil in hoc tibi commodare poſſum. debeo enim quas mihi Cæſar impoſuit partes ſuſtinere, & omni diligentia exequi: quare ad illum, cuius in arbitrio res eſt, & qui ius quod petis concedendi habet, mittas cenſeo, à me enim id impetrare non potes.* 294

Tentabo audeam nihil properare) Hæc uerba ualde corrupta, & manca ſunt: cum igitur nihilo meliorem hac antiquam ſcripturam inuenerim, ſed eandem penitus, & ſimili modo peruerſam, & laceram, contra hunc locum aſteriſcum figi iußi. Non *me latebat, quoſdam hunc locum coniectura reſtituere tentaſſe: ſed quia parum illorum caſtigationes ſinceræ, & fideles mihi uiſæ ſunt, eas neglexi· in impreßis* CERTE, *noſter antiquior* CARTI *habet: quod tam corruptum eſt, ut receptam eius loci lectionem nulla utilitate mutare noluerim.* 295 in princ.

Atque utinam ad Curionem) Reſtituimus *auxilio uetuſtioris exemplaris uerba Græca, quæ hic deſiderabantur: quæ etſi in eo aliquantum perturbata ſunt, non tamen adeò ſunt confuſa, ut non perſpiciatur in illis, ſi diligenter attendas, noſtra lectio. Germanos quoque adfirmarim* Ibidem.

conſ

conſimiles his, qui ſunt in noſtro charactercs, in ſuo codice inueniſſe, è quibus cum ſententiam exprimere uellent, ueram aſſequi non potuerunt. quàm frequens ſit hic modus dicendi apud Græcos autores, notum eſt. cum autem de ſe magnum quiddam loqui uellet, humanæ infirmitatis memor, antequam id proferret, σὺν θεῷ τοι λέγω *dixit, id eſt uolente, & non aduerſante Deo: ut nos etiam cum de nobis aliquid magnum pollicemur, ſemper hoc addimus ad minuendam arrogantiam.* Ariſtophanes *in* Pluto, οἶμαι γὰρ οἶμαι σὺν θεῷ δ' εἰρήσεται ταύτης ἀπαλλάξειν σε τῆς ὀφθαλμίας. *Demoſthenes etiam in epiſtola ad Athenienſes, quam cùm in exilio eſſet, ſcripſit,* οὐ μὴν ἀλλ' ἐὰν ἐθελήσητε ἀκοῦσαι σιγῇ καὶ παραμείνητε πάντα μαθεῖν οἴομαι καὶ σὺν θεοῖς εἰρήσεται αὐτός τε φανήσεσθαι μετὰ πάσης εὐνοίας τὰ δέοντα περὶ ὑμῶν πράττων καὶ τὰ συμφέρονθ' ὑμῖν ἐμφανῆ δείξειν. *multa huius locutionis exempla adducit in ſuis commentarijs admirabilis doctrinæ uir* Budæus*: quæ, qui ſcire uolet, ibi legat: qui etiam Latinos adfirmat, deûm benignitate & dijs bene iuuantibus dicendo, idem expreßiſſe.* Eſt *autem locus* Homeri λ. ι. σὺν θεῷ εἰλήλυθμεν. *ubi uetuſtam declarationem hanc legimus,* τῶν λόγων τὸ ὑψηλὸν τῇ θείᾳ ῥοπῇ λύει, ἔστι δὲ ὅμοιον τῷ, πειθόμενοι τεράτεσσι. *quod non incommode hic adnecti poſſe iudicauimus.* Nollem *autem noſtros librarios perfecto puncto, quæ ſequuntur uerba ab his diſtinxiſſe. uerba enim quæ nimis contumaciter, niſi mitigata eſſent, dicta fuiſſent, hæc ſunt,* Efficietur *aliquid dignum nobis. quare nulla ratione ea ſeparare conuenit.*

Ibidem *Tua mihi ualde moleſta eſt)* Inane *ſpatium Græca quæ deſiderabatur, uoce repleuimus, quæ in uetuſtioribus codicibus integra eſt. dicit igitur ſe ualde perturbatum, quòd audierit*

audierit eum δυσουρίᾳ uexari: ſic enim Græci morbũ illum appellant, cum ægre lotium it: quem etiam aut ei non diſsimilem στραγγουρίαν uocant. nã hæc medici accuratè & minute ut ſuæ artis uocabula diſtingunt, quæ cæteri eius imperiti inconſiderantius tradunt. Ex illorum autem decretis diligentiſsime hoc docuit Marcellus Virgilius in ſuis in Dioſcoridem à ſe conuerſum eruditiſsimis annotationibus: qui igitur ſcire uolet, inde petat, unde & nos hoc hauſimus, & ſiquid in humanis literis & his politioribus ſtudijs ſcimus: eo enim doctore uſi ſumus & doctiſsimo & noſtri amantiſsimo. Latini urinæ difficultatem & ſtillicidium uocant. Quòd autem mederi iubet dum eſt ἀρχὴ, ad notiſsimum Græcum prouerbium alludit, quo traditur ἀρχὴν ἰᾶσθαι πολυλώιον, ἢ ἐτελευτὴν eſſe.

Septem præterea coniunctæ lecticæ amicarum, hæ ſunt amicorum) Non parum mihi ſuſpectus eſt hic locus. nam & in antiquiore noſtro codice uox illa HAE, *non legitur: & multa obſcuritas præterea uerſatur, niſi uulgari, & expoſito ſenſu contentus ſis, qui mihi parum ſatisfacit.* 295

Ego uerò uehiculo ſi nauis non erit, &c.) Ego puto hunc locum peruerſum. præter enim quàm quòd ualde diuerſam ueterem lectionem repperi: quî poteſt hic uſus eſſe uehiculi, cum trans mare eundum eſſet? ſed alijs etiam de cauſis ualde inſulſa hæc mihi uidetur lectio. ſiquem tamen ea delectat, is ſuum iudicium ſequatur, noſtrum ſpernat: antiqui codices ſic habent, EGO VERO VELLVNT RIDICVLO SI NAVIS NON ERIT, *&c.* Ibidem

De itinere & de ſorore quæ ſcribis moleſta ſunt) Antiqua lectio DE ITINE. *Nos,* DE IVVENE *caſtigauimus, ſic enim ſæpe appellat Qu. Filium, ut cum inquit,* 296 in prin.

quit, Vellem ſuſcepiſſes iuuenem regendum. & alijs multis locis: ut intelligat de ſimultatibus, rixiſque quibuſdam inter eum, & matrem Pomponiam Attici ſororem: nam in matrem etiam parum pium hunc fuiſſe, ex multis locis colligitur: ut lib. XIII. *cum hæc ipſius uerba recitaſſet, Ita minus multum unà erimus, nam ego iſtam domum uidere non poſſum: qua de cauſa, ſcis. Poſtea Cicero ſubdidit, Hanc autem cauſam pater odium matris eſſe dicebat. De hac re (niſi fallimur) non multo pòſt ſic loquitur, De ſorore laudo: de Qu. puero datur opera, ſpero eſſe meliora, ſed hæc negotia obſcure dicuntur, quia ille hæc domeſtica uulnera, quantum poterat tegebat, ne in uulgus emanarent.*

296 *Sed ſi mihi quæ in hac mea fuga)* Veteres codices, SED SI MIHI QVAE AXIVS IN HAC, &c. *emendauimus igitur Qu.* Axius. Nam *infinitis locis ubi Q. eſſe debebat,* QVAE *inuenimus: quod eo factum exiſtimo, quia librarij cum primam literã eius nominis (quam ſolam ueteres ponebant, cum Quintus ſignificare uolebant) in exemplaribus inueniſſent, interpretari uoluerint, utq; accidere par erat imperitis hominibus,* QVAE *ſignificare crediderint, itaque ſcripſerint. qua alia cauſa hoc tam frequenter erratum accidere potuerit non uideo: omnino enim peccatum eſſe puto.* De *Q. hoc* Axio *quòd ſibi deberet, non multo pòſt agit,* Axius *de* XII. *milibus pudens.*

Ibidem *Cum audio exilio ſe urgeri)* Quis *non uideat, qui diligenter attenderit* EX ILLO *legi debere, ut ſint duæ orationis partes, non exilio? nam ſuprà etiam* CETERI, *ubi (ceteris) erat, caſtigauimus, ut ſit ſenſus,* Si *alij etiam quibus debent, ad tempus reſpondere non poſſunt, utuntúrque*

excuſatione

excuſatione temporis, ſoleo mirari cum audio ex illo ſe urgueri de neſcio queis H-S XX, *&c. Omnino excuſat fratrem, quòd pecuniam quam Attico debebat, non ſolueret. cum enim ſæpe ſecum queſtus eſſet frater de illo, quòd nulla publicæ difficultatis habita ratione nimis ſe urgueret, ſe hoc mirari dicit Cicero, non enim deeſſe Quinto uoluntatem, eſſéque à quo ſoluat, ſed pecuniæ anguſtijs illum impediri. Hanc eandem rem tractat iterum hoc in libro his uerbis, De Qu. Fratre ſcito eum non mediocriter laborare de uſura: ſed adhuc nihil ab Egnatio expreßit. Lib. autem* VII. *longius totam rem explicat, quo etiam loco fratrem accuratè defendit.*

Vulteium mihi amicum, ut ſcribis, ita puto eſſe) Hæc ultima pars epiſtolæ ualde corrupta erat, & deminuta: eam nos reſtituiſſe nobis uidemur adiuti ab eiſdem codicibus: primóque pro VVLTEIVM, *Vectenum fecimus autoritate priſcorum exemplariorum, ut ſit ille, de quo antea meminit, & ad quem ſe ſtomachoſe ſcripſiſſe dicit, cum ioco tamen familiari. Vbi autem* θυμικώτερον *erat,* ἀποτόμως *poſuimus: idque Græcum nomen in ſpatium, quod paulò infrà uacuum erat, tranſtulimus. Sed antequam ad alia ueniamus, hæc explicemus. Cicero pecuniam debebat Vecteno: quam cum ille ſibi ſolui uellet, literis eum admonuerat, ut Ciceroni uiſum eſt, nimis acerbè & aſperè. ægrè igitur tulit hoc Cicero, reſcripsítque ad eum cum ſtomacho, accuſauítque hominem quòd ſecum de illo negotio tam inhumaniter egiſſet, permixtis tamen iocis quibuſdam, ut ſolebat. Operam dabat Atticus ut eos reconciliaret, & (ut coniectari poſſumus) leuiter Ciceronem reprehenderat, quòd tam ſtomachoſe ad eum reſcripſiſſet. id ex alio loco colligimus, quo Cicero ſe purgans cum Attico dicit, Reſcri-* 297

pſi ei ſtomachoſe, ſi uis. quaſi diceret, mihi ſanè non uiſus ſum, ſed quoniam tibi uideor, fac me ſtomachoſe ſcripſiſſe, cum ioco tamen inquit familiari. De hac re iterum nunc agit: narrátque originem, cauſámque inimicitiarum, Eram, inquit, illi aliquantulum iratus, quòd ad me præciſe, & duriter ſcripſerat, de numis curandis: quare ad eum reſcripſeram accuſans eum de hac iniuria mixtis expoſtulationibus iocis, ut non ille grauiter & iniquo animo ferre hoc debuerit: quod tamen ſi aliter ac debuit acceperit, lenies. Hanc eſſe ſententiam horum uerborum puto. Suſpicari autem licet Germanos conſimiles noſtris characteras in ſuo antiquo libro inueniſſe: nam uocem quandam reſtituerunt, quæ retinet quiddam ſimilitudinis cum noſtra: nam principium eius, & extremitas conueniunt, media diſſident. uoluerunt omnino illi uocem quæ aliquid certi ſignificaret, ponere, nec ueram, & ingenuam inuenere. Nullo magis proprio uerbo ad id quod uolebat exprimendum uti poterat Cicero, quàm eo quo uſus eſt: quod & ex ui ipſius intelligitur, & exemplo Plutarchi in Craſſi uita manifeſtum eſt. nam cum tradat Craſſum amicorum anguſtias ſuis opibus ſæpe ſubleuaſſe, pecuniáſque ſine fœnore illis commodaſſe, cum præteriiſſet tamen tempus quod ſumptum eſſet, ſolitum illum inquit, eas repetere ἀποτόμως: quod moleſtius ſæpe nonnullis erat (cum tam ſubitò reddere cogerentur) quàm ſi uſura accepta commodius tempus expectaſſet. hæc eius ſunt uerba, καὶ τοῖς φίλοις ἐδάνειζεν ἄνευ τόκων ἀπῄτει δ' ἀποτόμως τοῦ χρόνου παρελθόντος εἰς ὃν ἐδάνειζεν καὶ τὸ προῖκα πολλῶν ἐγένετο τόκων ἐπαχθέστερον. eſt ἀποτόμως τραχέως, σκληρῶς. Demoſthenes in Erotico pro abſolutè & præciſe poſuit, cum inquit, τοῖς δὲ καλῶς φρονοῦσιν οὐκ ἐπακολουθητέον εἶναι τῇ τούτων

ἀπον

ἀπονοίᾳ μάλιστα μὲν ἐνθυμουμένοις ὅτι τῶν πραγμάτων οὔτε καλῶν οὔτε αἰσχρῶν ἀποτόμως ὄντων, ἀλλὰ παρὰ τοὺς χρωμένους τὸ πλεῖστον διαλλαττόντων ἄλογον μιᾷ γνώμῃ περὶ ἀμφοτέρων χρῆσθαι. Secundum autem Græcum uerbum, & elegans eſt, & ualde item huic loco accommodatum Polybius hiſtor. libro IIII. ὁ δὲ ἄρατος σχετλιάζων καὶ παροξυνόμενος ἐπὶ τῇ τόλμῃ τῶν αἰτωλῶν θυμικώτερον ἐχρῆτο τοῖς πράγμασιν ἅτε καὶ προϋπαρχούσης αὐτοῖς ἀλλοτριότητος ἐκ τῶν ἐπάνω χρόνων. Et iterum eodem libro, καὶ στρατηγὸς ᾑρέθη δορίμαχος ὃς παραυτίκα τὴν ἀρχὴν παραλαβὼν καὶ τοὺς αἰτωλοὺς ἀθροίσας μετὰ τῶν ὅπλων ἐνεβαλεν εἰς τοὺς ἄνω τόπους τῆς ἠπείρου καὶ τὴν χώραν ἐδῄου θυμικώτερον χρώμενος τῇ καταφορᾷ. Id eſt iracundius: nam θυμὸν iracundiam etiam Græcis ſignificare nemo eſt qui neſciat.

Monetali autem adſcripſi) Non ſolum ſic habent manuſcripti cuncti codices, ſed etiam maior pars excuſorum, ut non poſsim non mirari imprudentiam quorundam, qui ex MONETALI duo uerba fecerunt, & MONEO TALIA, &c. ſcripſerunt: quàm inepte, & peruerſe nihil attinet dicere: quæ tamen in cunctos recentiorum impreſsionum libros, ut bona, & neceſſaria emendatio tranſlata eſt: nos nihil mutandum à uetere ſcriptura cenſemus, ut ſit hoc in quo familiariter ſibi cum eo iocatus eſſe uidebatur: de quo nunc ſe purgat occaſionem ſibi illum huius rei dediſſe ſcribens, cum antè ad ſe proconſulem ſcripſiſſet. quod cum Cicero, ut ſe deriderct, ſcriptum ab eo eſſe interpretaretur, pariter titulo hoc illum repungere uoluit. In Monetæ autem Iunonis æde publicæ pecuniæ cudebantur. Cum igitur ille tam accuratè de nummis, & re pecuniaria ageret, Ibidem

à moneta monetalem appellauit, ſiue quòd alicui negotio præfectus eſſet quod ad monetam pertineret: hæ enim tam minutæ res certò ſciri nequeunt. planum tamen eſt hoc nomen parum honorificum eſſe, cum ut ipſi notam aliquam turpitudinis inureret, hoc illi exprobret. De Moneta *libro* VIII. *meminit, Ad Philotimum ſcripſi de uiatico: ſine à Moneta (nemo enim ſoluit) ſiue ab Oppijs tuis contubernalibus. Et in principio* VII. *Philippicæ: Paruis de rebus, ſed fortaſſe neceſſarijs cõſulimur* P. C. *de Appia uia, & de Moneta Conſules, de Lupercis Trib. pleb. referunt. Suetonius etiam in Cæſare Dictat. Præterea monetæ publicisque uectigalibus peculiares ſeruos præpoſuit. Necnon* T. *Liuius lib.* VI. *Adiectæ mortuo notæ, publica una, quòd cum domus eius fuiſſet ubi nunc ædes atque officina monetæ, latum ad populum eſt, ne quis patritius in arce, aut capitolio habitaret.*

297 *Sed ſatis lacrymis) Ferè in cunctis excuſis poſt hæc uerba ſpatium inane relictũ erat. Germani* παραθλ{τέον *ſcripſerunt, parum (niſi fallimur) ſincere. Noſter antiquior codex, ſi diligenter animaduertas, priſcos characteras* παραπλευτέον *habet: quod coniungi debet cum ſequenti clauſula, ſatis nota uoce, & quadrante ſentẽtia. Eſt etiam in Pandectis hoc uerbum de iudicijs. l. Hæres. §. Si quis. Et quaſi à uiatore emit, uel ab eo qui* παρέπλ{.

297 *Commeatum illum delectúmque habere cœpiſſe) Multò purgatior, & melior eſt antiquorum librorum lectio, qui pro* COMMEATVM *habent* COMMOTVM: *reliquáque, quemadmodum nos ſcripſimus, hoc ſenſu: ut Siculi ad Catonem concurrerint, orauerintque ut reſiſteret. Catonem autem commotum concurſu Siculorum (nec enim contemnenda erat tam præclara uoluntas, conſenſúſque prouinciæ)*

uinciæ) delectum habere cœpiſſe, id eſt milites ſcribere, quo præſidio inſulam tueretur.

Nam & inuicti & diligentes ſunt) Locus parum certus 298 in manuſcriptis libris: noſtri probatiores VICTI habent, quod proculdubio corruptũ eſt. Germani IVNCTI adnotarunt. inuictos cur appellet, non uideo. Nam etiam ſi Inuicti rectè dici poſſent, quid hoc ſigni erat, quòd Hiſpaniæ ſe contra Cæſarem fortiter defenderent? Quod autem iuncti ſint Hiſpanijs, nec uerum eſt, nec antiqui codices ita legunt. quærenda igitur accommodatior lectio, & uerior. Quod ſi coniectura hæc inueſtigare liceret, libentius VICINI legerem quàm Iuncti. Hoc tamen loco Germanicam, etſi non ualde probemus, lectionem accepimus. cum enim uno omnino modo ſcribendum foret, atque ipſi nihil certi haberemus, aliorum iudicio plus quàm noſtro tribuere uoluimus.

Odium autem recte animaduertis ſignificantium theatrum, &c.) Auxilio meliorum exemplariorum ita emen- 298 dauimus ut in noſtro libro ſcriptum uides: ut laudet acumen Attici, qui bene animaduerterit odium eſſe ſignificatum theatro, id eſt homines, qui in theatro erant, ſigna quædam dediſſe quod odio Cæſarem proſequerentur percurrit enim difficultates quas habebat Cæſar. Sequenti autem etiam epiſtola de duabus legionibus alienatis loquitur, *Qui etiam de duabus legionibus luculentos autores eſſe dicebat.*

Modo aliquid hoc ſit) Duobus his uerſibus tria inania 299 ſpatia aut relicta erant, aut laceris, & peruerſis dictionibus repleta. A nobis ſi alterum Græcum uerbũ primæ partis corrigere potuiſſemus, præclarè (niſi fallimur) hic locus reſtitutus eſſet: quod tamen antiquis literis formatis, quale

in antiquis inuenimus, omnibus expoſuimus, ut unuſquiſq; in eo laboret, donec eo etiam membro hæc poſtrema epiſtolæ pars ſanetur. Magna autem contentio erat apud priſcos an uirtus doctrina acquiri poſſet. Plutarchus ſcripſit commentariũ hoc titulo, ὅτι διδακτὸν ἡ ἀρετη. *Eſt etiam Platonis dialogus in non legitimis, tamen eius autoris numeratus, qui eandem diſputationem continet. Philoponus in commentarijs in primum poſteriorum Analyticorum, argumentis concludere conatur* ὅτι διδακτὴ *uirtus eſt. Omnino de nulla re tam crebra mentio. Ipſe Cicero in Topicis his uerbis hanc quæſtionem complexus eſt, Vt cum quæritur, natura an doctrina, poßit effici uirtus. Horatius quoque ad hanc diſputationem alluſit, cum inquit in epiſtola ad Lollium, Virtutem doctrina paret, naturáne donet. Erat autem ſententia Stoicorum uirtutem eſſe* διδακτὸν. *quod Plutarchus ex Homero oſtendere uult illos hauſiſſe cum dixit,* ἔστι τῶν στωϊκῶν φιλοσόφων δόγμα καὶ τὸ, διδακτὸν εἶναι τὴν ἀρετὴν ἔχουσαν μὲν ἀρχὴν τὴν εὐγένειαν ὃ καὶ ὅμηρος φησί. τοίου μὲν πατρὸς ὅκειν πεπνυμένα βάζεις. *Alibi quoque quod Græci* ἦθος, *indolem Latine uertit Cicero. nam cum hæc Platonis uerba ex Phædro interpretaretur,* ἔτι δὲ ἤθη γεννικοτέρῳ κεκρᾶσθαι, *ſic dixit in Oratore, Præterea ad uirtutem maior indoles. In libro autem de uniuerſitate, ſtatum uertit, cum ex Timæo locum hunc exprimeret,* καὶ ὁ μὲν δὴ ταῦτα πάντα διατάξας ἔμενεν ἐν τῷ ἑαυτοῦ κατὰ τρόπον ἤθη, *Atque is quidem, qui cuncta compoſuit, conſtanter in ſuo manebat ſtatu.*

299 *Poteris me de miſerijs) Si hanc lectionem probas, Eripere, aut ſimile uerbum intelligere neceſſe eſt. ualde autem diuerſa antiqua ſcriptura, non tamen adeo incolumis, ut perfecta*

perfecta inde ſententia elici poßit: quæ tamen pars eius integra eſt, non diſplicet. nos recepta lectione conſeruata (quæ tamen mihi aliquantulum ſuſpecta eſt) quid in melioribus exemplaribus inuenerimus, notum facere uolumus. ſic enim in illo legitur, POTERIS NE DEMISERIS, ut huiuſcemodi ſententiam innuat, Si igitur aliquid ad ſpem poteris, ne dimiſeris. nec enim in uulgata lectione mihi ſatis probatur hic ſenſus, Scribes aliquid mihi ad ſpem: quod ſi diligenter feceris, poteris me de miſerijs eripere. nec enim ſpes ſola alicuius boni euentus ſatis eſt ad extrahendum aliquem ex miſerijs. Quare niſi ueterem ſcripturam contemnis, & nouam mendoſiorem putas, ſuſpicandum eſt in antecedentibus dictionibus uitium eſſe: quod tamen ubi ſit non perſpicio. Sanè in iiſdem libris ALIQVAM ſuperius, ubi in cunctis excuſis ALIQVID eſt, legitur: quod tamen deprauatum putauimus, receptæq; lectioni maiorem fidem habuimus: nam & alibi ſic loquitur Cicero, ut in XI. lib. Semper enim adferunt aliquid mihi tuæ literæ.

Tu Antonij leones pertimeſcas caue) Quod audierat (aut uiderat fortaſſe) Atticus M. Antonium curru, rhedáue leonibus iuncta uehi ſolitum, ualde timebat. Erat enim id ei argumentum feri, & immitis animi. quare conſolatur eum Cicero, iubétque ponere timorem, ſignis quibuſdam, iners Antonij ingenium, uoluptariúmque declarans, & ab omni crudelitate conſilia eius abeſſe docens. falſus eſt enim diu in Antonij moribus naturáque iudicanda Cicero: cum etiam lib. XIIII. ſic de illo loquatur, Odorare tamen Antonij διάθεσιν, quem quidem ego epularum magis arbitror rationem habere, quàm quicquam mali cogitare. Superbiam hanc, & arrogantiam eius plures hi- Ibidem

ſtoriæ ſcriptores tradiderunt, quòd iugo ſcilicet primus leones ſubdiderit, ad currúmque iunxerit. Sed Plinius libro VIII. *cap.* XVI. *egregiè, & luculenter hanc rem tractat. Quare orta mihi ſuſpicio eſt locum in* II. *Philippica mendoſum eſſe, cum inquit, Sequebatur rheda cum lenonibus: comites nequiſsimi: reiecta mater, amicam impuri filij tanquam nurum ſequebatur. Pro lenonibus enim, leonibus legendum exiſtimo plurimis coniecturis ductus: nec enim ueriſimile eſt in tam longa oratione hoc non aliquando exprobraſſe illi Ciceronem, qui omnia eius facta, quæ culpari poſſent, accurate perſecutus eſt: & quia hoc in oculis omnium geſtum erat, ſatis ei fuit rem in memoriam eorum qui audierant, reducere, nec opus fuit pluribus uerbis exagitare: nequis miretur Ciceronem tam improbum facinus uno tantum uerbo indicatum pertranſiſſe. Rhedæ autem ab animantibus trahebantur, ut intelligitur ex multis locis, uno in his epiſtolis lib.* VI. *cum inquit, Hic Vedius uenit mihi obuiam cum duobus eſſedis, & rheda equis iuncta. Præterea quæ ſequuntur uerba, Comites nequiſsimi, lenones, aleatores, & huiuſcemodi homines, complectuntur quos ſecum habebat: ut non debuerit lenones ſeparatim ponere, aut eodem caſu inferre oportuerit Comitibus nequiſsimis. Poſſemus & alia non leuiora argumenta adferre, quæ noſtram opinionem confirmarent: uerumiſperamus diligentem lectorem per ſe ea cogitaturum.*

Ibidem Attende ἀρχὴν πολιτικῶ) *Nos ex noſtro antiquiore libro* πρᾶξιν *potius legimus: qua uoce non ſemel in his epiſtolis utitur: & cuius ſignificatus, melius mihi huius loci ſententiæ quadrare uidetur, quàm eius nominis quod deleuimus.*

Ibidem. *Puella eius, &c.*) *Hic locus ineptè (niſi prorſus omni*

mni iudicio orbatus ſum) antè legebatur, auxilio ego meliorum codicum AD VILLAM EIVS, caſtigaui. Venire autem ad uillam, ſermo eſt ab eo uſurpatus. ut in penultima huius libri epiſtola, *Cum ad uillam ueniſſem, &c.* Intelligo autem notis illis, Ad horam tertiam, non Ad horas treis: ut oſtendat inertiam Antonij, qui ad quartam diei partem ſomnum duceret. ſic enim antiqui horas diei numerabant. Ferè autem ſemper in antiquis libris, cum horam ſignificare uolunt, H. inueni: quod cum nonnulli ſæpe non intelligerent, aut omiſerunt (ut in fine epiſtolæ cuiuſdam ad Tironem: ſic enim in priſcis illis exemplaribus quæ apud me magnæ autoritatis ſunt, legitur, Etiam atque etiam uale. III. Idus. H. III.) aut deprauarunt, ut lib. XIII. harum epiſtolarum, Cum Balbo autem puto te aliquid feciſſe H. in capitolio, &c. Excuſi autem antea pro H. ridiculè H S. habebant.

Videlicet aliquid atrocius, &c.) Nos totum hunc lo- 299
cum ad ueterem ſcripturam reduximus: illud autem VIDELICET ita dictum puto, ut adfirmet id, de quo prius dubitauerat, Antonium ſcilicet parum certa fide ſecum agere. ut hæc ſententia ſit horum uerborum, intellectis etiam illis quæ ipſe per ἀποσιώπησιν reticet: uidelicet, Antonius fallere me cogitat: ſignum enim eſt parum amici animi, quòd ad me ne nuncium quidem miſerit: poſtea autem ſi hoc non eſt, ut de eius fide, & beneuolentia timendum ſit, cum conſiderarit quid eſſe poſſit quod ad ſe non acceſſerit, interpretatur ob id accidere potuiſſe, quòd cum ipſi aliquid atrocius à Cæſare imperatum ſit, coràm ſibi negare noluerit. Miratur igitur Cicero tam ſubitam in Antonio mutationem: cum enim antea ualde ipſum obſeruaſſet, repentè omnia in illum officia deſeruit: quare indicat aut parum

ſine

ſincero animo illum anteaſecum ſe geßiſſe, aut pudore deterritum ad ipſum non acceßiſſe, ne cogeretur ſibi coràm negare, quæ commodare nequibat.

300 Te quoque à Curio impediri uideo) Vetera exemplaria A CVRTO, quemadmodum etiam prius. Nos (à Curtio) caſtigauimus, ut intelligat eundem Poſthumum Curtium, de quo antè longius egimus. Omnino hoc nomen ſæpius Curtus eſt, quàm Curtius in manu ſcriptis codicibus, ut adhuc magis in eam opinionem ducebar, locum illum in IX. lib. ſic legi debere, Hæc qui in mea uilla non feram, Curtum in Curia potero ferre? non diſſecta uoce in duo monoſyllaba CVR TVM, ut in impreßis ſcriptum eſt: de quo loco alibi etiam diximus.

Ibidem Etſi ut opinor habes.)Hic inane ſpatium relictum erat. Germani ἐκ τῶν ἀγώνων repoſuerunt: alij ἐκ τῶν πλειόνων. nulla tamen mihi harum caſtigationum ualde probatur. Fatemur quidem antiquos characteras non parum peruerſos eſſe: ipſi accuratè antiqua ſcriptura conſiderata ſcripſimus, SCYTHA ὄνον. O VITAM MISERAM, &c. ut alludat ad prouerbium notum σκύθης ὄνειον δαῖτα, uel σκύθης ὄνον, nam ultima pars incolumis eſt in antiquis exemplaribus: etenim ONON O VITAM, &c. in illis planè legitur. in priore uerbo potius aliqua peruerſio eſt. Quod rectius nobis uiſum eſt, & antiquæ lectioni uicinius, id ſecuti ſumus. quod ſicui noſtra hæc caſtigatio non ſatisfaciet, ſciat ne nos quidem illi penitus confidere: ea enim ſola certa putamus, quæ in antiquis monumentis integra inuenimus.

301 Hæres Philotimi) Cum manu ſcriptis libris EROS legimus: éſt autem ſerui nomen, cuius ſæpe mentio facta eſt, quique rationes pecuniæ adminiſtrabat. Putamus etiam

tiam in ſuperiore uerſiculo mendum eſſe: ideóque nota illi, quæ maculam indicet, appoſita eſt: penitus autem locum, quemadmodum in antiquioribus libris inuenimus, deſcripſimus.

Qui etiam Antonium confirmaſſe dicitur, &c.) *Ante hunc locum uerba quædam Græca ex melioribus libris, præcipuéque ex noſtro uetuſtiore reſtituimus: quæ & plana ſunt, & huic loco ualdè accommodata. Exclamat autem contra ipſum Seruium, qui parum generoſe, & ingenuè ſe gerebat, ut etiam eò deſcenderit, ut Antonium per ſe in eam ſententiam inclinatum confirmaret, ne ſe ſineret ex Italia diſcedere: ut ipſe honeſtius, minoréque infamia remaneret, comite ſibi adiuncto Cicerone.* Ibidem

Me uerò adiuuarent ijs in anguſtijs ſeductos) *In poſtrema hac uoce mendum erat: nec etiam ueteres codices ea parte ſatis purgati, & integri: eam autem retinet lectionem, ut non manifeſto intelligatur quomodo legendum ſit. Eſſet enim obſcurus locus per ſe ſua breuitate, etiam ſi non inquinatus, & deprauatus foret: nunc addita ad eam, quam ſecum habent obſcuritatem certæ lectionis ignoratione, omnia plena erroris & tenebrarum. Ipſi dum aliquid certius meliorum librorum auxilio inueniatur, eam ſecuti ſumus lectionem quæ minus ab antiquis ueſtigijs recedit: id enim, aut ſi fortè alicui magis placeat,* SED DI ISTOS, *ex priſca ſcriptura elicitur, ut intellecto uerbo aliquo, Deos illis aduerſos eſſe eum cupere intelligatur.* 302

Ego dum naues, & cætera parantur) *Melior (niſi fallor) antiqua lectio. Naues enim iam antè parauerat: nondum tamen omnia quæ ad nauigandum neceſſaria erant, prouiderat: quæ dum comparantur, ut fugæ ſuſpicionem minuer* Ibidem.

minueret, ſe in Pompeianum excurrere uelle nunciat.

Ibidem. *Hæc mecum Mignius noſter*) *Veteres codices* NINNIVS *habent, quæ uera eſt lectio : intelligit enim L. Ninnium Quadratum, quem collegam Clodij in Tribunatu ualde amicum habuit, rerúmque ſuarum defenſorem. antè de hoc plenius locutus ſum.*

303 *Et ne dum morbum remouiſti*) *Ipſi ut in manu ſcriptis libris inuenimus*, ET NOVVM MORBVM *legimus, ea ratione dicendi, quam multis locis ex antiquis libris Ciceronem uſurpaſſe cognouimus, & aliàs notauimus à Græcis maximè autoribus acceptam.*

304 *Tullia mea peperit puerum, &c.*)*Hic locus antea mancus erat : nonnulla enim deerant, quæ ex antiquiore noſtro libro repoſuimus : nec enim mentio erat diei, quo peperiſſet : quem addimus, & omnino totum locum elegantiorem, & perfectiorem reddidimus.* ἠυλόχευσεν *tamen perperam pro* εὐλόχευσεν *in noſtro ſcriptum eſt. quis enim neſcit diphthongum illam nullam auctionem temporis ſuſcipere? lætatur Tulliam facilè peperiſſe : quamuis plenum gaudium, imbecillitate eius quod natum eſt, non fuerit.*

304 *Furias nunc ſequimur*) *Locus adeo obſcurus, ut ab eo ita, ne ab alienis intelligeretur, de-induſtria prolatum exiſtimem. ego* FORMIAS, *ut in melioribus libris inueni, ſcripſi : quamuis hæc immutatio non aperiat ſententiam quæ tecta eſt. in re tam incerta cur non potius antiquæ ſcripturæ fidem habeam, quàm nouæ, & fortaſſe inquinatæ ab aliquo qui omnino hinc uellet aliquam ſententiam eruere: & hanc ex ſequentibus uerbis, ubi de furijs ſermo eſt, excogitauerit? Etſi in eiſdem libris numero potius unitatis,* EADEM NOS FORTASSÈ FVRIA *legatur: uerbum tamen quod ſequitur, multitudinem præ ſe fert, & in pri*

in prioribus uerbis poſtulat, ut aut mendum aliquod inſit, aut ſeptimo, & non primo caſu, ſuria accipi debeat. nihil igitur adfirmo: omnia autem nota facere uolui, qui eum, qui ueræ lectionis reſtituendæ ſollicitus ſit, iuuare poßit.

EX LIBRO VNDECIMO EPISTOLARVM AD ATTICVM.

Ex multißimis, & miſerrimis curis) EX MVLTIS MEIS *auxilio meliorum codicum caſtigauimus: nam in noſtro antiquiore copula* ET *non legitur: & Germani etiam ſic in ſuo illo uetuſto exemplari legiſſe uidentur: ita enim & ipſi ſcribunt. Putamus autem hinc ortum eſſe, ut ex multis meis,* MVLTISSIMIS *ab imperitis librarijs fieret, quia non uno tantum loco in priſcis exemplaribus pro meis* MIIS *ſcriptum inuenimus: ut libro* XIII. *Et ſis in tuis multo minus diligens, quàm in mijs. Et in epiſtola ad Catonem, Nihil poteſt eſſe laudabilius, quàm ea tua oratio, quæ eſt ad me perſcripta à mijs neceſſarijs. Scimus autem eruditos uiros, & Ciceronis præcipuos imitatores hac uoce uſos eſſe, cuius hoc unum tantum exemplum apud hunc optimum autorem arbitramur illos habuiſſe: quod ſi corruptum fuiſſe conſtabit, uideant illi quomodo Latinitatem ſuam tueantur. eos tamen non facilè exiſtimare poſſumus in culpa eſſe.* 306

Iſta quam ſcribis abruptio) Locus (niſi fallor) mancus, deprauatúſque. Quod autem alij ſcribunt, ISTA RE QVAM SCRIBIS ABRVPTA: *non eſt in manuſcriptis libris. quare nouum puto, ab illiſque excogitatum, ut deminutam lectionem ſupplerent. in antiquiore noſtro codice* ABRVPTO *legitur: quod adhuc magis* 307

confundit, nedum locum inluſtret, aut explicet. Nihil in *tantis peruerſionibus permutare tutum eſſe arbitratus ſum: quare omnium manu ſcriptorum codicum ſcripturam cum multis etiam excuſis concordantem reſtitui, quamuis dimi-nutam eſſe iudicem.*

307 *Sit à me ut eſt)* Ita *omnes ferè & formis excuſi, & ma-nu ſcripti codices habent: quare ipſi quoque hanc eandem lectionem ſecuti ſumus: alij autem quomodo emendarint notum eſt.* Nos *ſi aliquid immutandum ſit (apud me) pro (à me) potius legeremus: qui modus dicendi apud Cice-ronem frequens eſt: ut ſit ſenſus,* Res *meæ eodem ſtatu ma-neant: nondum enim perſpicere poſſum quid maximè opus ſit: ſciam autem cum bellum tranſactum erit, ex cuius exi-tu quid mihi bonum ſit, rebúſque meis utile iudicare potero. & quod etiam magis mirum uideatur, exponit ſe omni-bus rebus egere: quare potius mutationem, quàm ſtatum ſuis rebus optare debuerit. Cum tamen omnia incerta eſ-ſent, citóque ſperaret poſſe elucere quid opus eſſet, in id tem pus uota ſua reſeruat.* Infrà *autem ubi* OPINOR, *antea legebatur,* OPINANTES *ſcripſimus, quod ex antiquio re noſtro accepimus.*

308 *Luctu ut poſſum)* Ipſe *ope antiquioris codicis,* HIC TVA *emendaui, in illo enim* LVCTVA *legebatur* Quare *facile fuit mendum in prima parte illius compa-ctæ ex duabus dictionis animaduertere, & tollere: ſen-tentia autem nunc tam clara eſt, & aperta, ut nulla egeat explicatione.*

Ibidem *Me conficit ſolitudo)* Solicitudo *habent uetuſta exem-plaria: quæ uera, & ingenua eſt (ut opinor) lectio.* Quod *autem tradit ex mœrore ſe in morbum incidiſſe, ut in ca-ſtris eſſe non potuerit, confirmatur id à* Plutarcho, *qui in ipſius*

ipſius uita docet illum in Pharſalica acie propter infirmitatem corporis non fuiſſe: ut exiſtimare poßimus hanc epiſtolam non multo ante, quàm prælium factum ſit, ſcriptam. Quod autem Cn. Pompeium *in magna ſpe fuiſſe dicit potiundæ uictoriæ, traditum eſt eum ex felici illa pugna quam fecit, ualde ſuis militibus confidere cœpiſſe, omnéſque illarum partium duces rem prælio committere properaſſe, in tantam ſpem uenerant: quod etiam paulo ſuprà hac in epiſtola* Cicero *quoque ſe ſperaſſe oſtendit, cum inquit,* Reliqua *non uidentur eſſe difficiliora.* Orationem autem aliter *pupugimus. nā ante* BRVTVS AMICVS, *punctum conſtituendum cenſemus. intelligit autem* M. Brutum, *quem enixe* Pompeianas *partes fouiſſe, in* Pharſalicóque *prælio contra Cæſarem pugnaſſe notißimum eſt.*

Quæ auerſißimo animo patris fuit) Hic locus *ualde antea corruptè legebatur: omnis autem error ex eo ortus erat, quòd infinitis locis in antiquioribus etiā codicibus* QVAE *pro Quintus ſcriptum eſt: hoc autem alibi etiam teſtati ſumus.* Patris *autem ſecundum caſum non eſſe à recto* PATER, *quis nō uideat? ſed aduerbialiter ſumptum locum ſignificare.* Patræ *enim urbs Achaiæ, in qua Q. Cicero pater manſit, ut ex multis locis colligitur, eíſque maximè uerbis quæ ex epiſtola cuiuſdam ad ſe miſſa* Cicero *in epiſtola ſua includit, his inquam,* Etſi *ego (ut in malis)* Patris *ſum nō inuitus, eſſem libentius. ſi frater tuus ea de te loqueretur quæ ego audire uellem.* Hoc autem *cognito, & reſtitutis ex manu ſcriptis libris* A ME, *quæ deſiderabantur, omnia perſpicua ſunt.* 309

Quos ego nō pauliſper:) Valde *uereor ne locus hic corruptus ſit: cum tamen nihil certi occurreret, eandémque penitus in antiquioribus ſcripturam inuenerim, nihil mutare* 310

A *auſus*

auſus ſum:ſuſpicionem tantum meam notam facere uolui.

313 *Quod ſcribis efflagitare:)* Meliores libri TE FLAGITARE *habēt:quare nos,* TERENTIAM FLAGITARE *ſcripſimus.animaduertimus enim plurimis locis eius nominis primam tantum ſyllabam totum nomen ſignificare:ſæpe autē de ea agit,uerum ſemper obſcurè,quemadmodum ſolet domeſtica negotia tractare.*

314 *Furnius eſt illic mihi inimiciſſimus,qui miſit filium:)* Veteres codices pro QVI *habent* QVAE. *Nos igitur* Q. *ſcripſimus,ut intelligatur* Q. *Cicero pater filium miſiſſe ad Cæſarem:nam de Furnio qui illic erat,loqui nō poteſt:ſi enim cum Cæſare erat,quomodo ad eum filium mittere poterat?præterea qui diligenter conſiderabit,manifeſtò uidebit ex inferioribus uerbis de fratre ſermonem eſſe.*

314 *Noſti genus huiuſmodi hominum:* Poſtremæ duæ uoces *ideo deletæ à nobis, quia in nullis manu ſcriptis inuentæ ſunt,importunas igitur eſſe iudicauimus.intelligi autē arbitramur,ſermonum,& maledictorum. Quo crebro genere* Q. *ipſe utebatur etiam in coniunctiſſimas ſibi perſonas.id autem omne in ſe nunc conuerſum eſſe dicit* M. *Cicero:ita enim legimus ex ueteribus codicibus,In me id eſt omne conuerſum:nō ut antè in peruulgatis libris ſcriptum erat,Id eſt omne illud uirus ſuæ acerbitatis à* Q. *in me effuſum eſt, quod conſueuerat in multos ſpargere.*

316 *Ex his quæ de* Q. *Fratre ad me adſeruntur:)* De Q.Q. *habent ueteres libri,id eſt de Quintis:ut intelligat Cicerones patrem & filium.ſic etiam ſcripſimus in titulo quodam epiſtolæ ad Tironem,quod ex Mediceo libro accepimus, Tullius,& Cice.&* Q.Q. *Tironi Sal plur.dicunt.*

316 *Et alienata alia:)* Nos Italia *ſcripſimus:id etiam antea Germani animaduerterant.Quòd autem non multò infrà*

Ne int

Ne intermittas, legebatur, nos VT INTERMITTAS
ſcripſimus cum antiquis libris: nihil tamen mutata ſenten-
tia. nam VT *ſæpe pro* NE *ponitur: quemadmodum in epi-*
ſtola ad Caßium, In mea poteſtate ut ſit ſpectrũ tuum. Item
ad Cornificium, Non enim dubitabam quin eas libenter le-
cturus eſſes: uerebar ut redderentur. ſic enim habet optimus
ille codex Mediceæ familiæ. Et hoc ipſo in libro, Accepi
enim à te literas, quibus uideris uereri ut epiſtolas illas ac-
ceperim, quas quidem uellem nunquam mihi redditas. Sed hu-
ius locutionis tam multa exempla paßim obuia ſunt, ut
hæc non neceſſaria fuerint.

Qui nondum cognoſceret) Legimus cum antiquis codi- 317 *in fi-*
cibus, COGNOSSEM. *Qui nondum planè, inquit Cice-* *ne, & in*
ro percepiſſem quæ de me Q. ſcripſiſſet ad multos: quamuis *prin. ſeq.*
multa præſens in præſentẽ acerbe dixerat, & fecerat, tamen
literas his uerbis ad Cæſarem ſcripſi. Quæ infrà poſuit: per
L. *enim (literas) intelligimus: poſt quam literam titubant*
antiqui codices, ut mendum omnino in primis uerbis poſt
eam eſſe putem. eſt autem adeo peruerſa antiqua lectio, ut
nihil ex ea boni elicere potuerim: locúmque ut in uulgatis
omnibus eſt, relinquere ſatius eſſe putauerim, quàm inqui-
natam ſcripturam magis contaminare.

Quod me audis erectiorem eſſe animo) Nos FRA- 318
CTIOREM ESSE ANIMO, *caſtigauimus. contra*
rio enim penitus ſenſu antè legebatur. putamus autẽ anſam
huic errori dediſſe, quòd ſæpe E *pro* F *poſita eſt, & con-*
trà: ſed de hoc aliàs locuti ſumus. Præclaras autem generi
actiones, credimus eum ironicè dixiſſe.

Duco enim Curionem fuiſſe ſimplicem) Veterum codi- *Ibidẽ in*
cum autoritatem ſecuti, PVTO ENIM CRETIO- *fine.*
NEM SIMPLICEM FVISSE, *ſcripſimus. Quid*

autem ſit Cretio, & quid Cernere hæreditatē: ſatis iam notum eſt. Cicero his uocibus ſæpe uſus eſt.

319 *Iis quemadmodum flatu uidebis*) Nos pro, FLATV, FIAT, *legendū eſſe ſuſpicamur: ut ſiue ultima uocali abundante* FIAT, VIDEBIS *legatur: ſiue antecedente conſonante conduplicata* FIAT, TV VIDEBIS: *uidendum tamen adhuc eſt accuratius an in ſuperioribus illis uerbis mendum ſit.* Neque *tamen mihi deſperaturi ita uidebamur: nam & per ſe mihi ſuſpectus locus eſt, & in antiquioribus* VIDEBANTVR, *non* VIDEBAMVR, *legitur: ipſi tamen uulgatam lectionem conſeruauimus.*

321 in princ. Q*uam uidere, ſi ullo modo poteſt res enim, peruellem:*) *locus adeo corruptus, & lacer, ut ſine meliorum librorum ope nullo pacto corrigi queat. unum non ſignauimus, quod in ueteribus quos habuimus exēplaribus eſt:* POST *enim, non* POTEST *in illis legitur. reliqua cōcordant cum noſtra hac ſcriptura: ſunt tamen adeò perturbata, ut nihil perverſius, inquinatiúſque eſſe poßit.*

324 *Itaque Aemathiam cum* [illegible]*imum, &c.*) Locus *hic totus ita deprauatus eſt, & mancus, ut nullus ſenſus inde elici queat. in tantis igitur tenebris lucem uidere non potuimus, ideóque locum, ut in manuſcriptis libris inuenimus, cōſeruauimus, qui eandem ferè lectionem habebant quam excuſi & uulgares. notam quam ſolemus, hic adpoſuimus, quæ locum mendoſum indicet.* Antiquior *noſter codex* EMATIAM *habet: in quo uno à noſtro impreſſo diuerſus eſt, in reliquis conſentiunt.*

Ibidem *Ne profectum quidem illò quenquam poſt id. Mart.*) Antiquior *codex* ILLI *habet, ut* ILLIM *legendum putem pro illinc: quo aduerbio ſæpe uſum eſſe Ciceronem ex antiquis libris cognoſcimus: quemadmodū obſeruauimus etiam*

ISTIM

ISTIM *pro iſtinc multis locis eundem protuliſſe.nā illi, pro illic & Terentius,& Vergilius uſurparunt,quemad= modum alibi adnotauimus.& ſanè uerißimilius eſt illim,id eſt ex Alexandria,legi debere:quàm illò,id eſt in ea loca ad Cæſarem:ex multis enim regionibus ſingulis diebus com plures ad Cæſarem proficiſcebantur:nec tantopere adfirma re poterat nullos ad eum profectos,quàm neminem ab eo in Italiam ueniſſe.*

Nullam putāt ſe commoraturam:) *In omnibus ferè ma= nuſcriptis,& impreßis codicibus* COMMOTVRAM *legimus: itáque prorſus legendum eſſe iudicamus. Opinio (inquit)eſt omnium nullam legionem ſe commoturam eſſe, nec uſquam iter facturam.quod etiam in ſequenti epiſtola confirmat his uerbis,currunt ad illum pulſi à militibus,qui ſe negant uſquam,niſi acceperint.uſquam,ſcilicet ſe com= moturos.Exercitum autem in Africam traijcere parabat,ut magnum illi impedimentum adferret conſenſus militum,qui niſi ſtipendium ſibi perſolutum eſſet,loco,in quo erant,ſe mouere nolebant.* 326

Negari quidem ſe paſſus eſt:) *Nos* NE ROGARI QVIDEM, *coniectura emendauimus.Statim(inquit)quæ cunque poſtulauit Q.Filius de patre impetrauit, ita facilè ut ne rogari quidem ſe paſſus ſit.Eadem ferè ſententia eſt in fine antecedētis epiſtolæ.ſic enim inquit, Quod ſcribis illum per me Q.fore placatiorem,ſcripſi ad te antea cum ſtatim Q.F. omnia tribuiſſe,noſtri nullam mentionem.* 327 in fi ne.

Sic rem difficilem eſſe,ſed ut malis:) *Sic omnes manu ſcripti habent:quam etiam lectionem retinebant cuncti ex= cuſi codices. Sed aiunt poſtea Beroaldum* VT IN MA- LIS, *emendaſſe dixerim,an corrupiſſe?ego ſanè uix poſ= ſum tot librorum conſenſum non probare:ſincerorem au-* 328

tem ſenſum elici puto, ſi receptam ſcripturam non permutes. nec enim MALIS nomen eſſe puto, ſed uerbum: ut hæc ſit ſententia horum uerborum, Scio rem difficilem eſſe: ſed dummodo uelis mihi obſequi, uinces omnes difficultates.

328 *Sed cum à nullo accepiſſem literas, deſideraui tuas)* Accidit hoc in omnibus rebus, ut arbitror, ut cum aliquē ſinceræ & ſpectatæ fidei ſæpe expertus fueris, non facilè poßis eum mendacem exiſtimare: hoc quoque mihi fortaſſe euenit in hoc meo antiquo libro. Nam cum eum multis locis fidelem animaduerterim, uix poſſe puto illum fidem fallere: & ob hanc cauſam ea etiam quæ non ſatis probo, haud facilè mihi perſuadere poſſum falſa eſſe: quemadmodum hoc: ſic enim ille ſcriptum habet, SED CVM A NILLO, &c. Quamuis enim receptam lectionem conſeruarim: non tamen adeo hanc prauam & ineptam iudico, ut eam notam facere noluerim: poſſet enim fortaſſe A NILO legi, ubi Nillo legitur. nam alibi in uetuſtis exemplaribus hoc nomen ſic ſcriptum inueni, corruptè ut arbitror: ſed nihil hoc refert. ſatis enim eſt oſtendiſſe antiquos librarios ſic quandoque ſcribere conſueſſe: rectè an perperam, nihil ad me qui eos in hoc non imitor. Quod ſi ita legeretur, poſſet intelligi de literis illis, quas Cicero à Cæſare dum adhuc Alexandriæ eſſet, accepit: ut ipſe tradit in oratione pro Ligario his uerbis, Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui cum hoc ſciret, tamen me antequam uidit, reipub. reddidit: qui ad me ex Aegypto literas miſit, ut eſſem idem qui fuiſſem. Vt dicat ſe magnopere deſideraſſe illis temporibus literas Attici, & uehementer admiratum eſſe eum ad ſe non ſcripſiſſe, cum propinquis in locis eſſet, & commodè hoc facere poſſet: Cæſar autem ad ſe

à Nillo

à Nillo uſque,& è remotiſſimis regionibus literas miſiſſet. Non facilè poteſt certum aliquid de hac re ſtatui:nam tota epiſtola mendorum plena eſt:& uitium etiam eſſe in ſuperioribus uerbis puto.

Hic plures locos ſtellulis ut deprauatos,mancóſque ſi- 329
gnauimus,& ſanè extrema pars huius libri ualde deminuta,& mendoſa eſt:nec codices,quos habuimus manu ſcriptos ipſi etiam integri,incorruptique manent,etſi minus, quàm excuſi inquinati ſunt:quæ igitur potuimus tuto caſtigare,libenter fecimus:reliqua ad fidem antiquorum,meliorúmque codicum reuocauimus.aut enim ex illis uera lectio quandoque excudetur,aut in perpetuum hæc loca iacebunt:multis enim partibus ita contaminata ſunt hæc uolumina epiſtolarum,ut uix humano ingenio reſtitui poſſe uideantur,niſi aliqua adhuc ſinceriora exemplaria in lucem prodierint.

EX LIBRO XII. EPISTOLARVM AD ATTICVM.

Quid garriat in ruſticatu) Nos meliorem,ſinceriorémq; 332
iudicauimus Germanorũ lectionẽ:quæ poſt GARRIAT punctata oratione, SIN RVSTICATVR, infert. ſcribere autem debuit Atticus ad Ciceronem quid garriat filia,ſi eam ſecum habuiſſet:quod ſi in aliqua uilla,& ruri eſſet,quid ad ſe ſcriberet? delectabatur enim Cicero garritu puellarique ſermone Atticæ,& eius ſuaui ingenio,quod in literis ipſius apparebat.

Nauis delatas in Vticam reflatu) Ex antiquis codici- Ibidẽ in
bus,L. nauis delata in Vticam,& cetera legimus.putamus fine.
autem

autem intelligere nauem L. Scipionis illius Cn. Pompeij ſoceri, quæ aduerſo uento in Africã relata eſt, in hoſtiumq; manus deuenit.

333 Τὶ γὰρ αὐτῶν μέλει:) *Dandi omnino caſu poni debet perſona illius, cui* μέλει, *id eſt qui rem aliquam curat, & cui negotium illud cordi eſt: quare* αὐτῷ *legi debet: ut Balbum nihil curare, tanquam ſua nihil interſit quid in Hiſpania geratur, dicat. Sic in Epigrammate Anacreontis,* οὔ μοι μέλει Γύγαο, τοῦ Σαρδίων ἄνακτος. *cum res de qua nihil ſolliciti ſumus, ſiue quam ad nos ualde pertinere arbitramur, & recto, & patrio caſu frequenter ponatur. Nam in uerſiculo illo Rinthonis comici, quem Cicero* II. *lib. ad Atticum adducit recto ponitur,* οἷς δ' οὐδὲν μέλει. *necnon cum præpoſitione* περὶ τούτου *dicitur: exempla adeò obuia, ut ea adiungere non neceſſarium putem: in noſtro autẽ libro uitio librariorum* τῷ *pro* αὐτῷ *factum eſt.*

Ibidem Ego fruct[illegible]a puto:) *Obſcuriſſimus locus eſt & uerbis & ſentẽtia. Sitne autẽ mendum in dictione* FRVCTVM, *alijs iudicandum relinquo: nobis certè non parum ea uox ſuſpecta eſt, nec tamen deprauatam eſſe aſſerimus, ne omnia in dubium uocare uideamur: manu ſanè ſcripti codices nihil à uulgata lectione diſcrepant.*

333 *Vnum te puto minus Blandum eſſe, quàm me:)* Hæc *epiſtola ualde lacera, & contaminata eſt: inuenimus autem antiquiores codices non multo integriores: quæ igitur illorum auxilio corrigere potuimus, reſtituimus. reliqua ad meliorum codicum fidem deſcripta alijs emendanda relinquimus: nec enim ulla ratione quomodo tam peruerſa ſcriptura melior reddi poſſet uidimus: erat autem eadem hæc epiſtola in* XVI. *librum iterum inculcata, ſed ibi quoque non minus male habita.*

Angebar

Angebar enim quòd Tiro ἐμβριθέστερον te ſibi eſſe uiſum dixerat:) Magnum mendum in Græca uoce hic locus continebat. quomodo enim potuiſſet Cicero angi quòd Atticum ἐμβριθέστερον eſſe à Tirone audiſſet? ἐμβριθὴς enim grauem ſiue fortem & στερρὸν ſignificat, à quo nomine ſecunda collatione uox illa formatur. Hippocrates in epiſtola ad ſenatum Abderitarum de Democrito loquens, πυνθάνομαι γὰρ αὐτὸν ἐμβριθέα καὶ στερρὸν τὰ ἤθεα καὶ τὸ ὑμετέρης πόλιος εἶναι κόσμον. Nos igitur ἐνερευθέστερον, quemadmodum eſt in noſtro antiquiore, ſcripſimus: quod etiam Germani adnotarunt im margine ſui libri. id eſt aliquantum rubrum, uel rubicundiorem: id enim uox ea ſignificat. Arguebat autem id febrim, aut morbi aliquid ineſſe: ideo Cicero dixitſe anxium ſollicitúmque de eius ualetudine fuiſſe. Cum autem literis Attici poſtea certior factus eſſet nihil incommodi adeſſe & mali, reſtitutum ſibi dixit diem feſtum, qui perturbatus erat malo illo nuncio de inflammatione Attici à Tirone allato. Suidas hoc nomen ſic exponit, ἐνερευθὴς ἀντὶ τοῦ ἐρυθρός: exemplúmque eius dictionis hoc adducit, τῷ χρώματι γενόμενος ἐνερευθής. 334

Qui lætetur luperco filio teſtario) Hic caſtigauimus quod etiam Germani animaduerterunt, ET STATHIO. erat enim Stathius ſpecioſus libertus Q. Ciceronis: de duobus enim neceſſe eſt ſermo antea fuerit: cum paulò pòſt Philotimum tertium appellet. Præterea confirmatur etiam ex uerbo DVPLICI. De Lupercis autem agit Cicero in oratione pro M. Cœlio: Cum Cœlio obiectum eſſet ab accuſatore quòd in ea ſodalitate fuiſſet. quæ non parum hunc locum illuſtrant: ea autem ibi leges. 334

Quod autem oſim hanc rem) Locum hunc corruptum eſſe arbitramur: nulla enim certa ſententia ex his uerbis Ibidem.

elicitur, ideo notam illi appoſuimus. OSIN autem legimus, quia ita inuentum à nobis eſt in manu ſcriptis codicibus, & quia illa quæ antea erat uox, licet integrior uideretur, nihil pertinebat ad reliquam orationem: arguit autem hoc deprauatum eſſe totum, & fortaſſe auxilio eſſe poterit ad ſinceram lectionem inueſtigandam.

Ibidem Sed ad ἱερινὴν cum ueniſſe) Nos πειρήνην legimus. De Pirene autem fonte multa apud autores reperiuntur. Hæc Srabo tradit lib. VIII. de ſitu loquens Corinthi. ὑπὸ δὲ τῇ κορυφῇ τήν τε πειρήνην ἔστι συμβαίνει κρήνην ἔκρυσιν μὲν οὐκ ἔχουσαν, μεστὴν δ᾽ ἀεὶ διαυγοῦς καὶ ποτίμου ὕδατος: φασὶ δὲ καὶ ἐνθένδε καὶ ἐξ ἄλλων ὑπονόμων τινῶν φλεβίων συνθλίβεσθαι τὴν πρὸς ῥίζῃ τοῦ ὄρους κρήνην ἐκρέουσαν εἰς τὴν πόλιν ὥστ᾽ ἱκανῶς ἀπ᾽ αὐτοῦ ὑδρεύεσθαι. ſed & alia quædam, quæ nunc omittemus. Quæ autem ſequuntur Græca uerba, ex antiquo noſtro codice eruimus. ſunt autem, excepta poſtrema dictione, cuncta ex Pindaro accepta: ſic enim incipit Ode prima in Nemeis, ἄμπνευμα σεμνὸν ἀλφεοῦ κλεινᾶν συρακοσσᾶν θάλος ὀρτυγία. Memini me oſtendiſſe Cyriaco Strozæ (quem ego ut ciuem & plurimis officijs mihi coniunctiſſimum ualde diligo) huius loci antiquam ſcripturam, qui ſtatim & ipſe uerba Pindari agnouit: cum enim præcipuè poëtam illę ſapienter admiratus eſt, & ad uerbum penè edidicit, quum Græcos omnes autores ita ſtudioſe & aſſiduè legerit, ut mirificam ex illis eruditionem hauſerit, & eam eius linguæ ſcientiam uſúmque habeat, ut medijs Athenis natus & educatus eſſe uideatur. Cum obſcurum atque abſconditum ſenſum huius loci aperire non quiuerim, uolui ſaltem lectionem quam reſtitui, ueram & genuinam eſſe confirmare teſtimonio amiciſſimi, & eruditiſſimi iuuenis, qui eam ſuis

oculis

oculis in priſco exemplari inſpexit.

Etſi poteris tabulis & quo crimine) Antiquiores codi- 335
ces, TVBVLIS. *Tubuli autem Romana familia. Cre=
dimus hic cum Cicero petat, ut Atticus tribunatum etiam
Tubulis det, intelligere rem illam, quam legimus in uita
ipſius Pomponij. ſcribit enim Cornelius Nepos cum cum
eſſet antiquitatis admodum amator, illam totam in eo uolu-
mine expoſuiſſe, quo magiſtratus ornauit: & quod diffi=
cillimum fuit, ſic familiarum originem ſubtexuit, ut ex eo
clarorum uirorum propagines poſſent cognoſci. Nam quod
infert,* QVO CRIMINE, *obſcurum eſt, & deprauatum uideri poteſt. Cum autem adiungat Nepos eum uerſi=
bus, qui honore rerúmque geſtarum amplitudine cæteros* R.
P. *præſtiterunt, expoſuiſſe, ita ut ſub ſingulorum imagi=
nibus facta, magiſtratúſque eorum non amplius quaternis
quiniſque uerſibus deſcripſerit: diligenter conſiderandum
eſt an ad hoc reſpiciat, pro Criminéque,* CARMINE *legi
debeat: quod tamen nec affirmamus, nec omnino nobiſipſis
perſuaſimus: rem tantùm alijs cogitandam proponimus,
non penitus contemnendam (ni fallimur) in tam peruerſo,
& incerto ſenſu.*

Et puto me Bruti Fannianis) *Fannium Romanam hi=* **Ibidem.**
*ſtoriam ſcripſiſſe compertum eſt etiam ex primo libro de le-
gibus: Brutúmque Fannianæ hiſtoriæ epitomen feciſſe, ipſe
paulò pòſt tradit. Quare hic ut in antiquioribus libris in=
uenimus,* EPITOME *ſcripſimus. Delectabatur autem
Brutus hoc generè exercitationis, & multa antiquorum ſcri
pta in compendium redigebat, & ea maximè quæ rerum ge=
ſtarum notitiam traderent: credo, ut ſibi uſui eſſent, me=
moriamque ſuam adiuuarent. hoc autem ab alijs autoribus
accepimus, & Plutarchi maximè teſtimonio compertum*

habem

habemus, qui in eius uita ſcribit ipſum in caſtris Pompeia=nis, quod dieì tempus cum Pompeio non erat, totum in ſtu=dijs conſumere ſolitum: ut eo etiam die qui cum præceſſit quo pugnatum eſt, cum alij aut ſomno indulgerent (erant enim maximi calores) aut ſoliciti de euentu pugnæ in ea cogita=tione toti eſſent, ipſe uſque ad ueſperam ſcripſerit, compo=nens epitomen Polybij.

335 *Etſi Calendæ mutandæ fuerunt, meaſionúmque ἀρχέτυπα fugienda)* Et hic ueterem lectionem reſtituimus: quam & in noſtris melioribus inuenimus, & Germanos etiam in margine ſui libri adnotaſſe animaduertimus. Cur autem ſibi Calendas uitandas fuiſſe tradat, dicere non poſſumus. Cum tamen de tabulis conficiendis agat, uidendum eſt an de perſcribendis uſuris loquatur. Calendis enim pecunias fœ=nerari moris erat, quod oſtendit Plutarchus in libello, περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι, qui diem illum omnium auguſtiſſimum dicit fœneratores reddere nefaſtum, & odioſum ſua acerbitate: ſic enim, inquit, de fictilibus, quibus ipſe iu=bet uti, diuenditis argenteis lancibus, οὐκ ὄζει τόκου βαρὺ καὶ δυσχερὲς ὥσπερ ἰοῦ καθ' ἡμέραν ἐπιρρυπαίνοντος τὴν πολυτέλειαν. οὐδὲ ἀναμνήσει τῶν καλανδῶν καὶ τῆς νεομηνίας: ἣν ἱερωτάτην τῶν ἡμερῶν οὖσαν ἀποφράδα ποιοῦσιν οἱ δανεισταὶ καὶ στύγιον. Horatius etiam docet, cum inquit, Omnem relegit Idibus pecuniam: quærit Calendis ponere. Nam quòd Idibus ſoluerentur, Cicero etiam in=nuit libro IIII. ad Atticum, Ardet ambitus σῆμα δέ τοι ἐρέω fœnus ex triente Idibus Quintilibus. factum erat beſ=ſibus. Item libro XIIII. Dolabellæ præclara, iam uel ſi=bi habeat nummos, modo numeret Idibus. NICASIO=NVM autem ſcripſimus, eorundem codicum autorita=ti fideique hoc dantes: nam uox hæc rara eſt, & parum

certi

certi intellectus, non tamen ob id à nobis repudianda, facilè enim credimus, quod nobis non ſatis cognitum eſt, alios præclare ſcire. Cæcilius multis locis à Nonio Marcello adducitur in comœdia noto Nicaſione. Nicaſio etiam nomen proprium eſt apud Ciceronem in Verrinis, Audiſtis Theodorum, & Numinium & Nicaſionem legatos Ennenſes publice dicere.

A'in' tu unum hoc fui:) Auxilio antiquorum codicum caſtigauimus, Verum hoc fuit: quaſi dicat, itáne facere oportet? (Verum) enim ſæpe à Cicerone pro iuſtum, & par ponitur: De finibus lib. IIII. Quibus natura iure reſponderit, non eſſe uerum aliunde finem beatè uiuendi, à ſe principia rei gerendæ peti. Item in Lucullo, Nec uerum eſſe ullam rationem diſputare cum his, qui nihil probarent. Exempla apud Ciceronem tam crebra ſunt, ut locos hos adduxiſſe neceſſarium non fuerit: caſtigat autem Atticum familiariter, & iocosè, quod ad Tirannionem ſine ſe acceßiſſet. 336

Amo enim πάντα φιλόδημον) *Græca hæc uerba in cunctis codicibus deerant: Germani primi locum reſtituerunt. eandem & nos lectionem in noſtro antiquiore libro integram inuenimus. Intelligit autem* φιλόδημον, *quaſi popularem eum, qui paruis, minutíſque quæſtionibus delectetur, omniáque etiam tenuia, & humilia perſequebatur.* **Ibidem.**

Chremes, tantúmne ab re tua eſt otij tibi) Alludit ad locum Terentij in Heautontimorumeno, alloquitúrque Atticum uerbis, quibus Menedemus in ea fabula Chremetem alloquitur. Quod autem Menedemus inquit, aliena ut cures, Cicero ſimili ſermonis forma infert, ut etiam oratórem legas Ibidem

Quæſo illud tuum quod erat εὐτινὲς, *& urbanum) Græcum hoc uerbum diu deſideratum eſt: in eiſdem ego exemplar* Ibidem

emplaribus repertum ſuo loco reſtitui. Intelligimus autem hic, ἐυπινὲς πεπινομένον. nam quamuis πῖνος ſordes, humilitatémque ſæpe ſignificet, unde πιναρὰ ſordida, tenuia, fœda & humilia dicuntur: laudatur tamen in oratione πῖνος, ut Suidas etiam exemplo Damaſcij docet, qui ſic inquit, ὁ δὲ ἦν καὶ λέγειν ἱκανὸς οὐ τοὺς νεωτέρους ἐκ μιμησάμενος σοφιστὰς ἀλλὰ πρὸς τὸ ἀχαῖον πῖνον τῆς λογογραφίας ἁμιλλώμενος. Et Cicero etiam de filio loquens in his epiſtolis ſcripſit, πῖνος literarum. ſignificat doctiorem. eſt enim πῖνος forma & idea orationis, quemadmodum apertè docet interpres Sophoclis in Aiace: cum enim poëta dixiſſet, κακοπινέστατόν τε ἄλημα στρατοῦ, ſubiungit ipſe, τὸ πινὸν ποτὲ μὲν ἐπὶ τῆς ἰδέας, ποτὲ δὲ ἐπὶ τοῦ ἤθους: ἐν ταῦτα οὖν τὸν κακοήθη.

337 *Deinde fore ut ageretur)* Nos, *quod Germani etiam uiderunt,* ANGERETVR *ſcripſimus.* Duo *adferebat Cicero, quibus dehortaretur filium à conſilio proficiſcendi in* Hiſpaniam*: primum ipſe apertiſſimè narrat: alterum autem erat, quòd illi oſtendebat fore ut ipſe moleſtè ferret, cum uideret ſe à fratre familiaritate, & gratia uinci, id eſt* Q. *Ciceronem Cæſari magis familiarem, & apud eum magis gratioſum (gerebat autem ille hoc tempore bellum contra liberos* Cn. Pompeij*) ut ſatius eſſet, hoc iter* propter *hoc etiam non facere, ne in dolorem incideret, quem merito caperet cum ſe uideret in poſtremis haberi, & contemni.*

338 *Et ſi quid habet tollis ἐπιδήμιον)* Rectè *fecerant meo iudicio, qui ad locum hunc olim ſtellulam adpoſuerant, eſt enim lacer & deminutus: id igitur renouauimus: exiſtimamus enim mendo eum non uacare, ſiue potius aliquid in eo deſiderari.* Quod *tamen in ueteribus libris inuenimus*

COLL.

COLLIS, *ubi antea* TOLLIS *erat, ſcripſimus. cum enim nec ex uulgata lectione ſententia ulla elicitatur, cur non penitus antiquam effingamus, opinione noſtra expoſita de nouæ infidelitate & peruerſione?*

Germanam ἀποθέωσιν *habere uideatur) Videtur omnino aliquid deeſſe, deminutúſque eſſe locus. Germani his uerbis ſuppleuerunt,* SED VEREOR NE MINOREM τιμὴν HABERE VIDEATVR, *quos planè non reprehendimus: quia tamen in nullis manuſcriptis ea inuenimus: in noſtrum còdicem traducere auſi non ſumus. miſcuerunt enim illi multa, quæ à recentioribus acceperunt interpretibus, & caſtigatoribus, cum eis quæ ex antiquo & probo exemplari eruerunt, nulla diſtinctione facta, ut periculum ſit ne quorundam commenta, & coniecturas ſæpe pro ſinceris & ueris emendationibus capias. ſi legitima ſint Ciceronis uerba, perſpicua, & aperta ſunt. Incipit autem iam nunc agere de loco, ubi Tulliam filiam conſecraret. De hac autem inſula in Arpinati loquitur in* II. *de legibus, Sed uentum in inſulam eſt: hac uerò nihil eſt amœnius. ut enim hoc quaſi roſtro finditur Fibrenus, & diuiſus æqualiter in duas partes, latera hæc alluit: rapidéque dilapſus, citò in unum confluit: & tantum complectitur, quod ſatis ſit modicæ palæſtræ loci. quo effecto tanquam id habuerit operis ac muneris ut hanc nobis efficeret ſedem ad diſputandum, ſtatim præcipitat in Lirem.* 335

Non mehercule indulgente me, ſed tamen repugnante) Negatiuam particulam deeſſe arbitrati ſumus, eámque repoſuimus, ut ſe dicat non ſane indulgere dolori & fletui: non tamen magnopere repugnare, & reſiſtere: officium enim ſuum eſſe exiſtimabat, obitum tam ſuauis, & caræ filiæ fletu lacrimiſque decorare. quod ſi uim feciſſet dolori, ita 338

ut à

ut à fletu omnino ſibi temperaret, ſe non mediocriter peccaturum eſſe iudicabat. In eandem ſententiam & illa dicta ſunt, Mœrorem minui: dolorem nec potui, nec ſi poſſem, uellem. Quamuis autem paulò pòſt dicat, ſe fletui repugnare, cum inquit, In hac mihi omnis ſermo eſt cum literis: eum tamen interpellat fletus, cui repugno quoad poſſum: non mirum uideri debet, nec noſtræ caſtigationi aduerſatur: in tanto enim caſu non certam quomodo ſe gereret ſententiam tenebat: quod & ipſe etiam docet his uerbis, Ad omniáque nitor non ad animum, ſed ad uultum ipſum (ſi queam) reficiendum: idque faciens interdum mihi peccare uideor: interdum peccaturus eſſe, niſi faciam. Itaque noſtra emendatio ſtat, nec labefactari oppoſito eo loco poteſt. quæ enim ſententia eſt uulgaris lectionis? niſi fallimur, ſic legere rectius eſt, ut ſe mediam quandam uiam tenere dicat: neque totum ſe tradere dolori, quod eſſet nimis imbecilli animi: neque penitus illi repugnare, & uim facere, hoc enim inhumanam, & agreſtem naturam argueret.

339 *Mihi enim ante ædilitatem)* Veteres codices, MIHI ANTE ENIM: *quos nos ſecuti, ita & ipſi ſcripſimus. animaduertimus autem multis locis* ENIM *poſt duas dictiones collocari, ut hoc ipſo in libro,* Druſia cupit enim uendere. Et lib. XIII. *Nihil eſt enim illis elegantius, etſi in ambobus locis corruptè antea legebatur. Item lib.* XIIII. *Odioſa illa enim fuerant legiones uenire: quod tamen in uulgatis etiam codicibus rectè ſcriptum erat. Plura etiam exempla huius obſeruationis adferre facile potuiſſemus: ſed quæ perſpicua ſunt, longa eſſe non debent.*

341 *Poteſt tamen uideri)* Vereor ne hic locus deprauatus ſit: *nam nec planus ullus ſenſus inde elicitur, & in antiquioribus exemplaribus aliter ſcriptus eſt: mendoſè profectò*

etiam

etiam in illis, & deminutè: ſed tamen quod ſuſpicionem creare, uel ortam augere poßit, locum mendo non uacare: ita enim in illis legitur, POTEST TAMEN ETERI.

Placet enim mihi Cluati:) Sic omnes noui, & ueteres codices habent, exceptis Aldinis *in quibus Claudi peruersè ſcriptum eſt: intelligo autem fanum. De hoc ipſo Cluatio iterum meminit hoc ipſo in libro his uerbis. Etſi tibi placebit ſic agere de fano (ut cœpimus) uelim cohortere, & exacuas Cluatium: nam etiam ſi alio loco placebit, illius nobis opera conſilióque utendum puto. Quare uidendum eſt, cum ſibi opera, conſilióque illius utendum eſſe dicat, an archite ctus is fuerit qui fanum feciſſet, cuius generis etiam ſibi Cicero ædificari uellet. Cum autem tria eſſent de quibus conſultandum erat: an fanum faciendum eſſet, cuius generis facere melius eſſet, tertiũ ubi facere oporteret: de duobus primis ſibi conſtitutum eſſe, de loco tantùm ſe adhuc dubitare dicit.* **Ibidem**

Sed tamen faciat illa quoad ego dabo. &c.) ueteres libri QVOD, *non* QVOAD *habent: quare accuratè uidendum eſt an aliquid poſt eam dictionem deſit quod priorem ſententiam expleat: ut tandem ipſe Cicero Terentiæ calumnijs defeſſus in hanc uocem prorumpat, Faciat illa quod uult: ego dabo meum teſtamentum legendum cui uoluerit: ut ei penitus omnem ſuſpicionem eximam. uerum hoc non adſerimus, ſed talem aliquam ſentẽtiam eſſe huius loci arbitramur: uulgatam enim lectionem ſuſpectam habemus, parúmque integram, & ſinceram iudicamus.* 342

Hoc quidem feciſſet etiam ſi Rannio admonitus eſſet:) Hunc locum & ſententia, & uerbis iudico eſſe obſcuriſsimum: quin etiam de aliqua peruerſione ualde timeo. Nos 344 in fine

quia in uetuſtioribus, & mihi probatioribus RARIO *legimus, ideo ſic ſcripſimus: nihil tamen aliud habemus quare hanc lectionem integriorem exiſtimemus, niſi librorum illorum dignitatem & fidem. ſiquis certius aliquid attulerit, me facile in ſuam ſententiam traducet.* Ne *tamen aliquid prætermittamus quod hunc locum iuuare poßit, admonemus eſſe locum in* XIII. *libro qui cum hoc non paruam ſimilitudinem habet, ut diligentius conſiderandum ſit an eundem ſenſum retineant: quod tamen nobis ignotum eſt, neutrum enim ſatis intelligimus. ſed uetus maxime ſcriptura, & idem modus dicendi nonnihil ſuſpicionis creant, poſſe eandem ſententiam latere aliqua uerborum peruerſione obſcuratam. Eſt autem hic locus ille, de quo loquimur,* Omnia *ſcilicet nunc minoris, ſed accedit cupiditas, in qua præter* Othonem *non puto nos ullum aduerſarium habituros; ſed cum ipſum tu poteris monere, facilius etiam ſi canum haberes. ò gulam inſulſam, &c.* Veteres *autem libri* CANVM *habent, ut fortaſſe non multum dißimili forma literarum hic ſeptimo caſu,* CANO ADMONITVS ESSET, *legendum ſit: quod tamen non adſcrimus, quippe qui eius uocis ſignificatum, & rationem non ualde deprehenſam habemus.*

545 *Si uerò etiam à* Falerio *recedit: nihil ei negotij eſt:)* Di*ctionem* EI *deleuimus: in nullis enim antiquis codicibus inuenitur, & noſtro iudicio ſenſum conturbat.* De *emptione, inquit, hortorum rationes meas noſti: quare quò progredi poßim ſcis. quòd ſi* Faberius *nobis nomen illud explicaret, omnia facilia eſſent, nec ullum laborem haberemus.* FABERIO *enim non* FALERIO *legendum eſt: quod manu ſcripti libri docent, & ex alijs locis colligitur, in quibus de hac re mentio facta eſt: ut hoc ipſo in libro,* Poßim

autem

autem aſſequi nécne tu uelim cogites: ſi enim Faberianum uenderem, explicare uel repræſentatione non dubitarem. Item libro XIII. *Reliquum eſt ut ſi Faberius nomen illud explicat, noli quærere quanti: Othonem uincas uolo ſed & alijs locis. Tantùm nobis ſcrupulus quidam reſtat in ea uoce* RECEDIT: *dubitamus enim ne illi mendum aliquod inſit. eandem tamen inuenimus lectionem in cunctis manu ſcriptis codicibus.*

Venales certè ſunt Druſæ:) Hæc nomina hortorum, ut in melioribus libris ſcripta inuenimus, ita ſcripſimus: ſintne autem integra, nec ſcimus, nec adfirmare audemus. De huiuſcemodi locis nihil tutius eſſe exiſtimo, quàm ueterem ſcripturam, ut minus inquinatam conſulere, & deſcribere. 345

Ouiatæ Lælij curanda ſunt, &c.) Antiquam lectionem reſtitui: de hoc autem nomine quod Ouiæ curari uolebat, non multò pòſt iterum agit, De Ouia confice ut ſcribis. Item tertio, Cum Ouia quæſo quidem ut conficiatur. Quòd autem paulò pòſt FORS *legebatur, mendoſum erat: pro* FORS *igitur* EROS *emendaui: is enim rationes numarias tractabat Ciceronis. origo huius deprauationis fuit, quòd pro* E *librarius* F *legit: in hoc enim ſæpe peccat.* Ibidem

Quæ etiam ex Apollodoro puto poſſe inuenire:) Ex Apollodori, habent antiquiores codices, ut nos etiam ſcripſimus: intelligi autem putamus (commentarijs & ſcriptis:) Eáque ratione hoc dictum uidetur, qua lib. XIII. *dixit In Libonis, Eum uideo in Libonis prætorem L. Popilio, P. Rupilio* COSS. *annis* XIIII. *antequam prætor factus eſt. deeſt enim (annalibus:) Et hoc ipſo in lib. Maxima eſt in Scapulæ celebritas, propinquitas. intelligitur enim* 347

(hortis:) Et ad Q. Fratrem, Per Varronis, Præſertim cum tu neque per Locuſtæ, neque per Varronis uelles ducere, ſcilicet fundos. ſed alia ſunt apud Ciceronem ſic pronunciata: quæ nos ne in re plana longiores ſimus, omittemus. ſunt autem ad imitationem Græci ſermonis dicta, ex illorúmque copioſis fontibus in Latinos campos deriuata, & traducta. Sic etiam uidetur locutus eſſe Vlpianus. ita enim hic locus in noſtris Pandectis legitur, De aqua, & aquæ pluuiæ arcendæ, L. Si cui aqua pluuia. §. Iidem aiunt, aquam pluuiam in ſuo retinere, uel ſuperfluentem ex uicini in ſuum deriuare, dum opus in alieno non fiat, omnibus ius eſſe. Non autem (ex uicini fundo) ut eſt in peruulgatis codicibus.

347 Habes T. in Oſtienſi Cotta) habet in oſtienſi, legẽdum. Error eſt ortus, quòd nõ uiderunt librarij literam illam ſolitariam in locum antecedentis ea deleta ſuccedere debere. In Oſtienſi autem agro intelligimus, ut loquitur etiam non multò pòſt, De illo Oſtienſi nihil eſt cogitandum, ſi hoc non aſſequimur.

348 Auidè ergo numerato) Antiqua lectio, Vnde ergo numerato? quam & recepimus, & ſinceram eſſe iudicamus. cum enim ſuprà dixiſſet, ſe numerato malle quàm æſtimatione, nunc ſecum ipſe loquitur, ſéque interrogat, quomodo poßit numerato, id eſt præſenti pecunia Silio ſatisfacere: deinceps rationem ſubducit, unde eam pecuniã corradere poßit. Numerato autem nomen eſt, quo paulò antè etiam uſus fuerat. Et in epiſtola quadam ad Rufum, Quod ſi mihi expẽſa iſta H-S c. tuliſſes, tamen, quæ tua eſt ſuauitas, quique in me amor, nolles à me hoc tempore æſtimationem accipere: nam numeratum ſi cuperem, non erat.

348 Nam quod ſcribis ἐπίγραμμα actum iam de iſto eſt:) ἐγγύραμμα habent ueteres codices: & ita ſanè legendum eſt.

Vtitur autem non ſemel hac uoce in his epiſtolis, uerum ea ubique corrupta erat, in ἐπίγαμμάque ſemper uerterat: intelligit autem locum, in quo ſenectus commodè tranſigi poßit, & qui ſit requies, & oblectamentũ eius ætatis. Scripſerat autem Atticus (ut conijcere licet ex uerbis Ciceronis) hortos præterea Ciceroni fore requietẽ ſuæ ſenectutis, quæ iam aduentabat, uel potius aderat: quod nũc Cicero ſe quærere negat, adeóque mœroris, & deſperationis plenus eſt, ut de illo iam actum eſſe dicat, nec ſe uidere quomodo ſibi in tantis malis, & tam graui caſu quies, delectatióque illa contingere poßit.

Tuis occupationibus ignoſco) Antiqua exemplaria, CVIVS OCCVPATIONIBVS. Quare & nos itaſcripſimus. De Sicca autem adhuc loquitur, quem etiam infrà oſtendit ſe deſiderare, ſecúmque eſſe cupere: promiſerat autem ille literis ſe cito ad Ciceronem uenturum, magníſque ſuis occupationibus fieri docuerat, quòd ab eo adhuc abeſſet. Ibidem

Quod faciebam, ſed intererat enim ubi acquieſcerem) Antiqua lectio SED INTVS: ERAT ENIM, &c. nos coniectura ducti, SED INVITVS caſtigauimus. Cui iudicium noſtrum diſplicebit, is ex priſcis ueſtigijs quorum nos illi copiam fecimus, aptiorem, ueriorémque lectionem eliciat. 350

De Triario bene interpretaris, &c.) In antiquioribus primæ literæ defectu, DE RIARIO, ſcriptum eſt. Hãc licet paruã uarietatem adnotare uoluimus, quia ſatis obſcurum eſt hoc negotium. Ibidem

Si Caſtricius Romã capit) Locus hic olim corruptiſſimè legebatur. Nos, quod Germani etiam antè uiderant, PRO MANCIPIIS emendauimus: PRO MAN- Ibidem

 CVPIIS

CVPIIS *enim putamus olim ſcriptum fuiſſe, ut antiquitus ſolebant.* Non multo pòſt de eodem hoc negotio iterum agens inquit, De mancipijs Caſtricianis cõmodiſſimum eſſe credo transigere Egnatium.

Ibidem Eámque ſibi ſolui, ut nunc ſoluitur) Manu ſcripti libri, Eamque ei ſolui, &c. retinẽt. Vt enim quandoque apud Ciceronem SIBI pro EI inuenitur, ſic contrà EI pro SIBI quemadmodum credimus, hoc loco dictũ eſt, & alijs etiam non paucis: ut libro x. ad Atticum, Cum hæc ſcripſiſſem, à Curione mihi nunciatum eſt, eum ad me uenire: uenerat enim is in Cumanum ueſperi pridie, id eſt Idib. Erant & alia exempla quæ nunc nos omittemus. Tranſierunt hic noſtri librarij uulgatam uocem à nobis circumſcriptam, & deletam: nec eam, quam pro illa reſtitueramus acceperũt: quare mancum hunc locum nobis ſua iniuria tradidere. Tu igitur corrigito.

351 Vetus illud ἐπίγραμμα quemadmodum ſcripſiſti uel ἐπιτάφιον putato:) Idem error qui ſuprà, nec ſolus: nam conſimilis etiam in altera Græca uoce: ἐντάφιον enim pro ἐπιτάφιον & habent ueteres codices, & legendus eſt. Inuenies ambas has uoces apud Plutarchum in uita Catonis Maioris: cum enim diceret illum in ſenectute etiam, à repub. non diſceſſiſſe, nec ſe otio tranquillæq; uitæ dediſſe, ut alij excellentes in rep. adminiſtranda uiri ſæpe fecerant, infert: ἀλλ᾽ ὥσπερ Διονύσιόν τις ἔπεισε κάλλιστον ἐντάφιον ἡγεῖσθαι τὴν τυραννίδα, κάλλιστον αὐτὸς ἐγγήρακα τὴν πολιτείαν ἡγησάμενος ἀναπαύσεσιν ἐχρῆτο καὶ παιδιαῖς ὁπότε χολάζοι τῷ συντάττεσθαι βιβλία καὶ γεωργεῖν. Poſteriorem in Paulo Aemilio: cum dicit omnia illi adfuiſſe, quæ exiſtimantur beatam uitam conficere, καὶ γὰρ ἡ περὶ τὴν ἐκφορὰν πομπὴ θαυμασμὸν ἔχειν καὶ ζῆλον ἐπι-

κασμὸ

κασμοῦντα τὴν ἀρετὴν τοῦ ἀνδρὸς τοῖς ἀρίστοις καὶ μακαριωτάτοις ἐνταφίοις ταῦτα δ' ἦν οὐ χρυσὸς οὐδ' ἐλέφας οὐδ' ἡ λοιπὴ πολυτελία καὶ φιλοτιμία τῆς παρασκευῆς ἀλλ' εὔνοια καὶ τιμὴ καὶ χάρις οὐ μόνον παρὰ τῶν πολιτῶν ἀλλὰ καὶ τῶν πολεμίων.

Publia ad me ſcripſit:) Publia habent ueteres codices. Et 352
paulò pòſt PVBLILIO, pro Publio: eſt autem locus
meo iudicio uerbis obſcurior, & fortaſſe deprauatior. Verbum illud MORATVRAM quod in nullis paulò antiquioribus libris inuenitur, ſuperuacaneum iudicauimus, atque deleuimus: intelligique putamus oportere VENTVRAM.

Ex quo intelligam te certum illius profectionis diem nõ 353
habere:) Vetuſtius noſtrũ exemplar ſic habet, EX QVO INTELLIGAM TE CERTITVDINEM ILLIVS PROFECTIONIS NON HABERE: quod tamen neglex imus: nec enim ſcimus Ciceronem alibi hac uoce uſum eſſe. nolui tamẽ committere quin hoc (ut puto) peccatum, & mendum melioris illius codicis patefacerem, ſi non ob aliud, ut uideant, ſciántque omnes in antiquiſsimis & probatiſsimis etiam codicibus quædã peruersè legi, & barbarè.

Accepique ab Aegypta literas eodem die, &c.) Antiqui 355
codices, AB AEGYPTA L. EODEM DIE: ut accuratius, attentiúſque uidendum ſit, an (ab Agypta liberto) legendum ſit: alibi enim L. Libertum ſignificat, ut (accepi) hic, pro (audiui) poſitum ſit, ut paſsim inuenitur apud hunc autorem, Accepi (ſcilicet) Piliam, & Atticam planè bellè ſe habere. Nam quin Aegypta libertus fuerit, dubium non eſt: ſequenti libro etiam ita eum appellat: inquit enim, De bruti aduentu eram factus certior: attulerat enim ab eo

Aegypta libertus literas. Poteſt *tamen recepta etiam lectiō ex antiqua ſcriptura elici. nam* L. *quoque literas ſignificare, alibi animaduertimus.*

357 Κύρβας *mihi ſic placuit, ut cetera* Antiſthenis:) *Antiqua ſcriptura aliquanto eſt confuſior, non ita tamen deformata ut non ex ea uel* κύειος *uel* κῦρος, *parua omnino licentia, erui poßit* Pertinet *autem ea uox, niſi fallimur, ad inſequentem clauſulam: ſuperior enim perfecta eſt. Scripſit autem* Antiſthenes *duo uolumina, quorum utrunque* Cyrus *appellabatur.* Athenæus δειπνοσοφ. *lib.* v. ἀντισθένης δ᾽ ἐν θατέρῳ τῶν κύρων κακολογῶν ἀλκιβιάδην καὶ παράνομον εἶναι λέγων καὶ εἰς γυναῖκας καὶ εἰς τὴν ἄλλην δίαιταν, &c. *Præterea Laërtius in eius uita, cum uolumina ab eo ſcripta recenſeret,* τόμος τέταρτος ἐν ᾧ κῦρος, ὑρακλῆς ὁ μείζων, ἢ περὶ ἰσχύος. τόμος πέμπτος ἐν ᾧ κῦρος ἢ περὶ βασιλείας. *Scripſimus autem* κύριος *nullam aliam ob cauſam, niſi quòd non nihilo uetuſtis characteribus propinquior, ſimiliórque illa uox hæc eſt: ſed etiam quia ſi* κύρος *tantùm ſcripſiſſet, dubium foret quem librum intelligeret, illúmne qui claudebatur quarto ſegmento, an illum qui de regno loquebatur, & in quinto contentus erat: eſt enim* κύειος *libri itidem titulus eiuſdem autoris eodem* Laërtio *teſte qui in eodem catalogo librorum inquit,* κύειος ἢ ἐρώμενος.

357 *Et quidem mecum habeo &* ἀριστοτέλης πρὸς ἀλέξανδρον:) *Aliud Græcum nomen quod poſt* ἀριστοτέλης *poni debebat, quia non intellexerant, olim omiſerant. Germani reddere id conati ſunt quod tamen aſſequi non potuerunt: perperam enim* θεώρημα, *contaminata antiqua ſcriptura, repoſuerunt. Nos ex noſtris exemplaribus ueram (ut putamus) lectionē eruimus, eam ſcilicet quam in noſtro impreſſo legis.*

legis. Theopompus enim ſcripſit ſuaſiones ad Alexandrum, autore Athenæo lib. VI. δειπνοσοφιστῶν, θεόπομπος γοῦν ὁ χῖος ἐν ταῖς πρὸς ἀλέξανδρον συμβουλαῖς περὶ θεοκρίτου τοῦ πολίτου λόγον ποιούμενος. *Citat etiam eundem in epiſtola ſcripta ad Alexandrum libro* XIII. θεόπομπος γοῦν ἐν τῇ πρὸς ἀλέξανδρον ἐπιστολῇ τὴν ἁρπάλου διαβάλλων ἀκολασίαν φησίν, *&c.*

Non ipſum ea lego: ea ſcribo, &c.) Antiqui codices, NVNC IPSVM: *quæ uera, & ingenua eſt lectio, id eſt hoc ipſo momento, & puncto temporis. Vtitur & alibi hac locutione Cicero, ut hoc ipſo in libro, Nunc tamen ipſum ſine te eſſe non poſſum. Et lib. etiam* X. *cum exponit ſermonem à ſe habitum cum Curione, Quin nunc ipſum minime offendiſſes, ſi eius cauſa in Italia non fuiſſes.* 358

Et quod tu ſcire uolebas lego quando ex hoc loco) Nos coniectura emendauimus EGO QVANDO, *&c. exiſtimantes huic pronomini incommode* L. *literam adcreuiſſe: nam ex illa lectione nullus, niſi ineptus ſenſus elicitur, ex noſtra uerò egregius, ut nos arbitramur. Cum eum literis interrogaſſet Atticus quando ex eo loco diſceſſurus eſſet: repetitis eius ferè uerbis, exponit diligenter ſuorum itinerum rationem, quod etiam non multo infrà bis repetit: quæ loca clariorem, & certiorem hanc emendationem reddunt. primus eſt, Ego me hinc poſtridie exiturum puto. Alter autem hic, Ego poſtridie Idus, ut ſcripſi ad te antè, Lanuuij manere conſtituti. Paulò autem ſuprà apertiſsimè his uerbis docet Atticum quæſiſſe à ſe quàm diu illic maneret, Quòd quæris quàm diu hic: paucos dies, ſed certum non habeo, &c.* 359

Scis quàm ſit φιλαίτιον συμφορά, *minime uito quidem) Parum conſtans reperitur in manu ſcriptis exemplaribus* Ibidem.

hæc lectio: nonnulli etiam MINIMÆ VITÆ, *quod mendoſum prorſus eſt, legunt. eam igitur elegimus, quam in melioribus inuenimus, & quæ nobis magis probata eſt. Hanc autem eſſe arbitramur ſententiam huius loci, Ardebat Cicero deſiderio fani faciundi: mandarátque Attico ut locum fano ſibi uideret. Cum igitur hoc negotium lentè procederet, incipit longe, tanquam leuiter accuſare eius negligentiam, ut cum ad id magis exacueret, ſtimularétque. Quòd ſi, inquiens, acciderit, ut eo etiam dolore impellar ut te culpem, nihil mirari debes: ſcis enim quàm ſit* φιλαίτιον συμφορὰ, *id eſt quàm facile de omnibus querantur, omnéſque accuſent, qui in aliqua calamitate conſtituti ſunt. Quamuis enim* συμφορὰ *uocabulum ſit* ἐκ τῶν μέσων *(ſignificat enim & proſperam, & aduerſam fortunam) tamen hoc loco miſeriam ſignificat. Non tamen, inquit, in te: adhuc enim te in illa re accuſo: ſed tamen tam auide ſum affectus de fano, ut tibi quoque non parſurus ſim, niſi fieri uidero: ſed incurſabit in te dolor meus. & cætera quæ ipſe in hanc ſententiam infert. quamuis autem genera repugnent in Græcis uerbis, tamen mendo uacant, ut intelligatur* συμφορὰν *uſitato dicendi modo rem, & uitium quoddam eſſe, quòd cupidè reliquos culpet, criminetúrque, id eſt* φιλαίτιον. *Quo uerbo utitur etiam in epiſtola quadam ad Appium, Si autem natura es* φιλαίτιος, *illud non perficies, quominus tua cauſa uelim, &c. Qui autem in aliquem acerbum caſum incidunt (quod acciderat Ciceroni) ab omnibus ſe deſtitutos putant: eáque alios in ſe committere exiſtimant, quia ſe negligant grauibus fortunæ iniurijs perculſos, ideóque de illis ſæpe etiam ſine iuſta cauſa queruntur, Niſi locus mancus eſt, uel deprauatus, hanc ex his uerbis ſententiam elicimus.*

359 *Niſi hac æſtate abſolutum erit, quam rem uides integram*

reſt

reſtare:) Veteres libri R E M *habent: & ſanè uacat, uel potius conturbat omnem ſenſum: per* Q V A M, *enim æſtatem intelligimus, ut oſtendat ei Cicero nullam ſe exiguitatis temporis excuſationem habiturum, cum æſtas integra adhuc reſtet: ut ſatis ſpatij ille ad ædificandum, etiam ſi opus non urgeat, habiturus ſit. Paulò pòſt de hac ipſa ædificatione loquens, admonet item Atticum ut uideat ne æſtas effluat. Quin & in prima ſequentis libri epiſtola, inquit, de hac re agens, Cuius feſtinationem mihi tollis, quoniam de æſtate polliceris, uel potius recipis.*

Quod ſcies recte in illam rem fore leuamento) Hunc lo- 360
cum corruptiſſimum eſſe iudicaui, ideóque notam ad eum adpoſui, quæ mendoſum indicaret. ſi quid tamen hoc opis adferre illi poteſt, eam quam in ueteribus, & probatioribus codicibus lectionem inueni, deſcripſi & recepi, parum quidem illam à uulgari diuerſam, quæ tamen I N *præpoſitionem non habeat, pro qua Germani* M I H I *ſcripſerunt, & paruis quibuſdam alijs rebus cum illa diſcordet. ſed longe aliud eſt, quod totum hunc locum peruertit, nec intelligi ſinit.*

Eum   Quirini malo quàm ſalutis) Diu hic inane 362
manſit ſpatium unius dictionis. Germani id explere conati ſunt: nec tamen ueterem ſcripturam intellexerunt. Videntur autem ferè quos & nos characteres in uetuſto ſuo exemplari reperiſſe. In noſtro antiquiore E V N N Λ O N *erat, prima tantum litera aliquantulum inquinata:* σύνναον *enim arbitramur legi debere.* σύνναος *autem aliquis alicuius dicitur, qui in eodem cum illo templo colitur. Syneſius in epiſtola quadam ad Nicandrum appellat Poëticen Philoſophiæ* σύνναον, *quaſi contubernalem: ut ipſe Cicero lib.* X I I I. *cum hanc uocem Latinè exprimere uellet dicit (eandem enim rem tractat) Quid tu hunc de pompa, Quirini*

conturb

emplaribus repertum ſuo loco reſtitui. Intelligimus *autem hic*, εὐπινὲς πεπινομένον. *nam quamuis* πῖνος *ſordes, humilitatémque ſæpe ſignificet, unde* πιναρὰ *ſordida, tenuia, fœda & humilia dicuntur: laudatur tamen in oratione* πῖνος, *ut* Suidas *etiam exemplo* Damaſcij *docet, qui ſic inquit*, ὁ δὲ ἦν καὶ λέγειν ἱκανὸς οὐ τοὺς νεωτέρους ἐκμιμησάμενος σοφιστὰς ἀλλὰ πρὸς τὸ ἀχαῖον πῖνον τῆς λογογραφίας ἁμιλλώμενος. Et Cicero *etiam de filio loquens in his epiſtolis ſcripſit*, πῖνος *literarum. ſignificat doctiorem. eſt enim* πῖνος *forma & idea orationis, quemadmodum apertè docet interpres* Sophoclis *in* Aiace*: cum enim poëta dixiſſet*, κακοπινέσταλόν τε ἄλημα στρατοῦ, *ſubiungit ipſe*, τὸ πινόν ποτε μὲν ἐπὶ τὰς ἰδέας, ποτὲ δὲ ἐπὶ τὸ ἦθος: ἐν ταῦτα οὖν τὸν κακοήθη.

337 *Deinde fore ut ageretur)* Nos, *quod* Germani *etiam uiderunt*, ANGERETVR *ſcripſimus.* Duo *adferebat* Cicero, *quibus dehortaretur filium à conſilio proficiſcendi in* Hiſpaniam*: primum ipſe apertiſsimè narrat: alterum autem erat, quòd illi oſtendebat fore ut ipſe moleſtè ferret, cum uideret ſe à fratre familiaritate, & gratia uinci, id eſt* Q. Ciceronem Cæſari *magis familiarem, & apud eum magis gratioſum (gerebat autem ille hoc tempore bellum contra liberos* Cn. Pompeij*) ut ſatius eſſet, hoc iter propter hoc etiam non facere, ne in dolorem incideret, quem merito caperet cum ſe uideret in poſtremis haberi, & contemni.*

338 *Et ſi quid habet tollis* ἐπιδήμιον*)* Rectè *fecerant meo iudicio, qui ad locum hunc olim ſtellulam adpoſuerant, eſt enim lacer & deminutus: id igitur renouauimus: exiſtimamus enim mendo eum non uacare, ſiue potius aliquid in eo deſiderari.* Quod *tamen in ueteribus libris inuenimus*

COLL

COLLIS, *ubi antea* TOLLIS *erat, ſcripſimus. cum e=*
nim nec ex uulgata lectione ſententia ulla elicatur, cur non
penitus antiquam effingamus, opinione noſtra expoſita de
nouæ infidelitate & peruerſione?

Germanam ἀποθέωσιν habere uideatur) Videtur *omni=* 335
no aliquid deeſſe, deminutúſque eſſe locus. Germani his uer-
bis ſuppleuerunt, SED VEREOR NE MINOREM
τιμὴν HABERE VIDEATVR, *quos planè non*
reprehendimus : quia tamen in nullis manuſcriptis ea inue=
nimus : in noſtrum codicem traducere auſi non ſumus. mi=
ſcuerunt enim illi multa, quæ à recentioribus acceperunt
interpretibus, & caſtigatoribus, cum eis quæ ex antiquo
& probo exemplari eruerunt, nulla diſtinctione facta, ut
periculum ſit ne quorundam commenta, & coniecturas ſæ=
pe pro ſinceris & ueris emendationibus capias. ſi legitima
ſint Ciceronis *uerba, perſpicua, & aperta ſunt.* Incipit *au-*
tem iam nunc agere de loco, ubi Tulliam *filiam conſecraret.*
De *hac autem inſula in* Arpinati *loquitur in* II. *de legibus,*
Sed *uentum in inſulam eſt : hac uerò nihil eſt amœnius. ut*
enim hoc quaſi roſtro finditur Fibrenus, *& diuiſus æquali-*
ter in duas partes, latera hæc alluit : rapidéque dilapſus, ci-
tò in unum confluit : & tantum complectitur, quod ſatis
ſit modicæ palæſtræ loci. quo effecto tanquam id habuerit
operis ac muneris ut hanc nobis efficeret ſedem ad diſputan-
dum, ſtatim præcipitat in Lirem.

Non *mehercule indulgente me, ſed tamen repugnante)* 338
Negatiuam *particulam deeſſe arbitrati ſumus, eámque re-*
poſuimus, ut ſe dicat non ſane indulgere dolori & fletui:
non tamen magnopere repugnare, & reſiſtere : officium e=
nim ſuum eſſe exiſtimabat, obitum tam ſuauis, & caræ fi=
liæ fletu lacrimiſque decorare. quod ſi uim feciſſet dolori, ita

ut à

ut à fletu omnino ſibi temperaret, ſe non mediocriter peccaturum eſſe iudicabat. In eandem *ſententiam & illa dicta ſunt,* Mœrorem *minui: dolorem nec potui, nec ſi poſſem, uellem.* Quamuis *autem paulò pòſt dicat, ſe fletui repugnare, cum inquit,* In *hac mihi omnis ſermo eſt cum literis: cum tamen interpellat fletus, cui repugno quoad poſſum: non mirum uideri debet, nec noſtræ caſtigationi aduerſatur: in tanto enim caſu non certam quomodo ſe gereret ſententiam tenebat: quod & ipſe etiam docet his uerbis,* Ad *omniáque nitor non ad animum, ſed ad uultum ipſum (ſi queam) reficiendum: idque faciens interdum mihi peccare uideor: interdum peccaturus eſſe, niſi faciam.* Itaque *noſtra emendatio ſtat, nec labefactari oppoſito eo loco poteſt. quæ enim ſententia eſt uulgaris lectionis? niſi fallimur, ſic legere rectius eſt, ut ſe mediam quandam uiam tenere dicat: neque totum ſe tradere dolori, quod eſſet nimis imbecilli animi: neque penitus illi repugnare, & uim facere, hoc enim inhumanam, & agreſtem naturam argueret.*

339 *Mihi enim ante ædilitatem)* Veteres codices, MIHI ANTE ENIM: *quos nos ſecuti, ita & ipſi ſcripſimus. animaduertimus autem multis locis* ENIM *poſt duas dictiones collocari, ut hoc ipſo in libro,* Druſia *cupit enim uendere.* Et *lib.* XIII. *Nihil eſt enim illis elegantius, etſi in ambobus locis corruptè antea legebatur.* Item *lib.* XIIII. *Odioſa illa enim fuerant legiones uenire: quod tamen in uulgatis etiam codicibus rectè ſcriptum erat.* Plura *etiam exempla huius obſeruationis adferre facile potuiſſemus: ſed quæ perſpicua ſunt, longa eſſe non debent.*

341 *Poteſt tamen uideri)* Vereor *ne hic locus deprauatus ſit: nam nec planus ullus ſenſus inde elicitur, & in antiquioribus exemplaribus aliter ſcriptus eſt: mendoſè profectò*

etiam

etiam in illis, & deminutè: ſed tamen quod ſuſpicionem creare, uel ortam augere poßit, locum mendo non uacare: ita enim in illis legitur, POTEST TAMEN ETERI.

Placet enim mihi Cluati:) Sic omnes noui, & ueteres codices habent, exceptis Aldinis in quibus Claudi peruersè ſcriptum eſt: intelligo autem fanum. De hoc ipſo Cluatio iterum meminit hoc ipſo in libro his uerbis, Etſi tibi placebit ſic agere de fano (ut cœpimus) uelim cohortere, & exacuas Cluatium: nam etiam ſi alio loco placebit, illius nobis opera conſilióque utendum puto. Quare uidendum eſt, cum ſibi opera, conſilióque illius utendum eſſe dicat, an architectus is fuerit qui fanum feciſſet, cuius generis etiam ſibi Cicero ædificari uellet. Cum autem tria eſſent de quibus conſultandum erat: an fanum faciendum eſſet, cuius generis facere melius eſſet, tertiũ ubi facere oporteret: de duobus primis ſibi conſtitutum eſſe, de loco tantùm ſe adhuc dubitare dicit. **Ibidem**

Sed tamen faciat illa quoad ego dabo, &c.) ueteres libri QVOD, *non* QVOAD *habent: quare accuratè uidendum eſt an aliquid poſt eam dictionem deſit quod priorem ſententiam expleat: ut tandem ipſe Cicero Terentiæ calumnijs defeſſus in hanc uocem prorumpat, Faciat illa quod uult: ego dabo meum teſtamentum legendum cui uoluerit: ut ei penitus omnem ſuſpicionem eximam. uerum hoc non adſerimus, ſed talem aliquam ſentẽtiam eſſe huius loci arbitramur: uulgatam enim lectionem ſuſpectam habemus, parúmque integram, & ſinceram iudicamus.* 342

Hoc quidem feciſſet etiam ſi Rannio admonitus eſſet:) Hunc locum & ſententia, & uerbis iudico eſſe obſcuriſſimum: quin etiam de aliqua peruerſione ualde timeo. Nos 344 in fine

quia in uetuſtioribus, & mihi probatioribus RARIO legimus, ideo ſic ſcripſimus: nihil tamen aliud habemus quare hanc lectionem integriorem exiſtimemus, niſi librorum illorum dignitatem & fidem. ſiquis certius aliquid attulerit, me facile in ſuam ſententiam traducet. Ne tamen aliquid prætermittamus quod hunc locum iuuare poſſit, admonemus eſſe locum in XIII. libro qui cum hoc non paruam ſimilitudinem habet, ut diligentius conſiderandum ſit an eundem ſenſum retineant: quod tamen nobis ignotum eſt, neutrum enim ſatis intelligimus. ſed uetus maxime ſcriptura, & idem modus dicendi nonnihil ſuſpicionis creant, poſſe eandem ſententiam latere aliqua uerborum peruerſione obſcuratam. Eſt autem hic locus ille, de quo loquimur, Omnia ſcilicet nunc minoris, ſed accedit cupiditas, in qua præter Othonem non puto nos ullum aduerſarium habituros: ſed cum ipſum tu poteris monere, facilius etiam ſi canum haberes. ò gulam inſulſam, &c. Veteres autem libri CANVM habent, ut fortaſſe non multum diſſimili forma literarum hic ſeptimo caſu, CANO ADMONITVS ESSET, legendum ſit: quod tamen non adſerimus, quippe qui eius uocis ſignificatum, & rationem non ualde deprehenſum habemus.

345 Si uerò etiam à Falerio recedit: nihil ei negotij eſt:) Dictionem EI deleuimus: in nullis enim antiquis codicibus inuenitur, & noſtro iudicio ſenſum conturbat. De emptione, inquit, hortorum rationes meas noſti: quare quò progredi poſſim ſcis. quòd ſi Faberius nobis nomen illud explicaret, omnia facilia eſſent, nec ullum laborem haberemus. FABERIO enim non FALERIO legendum eſt: quod manu ſcripti libri docent, & ex alijs locis colligitur, in quibus de hac re mentio facta eſt: ut hoc ipſo in libro, Poſſim

autem

autem aſſequi nécne tu uelim cogites: ſi enim Faberianum uenderem, explicare uel repræſentatione non dubitarem. Item libro XIII. *Reliquum eſt ut ſi Faberius nomen illud explicat, noli quærere quanti: Othonem uincas uolo, ſed & alijs locis.* Tantùm nobis ſcrupulus quidam reſtat in ea uoce RECEDIT: *dubitamus enim ne illi mendum aliquod inſit. eandem tamen inuenimus lectionem in cunctis manu ſcriptis codicibus.*

Venales certè ſunt Druſæ:) *Hæc nomina hortorum, ut in melioribus libris ſcripta inuenimus, ita ſcripſimus: ſintne autem integra, nec ſcimus, nec affirmare audemus. De huiuſcemodi locis nihil tutius eſſe exiſtimo, quàm ueterem ſcripturam, ut minus inquinatam conſulere, & deſcribere.* 345

Ouiatæ Lælij curanda ſunt, &c.) *Antiquam lectionem reſtitui: de hoc autem nomine quod Ouiæ curari uolebat, non multò pòſt iterum agit,* De Ouia conſice ut ſcribis. *Item tertio,* Cum Ouia quæſo quidem ut conficiatur. *Quòd autem paulò pòſt* FORS *legebatur, mendoſum erat: pro* FORS *igitur* EROS *emendaui: is enim rationes numarias tractabat Ciceronis. origo huius deprauationis fuit, quòd pro* E *librarius* F *legit: in hoc enim ſæpe peccat.* Ibidem

Quæ etiam ex Apollodoro puto poſſe inuenire:) Ex Apollodori, *habent antiquiores codices, ut nos etiam ſcripſimus: intelligi autem putamus (commentarijs & ſcriptis:) Eáque ratione hoc dictum uidetur, qua lib.* XIII. *dixit* In Libonis, Eum uideo in Libonis prætorem L. Popilio, P. Rupilio COSS. annis XIIII. antequam prætor factus eſt. *deeſt enim (annalibus:)* Et hoc ipſo in lib. Maxima eſt in Scapulæ celebritas, propinquitas. *intelligitur enim* 347

(hortis:) Et ad Q. Fratrem, Per Varronis, Præſertim cum tu neque per Locuſtæ, neque per Varronis uelles ducere, ſcilicet fundos. ſed alia ſunt apud Ciceronem ſic pronunciata: quæ nos ne in re plana longiores ſimus, omittemus. ſunt autem ad imitationem Græci ſermonis dicta, ex illorúmque copioſis fontibus in Latinos campos deriuata, & traducta. Sic etiam uidetur locutus eſſe Vlpianus. ita enim hic locus in noſtris Pandectis legitur, De aqua, & aquæ pluuiæ arcendæ, L. Si cui aqua pluuia. §. Iidem aiunt, aquam pluuiam in ſuo retinere, uel ſuperfluentem ex uicini in ſuum deriuare, dum opus in alieno non fiat, omnibus ius eſſe. Non autem (ex uicini fundo) ut eſt in peruulgatis codicibus.

347 *Habes T. in Oſtienſi Cotta) habet in oſtienſi, legẽdum. Error eſt ortus, quòd nõ uiderunt librarij literam illam ſolitariam in locum antecedentis ea deleta ſuccedere debere. In Oſtienſi autem agro intelligimus, ut loquitur etiam non multò pòſt, De illo Oſtienſi nihil eſt cogitandum, ſi hoc non aſſequimur.*

348 *Auidè ergo numerato) Antiqua lectio, Vnde ergo numerato? quam & recepimus, & ſinceram eſſe iudicamus. cum enim ſuprà dixiſſet, ſe numerato malle quàm æſtimatione, nunc ſecum ipſe loquitur, ſéque interrogat, quomodo poßit numerato, id eſt præſenti pecunia Silio ſatisfacere: deinceps rationem ſubducit, unde eam pecuniã corradere poßit. Numerato autem nomen eſt, quo paulò antè etiam uſus fuerat. Et in epiſtola quadam ad Rufum, Quod ſi mihi expẽſa iſta H-S c. tuliſſes, tamen, quæ tua eſt ſuauitas, quíque in me amor, nolles à me hoc tempore æſtimationem accipere: nam numeratum ſi cuperem, non erat.*

349 *Nam quod ſcribis ἐπίγραμμα actum iam de iſto eſt:) ἐγγήραμα habent ueteres codices: & ita ſanè legendum eſt.*

Vltùr

Vtitur autem non ſemel hac uoce in his epiſtolis, uerum ea ubique corrupta erat, in ἐπίγραμμά*que ſemper uerterat: intelligit autem locum, in quo ſenectus commodè tranſigi poßit, & qui ſit requies, & oblectamentũ eius ætatis. Scripſerat autem* Atticus *(ut conijcere licet ex uerbis* Ciceronis*) hortos præterea* Ciceroni *fore requietẽ ſuæ ſenectutis, quæ iam aduentabat, uel potius aderat: quod nũc* Cicero *ſe quærere negat, adeóque mœroris, & deſperationis plenus eſt, ut de illo iam actum eſſe dicat, nec ſe uidere quomodo ſibi in tantis malis, & tam graui caſu quies, delectatióque illa contingere poßit.*

Tuis occupationibus ignoſco) Antiqua exemplaria, CVIVS OCCVPATIONIBVS. *Quare & nos ita ſcripſimus.* De Sicca *autem adhuc loquitur, quem etiam infrà oſtendit ſe deſiderare, ſecúmque eſſe cupere: promiſerat autem ille literis ſe cito ad Ciceronem uenturum, magniſque ſuis occupationibus fieri docuerat, quòd ab eo adhuc abeſſet.* Ibidem

Quod faciebam, ſed intererat enim ubi acquieſcerem) Antiqua lectio SED INTVS: ERAT ENIM, &c. *nos coniectura ducti,* SED INVITVS *caſtigauimus. Cui iudicium noſtrum diſplicebit, is ex priſcis ueſtigijs quorum nos illi copiam fecimus, aptiorem, ueriorémque lectionem eliciat.* 350

De Triario *bene interpretaris, &c.) In antiquioribus primæ literæ defectu,* DE RIARIO, *ſcriptum eſt. Hãc licet paruã uarietatem adnotare uoluimus, quia ſatis obſcurum eſt hoc negotium.* Ibidem

Si Caſtricius Romã *capit) Locus hic olim corruptißimè legebatur.* Nos, *quod Germani etiam antè uiderant,* PRO MANCIPIIS *emendauimus:* PRO MAN- Ibidem

CVPIIS enim putamus olim ſcriptum fuiſſe, ut antiquitus ſolebant. Non multo pòſt de eodem hoc negotio iterum agens inquit, De mancipijs Caſtricianis cõmodiſsimum eſſe credo tranſig.re Egnatium.

Ibidem Eámque ſibi ſolui, ut nunc ſoluitur) Manu ſcripti libri, Eamque ei ſolui, &c. retinẽt. Vt enim quandoque apud Ciceronem SIBI pro EI inuenitur, ſic contrà EI pro SIBI quemadmodum credimus, hoc loco dictũ eſt, & alijs etiam non paucis: ut libro X. ad Atticum, Cum hæc ſcripſiſſem, à Curione mihi nunciatum eſt, eum ad me uenire: uenerat enim is in Cumanum ueſperi pridie, id eſt Idib. Erant & alia exempla quæ nunc nos omittemus. Tranſierunt hic noſtri librarij uulgatam uocem à nobis circumſcriptam, & deletam: nec eam, quam pro illa reſtitueramus acceperũt: quare mancum hunc locum nobis ſua iniuria tradidere. Tu igitur corrigito.

351 Vetus illud ἐπίγραμμα quemadmodum ſcripſiſti uel ἐπιτάφιον putato:) Idem error qui ſuprà, nec ſolus: nam conſimilis etiam in altera Græca uoce: ἐντάφιον enim pro ἐπιτάφιον & habent ueteres codices, & legendus eſt. Inuenies ambas has uoces apud Plutarchum in uita Catonis Maioris: cum enim diceret illum in ſenectute etiam, à repub. non diſceßiſſe, nec ſe otio tranquillæq; uitæ dediſſe, ut alij excellentes in rep. adminiſtranda uiri ſæpe fecerant, infert: ἀλλ᾽ ὥσπερ διονύσιόν τις ἔπεισε κάλλιστον ἐντάφιον ἡγεῖσθαι τὴν τυραννίδα, κάλλιστον αὐτὸς ἐγγήρακα τὴν πολιτείαν ἡγησάμενος ἀναπαύσεσιν ἐχρῆτο καὶ παιδιαῖς ὁπότε σχολάζοι τῷ συντάττεσθαι βιβλία καὶ γεωργεῖν. Poſteriorem in Paulo Aemilio: cum dicit omnia illi adfuiſſe, quæ exiſtimantur beatam uitam conficere, καὶ γὰρ ἡ περὶ τὴν ἐκφορὰν πομπὴ θαυμασμὸν ἔχειν καὶ ζῆλον ἐπι-

κοσμοῦντα τὴν ἀρετὴν τοῦ ἀνδρὸς τοῖς ἀρίστοις καὶ μακαριωτάτοις ἐνταφίοις ταῦτα δ' ἦν οὐ χρυσὸς οὐδ' ἐλέφας οὐδ' ἡ λοιπὴ πολυτελία καὶ φιλοτιμία τῆς παρασκευῆς ἀλλ' εὔνοια καὶ τιμὴ καὶ χάρις οὐ μόνον παρὰ τῶν πολιτῶν ἀλλὰ καὶ τῶν πολεμίων.

Publia ad me ſcripſit:) Publia habent ueteres codices. Et 352
paulò pòſt PVBLILIO, *pro* Publio: *eſt autem locus meo iudicio uerbis obſcurior, & fortaſſe deprauatior. Verbum illud* MORATVRAM *quod in nullis paulò antiquioribus libris inuenitur ſuperuacaneum iudicauimus, atque deleuimus: intelligique putamus oportere* VENTVRAM.

Ex quo intelligam te certum illius profectionis diem nõ 353
habere:) Vetuſtius noſtrũ exemplar ſic habet, EX QVO INTELLIGAM TE CERTITVDINEM ILLIVS PROFECTIONIS NON HABERE: *quod tamen neglexim⁹: nec enim ſcimus Ciceronem alibi hac uoce uſum eſſe. nolui tamẽ committere quin hoc (ut puto) peccatum, & mendum melioris illius codicis patefacerem, ſi non ob aliud, ut uideant, ſciántque omnes in antiquiſsimis & probatiſsimis etiam codicibus quædã peruersè legi, & barbarè.*

Accepique ab Aegypta literas eodem die, &c.) Antiqui 355
codices, AB AEGYPTA L. EODEM DIE: *ut accuratius, attentiúſque uidendum ſit, an (ab Agypta liberto) legendum ſit: alibi enim L. Libertum ſignificat, ut (accepi) hîc, pro (audiui) poſitum ſit, ut paßim inuenitur apud hunc autorem,* Accepi *(ſcilicet)* Piliam, & Atticam planè bellè ſe habere. *Nam quin Aegypta libertus fuerit, dubium non eſt: ſequenti libro etiam ita eum appellat: inquit enim,* De bruti aduentu eram factus certior: attulerat enim ab eo

Aegypta libertus literas. Poteſt tamen recepta etiam lectiō ex antiqua ſcriptura elici. nam L. *quoque literas ſignificare, alibi animaduertimus.*

357 *Κύριος mihi ſic placuit, ut cetera Antiſthenis:) Antiqua ſcriptura aliquanto eſt confuſior, non ita tamen deformata ut non ex ea uel* κύριος *uel* κῦρος, *parua omnino licentia, erui poßit. Pertinet autem ea uox, niſi fallimur, ad inſequentem clauſulam: ſuperior enim perfecta eſt. Scripſit autem Antiſthenes duo uolumina, quorum utrunque Cyrus appellabatur. Athenæus* δειπνοσοφ. *lib.* v. ἀντισθένης δ' ἐνθατέρῳ τῶν κύρων κακολογῶν ἀλκιβιάδην καὶ παράνομον εἶναι λέγων καὶ εἰς γυναῖκας καὶ εἰς τὴν ἄλλην δίαιταν, *&c. Præterea Laërtius in eius uita, cum uolumina ab eo ſcripta recenſeret,* τόμος τέταρτος ἐν ᾧ κῦρος, ἡρακλῆς ὁ μείζων, ἢ περὶ ἰσχύος. τόμος πέμπτος ἐν ᾧ κῦρος ἢ περὶ βασιλείας. *Scripſimus autem* κύριος *nullam aliam ob cauſam, niſi quòd non nihilo uetuſtis characteribus propinquior, ſimiliórque illa uox hæc eſt: ſed etiam quia ſi* κύρος *tantùm ſcripſiſſet, dubium foret quem librum intelligeret, illúmne qui claudebatur quarto ſegmento, an illum qui de regno loquebatur, & in quinto contentus erat: eſt enim* κύριος *libri itidem titulus eiuſdem autoris eodem Laërtio teſte qui in eodem catalogo librorum inquit,* κύριος ἢ ἐρώμενος.

357 *Et quidem mecum habeo &* ἀριστοτέλους πρὸς ἀλέξανδρον:) *Aliud Græcum nomen quod poſt* ἀριστοτέλους *poni debebat, quia non intellexerant, olim omiſerant. Germani reddere id conati ſunt quod tamen aſſequi non potuerunt: perperam enim* θεώρημα, *contaminata antiqua ſcriptura, repoſuerunt. Nos ex noſtris exemplaribus ueram (ut putamus) lectionē eruimus, eam ſcilicet quam in noſtro impreſſo legis.*

legis. Theopompus enim ſcripſit ſuaſiones ad Alexandrum, autore Athenæo lib. VI. δειπνοσοφιστῶν, θεόπομπος δὲ ὁ χῖος ἐν ταῖς πρὸς ἀλέξανδρον συμβουλαῖς περὶ θεοκρίτου τοῦ πολίτου λόγον ποιούμενος. *Citat etiam eundem in epiſtola ſcripta ad Alexandrum libro* XIII. θεόπομπος δ' ἐν τῇ πρὸς ἀλέξανδρον ἐπιστολῇ τὴν ἁρπάλου διαβάλλων ἀκολασίαν φησίν, *&c.*

Non ipſum ea lego: ea ſcribo, &c.) Antiqui codices, 358
NVNC IPSVM: *quæ uera, & ingenua eſt lectio, id eſt hoc ipſo momento, & puncto temporis. Vtitur & alibi hac locutione Cicero, ut hoc ipſo in libro, Nunc tamen ipſum ſine te eſſe non poſſum. Et lib. etiam* X. *cum exponit ſermonem à ſe habitum cum Curione, Quin nunc ipſum minime offendiſſes, ſi eius cauſa in Italia non fuiſſes.*

Et quod tu ſcire uolebas lego quando ex hoc loco) Nos 359
coniectura emendauimus EGO QVANDO, *&c. exiſtimantes huic pronomini incommode* L. *literam adcreuiſſe: nam ex illa lectione nullus, niſi ineptus ſenſus elicitur, ex noſtra uerò egregius, ut nos arbitramur. Cum eum literis interrogaſſet Atticus quando ex eo loco diſceſſurus eſſet: repetitis eius ferè uerbis, exponit diligenter ſuorum itinerum rationem, quod etiam non multo infrà bis repetit: quæ loca clariorem, & certiorem hanc emendationem reddunt. primus eſt, Ego me hinc poſtridie exiturum puto. Alter autem hic, Ego poſtridie Idus, ut ſcripſi ad te antè, Lanuuij manere conſtituti. Paulò autem ſuprà apertiſſimè his uerbis docet Atticum quæſiſſe à ſe quàm diu illic maneret, Quòd quæris quàm diu hic: paucos dies, ſed certum non habeo, &c.*

Scis quàm ſit φιλαίτιον συμφορά, *minime uito quidem)* Ibidem.
Parum conſtans reperitur in manu ſcriptis exemplaribus

hæc lectio: nonnulli etiam MINIMÆ VITÆ, *quod mendoſum prorſus eſt, legunt. eam igitur elegimus, quam in melioribus inuenimus, & quæ nobis magis probata eſt.* Hanc *autem eſſe arbitramur ſententiam huius loci,* Ardebat Cicero *deſiderio fani faciundi: mandarátque* Attico *ut locum fano ſibi uideret. Cum igitur hoc negotium lentè procederet, incipit longe, tanquam leuiter accuſare eius negligentiam, ut cum ad id magis exacueret, ſtimularétque.* Quòd *ſi, inquiens, acciderit, ut eo etiam dolore impellar ut te culpem, nihil mirari debes: ſcis enim quàm ſit* φιλαίτιον συμφορά, *id eſt quàm facile de omnibus querantur, omnéſque accuſent, qui in aliqua calamitate conſtituti ſunt.* Quamuis *enim* συμφορά *uocabulum ſit* ἐκ τῶν μέσων *(ſignificat enim & proſperam, & aduerſam fortunam) tamen hoc loco miſeriam ſignificat.* Non *tamen, inquit, in te: adhuc enim te in illa re accuſo: ſed tamen tam auide ſum affectus de fano, ut tibi quoque non parſurus ſim, niſi fieri uidero: ſed incurſabit in te dolor meus. & cætera quæ ipſe in hanc ſententiam infert. quamuis autem genera repugnent in Græcis uerbis, tamen mendo uacant, ut intelligatur* συμφοράν *uſitato dicendi modo rem, & uitium quoddam eſſe, quòd cupidè reliquos culpet, criminetúrque, id eſt* φιλαίτιον. Quo *uerbo utitur etiam in epiſtola quadam ad* Appium, *Si autem natura es* φιλαίτιος, *illud non perficies, quominus tua cauſa uelim, &c.* Qui *autem in aliquem acerbum caſum incidunt (quod acciderat* Ciceroni*) ab omnibus ſe deſtitutos putant: eáque alios in ſe committere exiſtimant, quia ſe negligant grauibus fortunæ iniurijs perculſos, ideóque de illis ſæpe etiam ſine iuſta cauſa queruntur,* Niſi *locus mancus eſt, uel deprauatus, hanc ex his uerbis ſententiam elicimus.*

359 Niſi *hac æſtate abſolutum erit, quam rem uides integram*

reſtare:) Veteres libri REM *habent: & ſanè uacat, uel potius conturbat omnem ſenſum: per* QVAM, *enim æſtatem intelligimus, ut oſtendat ei Cicero nullam ſe exiguitatis temporis excuſationem habiturum, cum æſtas integra adhuc reſtet: ut ſatis ſpatij ille ad ædificandum, etiam ſi opus non urgeat, habiturus ſit.* Paulò pòſt *de hac ipſa ædificatione loquens, admonet item* Atticum *ut uideat ne æſtas effluat.* Quin *& in prima ſequentis libri epiſtola, inquit, de hac re agens,* Cuius *feſtinationem mihi tollis, quoniam de æſtate polliceris, uel potius recipis.*

Q*uod ſcies recte in illam rem fore leuamento)* Hunc lo- 360 *cum corruptiſſimum eſſe iudicaui, ideóque notam ad eum adpoſui, quæ mendoſum indicaret. ſi quid tamen hoc opis adferre illi poteſt, eam quam in ueteribus, & probatioribus codicibus lectionem inueni, deſcripſi & recepi, parum quidem illam à uulgari diuerſam, quæ tamen* IN *præpoſitionem non habeat, pro qua* Germani MIHI *ſcripſerunt, & paruis quibuſdam alijs rebus cum illa diſcordet. ſed longe aliud eſt, quod totum hunc locum peruertit, nec intelligi ſinit.*

Eum Q*uirini malo quàm ſalutis)* Diu *hic inane* 362 *manſit ſpatium unius dictionis.* Germani *id explere conati ſunt: nec tamen ueterem ſcripturam intellexerunt.* Videntur *autem ferè quos & nos characteres in uetuſto ſuo exemplari reperiſſe.* In *noſtro antiquiore* EVNNAON *erat, prima tantum litera aliquantulum inquinata:* σύνναον *enim arbitramur legi debere.* σύνναος *autem aliquis alicuius dicitur, qui in eodem cum illo templo colitur.* Syneſius *in epiſtola quadam ad* Nicandrum *appellat* Poëticem Philoſophiæ σύνναον, *quaſi contubernalem: ut ipſe* Cicero *lib.* XIII. *cum hanc uocem Latinè exprimere uellet dicit (eandem enim rem tractat)* Quid *tu hunc de pompa,* Quirini

conturb

conturbernalem, his noſtris moderatis epiſtolis lætaturum ſperas? intelligit enim Cæſarem. Quantum autem ad hiſtoriam quæ totam hanc rem aperiet, traditum eſt nobis Romanos Cæſaris dictatoris imaginem in templo Quirini dedicaſſe, quæ DEO INVICTO *inſcriptum habebat: quod nunc Cicero breuiter tangit.* Dion, καὶ τότε μὲν ἀνδριάντα αὐτοῦ ἐλεφάντινον, ὕστερον δὲ καὶ ἅρμα ὅλον ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις μετὰ τῶν θείων ἀγαλμάτων πέμπεσθαι ἔγνωσαν: ἄλλην τέ τινά εἰκόνα ἐς τὸν τοῦ κυρίνου ναὸν, θεῷ ἀνικήτῳ ἐπιγράψαντες καὶ ἄλλην ἐς τὸ καπιτώλιον παρὰ τοὺς βασιλεύσαντας ποτε ἐν τῇ ῥώμῃ ἀνέθεσαν. Domum autem Attici *ſcimus fuiſſe in colle* Quirinali, *quem* P. Victor *conſtituit in* VI. *urbis regione: eam autem ille ſtatim poſt templum* Quirini *collocat.* QVIRINO *pro* Quirini *in noſtro codice culpa impreſſorum ſcriptum eſt.*

362 *Tantummodo ocius, &c.) Quis non uideat hunc locum perturbatum eſſe? quare nos etiam ut mendoſum eum notauimus: ſolùm (quod à melioribus exemplaribus accepimus)* OCTIVS *ex (ocius) uariauimus, ſi forte id aliqua ratione (licet non minus inquinatum uideatur) poſſet ad ueram lectionem eruendam, aliquid opis adferre. Quærendum autem. cur ſibi nunc poſtquam uicit animum, facilius putet eſſe in* Tuſculanum *accedere: nam non multo antè cum illuc ſe proficiſci uelle dixiſſet, ſubiunxit,* Contudi *enim animum, & fortaſſe uici: ſi modo permanſero.* An *quòd ibi aliquid eſſet, quod illi memoriam ſui doloris renouaret? niſi coniectura fallor, aliquid erat quod ad* Tulliolæ *obitum pertinebat. Suſpicarer eam ibi diem ſuum obiiſſe, niſi ſcirem* Plutarchum *hoc de ipſa dicere,* ἀπέθανε τίκτουσα παρὰ λέντλῳ: & Aſconium *etiam tradere eam apud*

ſecund

ſecundum uirum mortuam eſſe ex partu. Verum hi optimi autores fortaſſe intelligere uoluerunt (quod uerum eſt) eam quo tempore obijt, in coniugio Dolabellæ fuiſſe: nam & alium coniugem habuit (ut ambo illi crediderunt) Piſonem, & fortaſſe duos, ut ex plurimis Ciceronis locis uidetur colligi, & affirmari poſſe. Neque de loco intellexerunt, ut non repugnet quin credi poßit: eam in Tuſculano patris degentem morte correptam fuiſſe, præſertim cum peregre uir eſſet: eo enim tempore Dolabella in Hiſpania cum Cæſare aduerſus Cn. Pompeij liberos bellum gerente erat. Neque tamen hoc affirmo: ſed cum cogitarem quid eſſe potuerit, quod ei uulnus ſui doloris refricaturum eſſet, ſi eò proficiſceretur: nil aliud mihi occurrit, & hoc ualde quadrare uiſum eſt. Hæc enim præcipue res dolorem renouare poterat, quæ eum in maximo mœrore & luctu tenuerat: uerum eruditiores hoc diligentius inueſtigabunt.

Iſto enim animo nihil agreſte, nihil inhumanum eſt) Veteres libri EXTO. *Nobis (exculto) uiſum eſt ſcribere: nam uulgatam lectionem omnino deprauatam eſſe exiſtimamus: ex antiquiſque ueſtigijs non incommodè, ut caſtigauimus, poſſe legi arbitrati ſumus: ut media ſyllaba negligenter à librario omiſſa ſit. Cuius generis errores frequenter eos committere ſolitos ſciunt, qui in priſcis monimentis inſpiciundis aliquid operæ poſuerunt. Excolere autem ingenium, & animum diſciplinis, apud Ciceronem non ſemel legitur: ut in oratione etiam pro Archia dixit, Niſi animos noſtros doctrina excolamus.* **Ibidem**

Vel una dies mihi erit utilis, quid dicam gratius?) Vulgata hæc eſt lectio, niſi fallor inanis, & frigida: uetuſtiores codices, VEL VNVS DIES. *ex quo perſpicitur etiam* GRATVS *eſſe legendum: cum enim poſtulaſſet ab* 363

Atti

Attico ut ſe reuiſeret, pronuntiat illum non fruſtra eſſe uenturum: paruum enim etiam temporis ſpatium ſibi utile futurum eſſe: nam quin gratum quoque futurum ſit, non oportet dicere. utile autem, quia dolorem, animique ſui ægritudinem leuabit.

364 Τῦτο δὴ γνώσῃ) *Ex noſtro probatiore codice* μηλώσῃ *potius quàm* γνώσῃ *eruimus: quod etiam Germanos ex priſco illo exemplari adnotaſſe credimus.* μήλη *autem inſtrumentum quo chirurgi utuntur in uulnerum profunditate inueſtiganda: ex quo uerbum formatum eſt quod perſcrutari, & attentè inquirere ſignificat. Quare huius lectionis hæc ſententia erit, hoc autem diligenter inueſtigabis.*

364 Hoc metuere, alterum in metu non ponere) *Verſus hic eſt ſæpius à Cicerone pronunciatus: autorem autem ignoramus. Eundem adducit in penultima* XIII. *libri epiſtola, & in Topicis ad Trebatium: quo loco exemplum ponit enthymematis, quod conſtat ex contrarijs.*

365 *Vtrum quando ueneant: an ſint'ne uenales*) Nos, QVANDO VENIAT, *cum ueteribus libris ſcripſimus: hàncque putamus eſſe ueram lectionem. nam antea de ea, ut quæ* Roma *abeſſet, expectaretúrque, egerat: & ex hoc loco, Scripſi tamen neſcio quid de Clodia: ubi ergo ea eſt, ut quando uentura? & illo etiam huic, quem in manibus habemus, propinquiore, Sed quando Clodia Romæ futura eſt, & quanti rem æſtimas, eo proſus expecto.*

EX LIBRO XIII. EPISTOLARVM AD ATTICVM.

366 *Totum in hunc ipſum, perſequor æque amo, atque illum amaui*) Nos *aliter legimus ex antiquis codicibus: totum autem in hunc ipſum effudi, & conuerti intelligimus. Cùm*

igitur

igitur filium per ſe pari amore, quo patrem, proſeque-retur: & amorem etiam, quo patrem dilexerat, eo extincto in hunc conuertiſſet: duplo eum quàm patrem fecerat, amabat.

Parochijs publicis) *Antiquiores codices*, PAROCHVS PVBLICVS: *quo ſanè pacto ipſi quoque legendum putamus. Quis Parochos diceretur, à Non. Marcello declaratum eſt his uerbis, Parochos à Græco tractum eſt nomen: quòd uehiculo præcat. ochemata enim Græcè, Latinè uehicula appellantur: & eſt officij genus, quod miniſtrantibus paret, &c. Ex quibus Nonij uerbis mendum ſuſtulimus:* HOC SCHEMATE *enim falsò pro* OCHEMATA *ſcriptum erat in peruulgatis exemplaribus. Dubitamus etiamnuc pro miniſtrantibus*, MAGISTRATIBVS *legendum ſit: nam ſi Acronis uerba attendas. (peregrinantibus) potius legendum iudicabis: is enim hunc locum Horatij-& parochi quæ debent ligna ſalémque: ita interpretatur, Parochi genus officij, qui ſolent peregrinis ſalem, & ligna præbere, & ſignificat publicum curſum.* 366

Expers aliquando factus eſſet, &c.) Nos PRÆS *legimus: quod etiam antè Germani adnotarant: ita enim eſt in noſtro meliore. non tamen quod illi fecerunt* FACTVS ES *ſcripſimus: ſed receptam lectionem ea parte retinuimus: cum ea enim faciunt antiqui libri. non tamen illorum lectionem contemnimus: doctiores, utra potior ſit iudicabunt.* 367

Animus enim uidetur in officio futurus) *Veteres codices* AVIVS *habent: quam ueram eſſe lectionem exiſtimamus: nam & antea hoc ipſo in libro, Oppio, & Balbo epiſtolas deferri iubebis: & tamen Piſonem ſicubi de Auio. quamuis excuſi, uulgatique libri eo loco corrupti erant: uetuſtiores tamen, quod etiam Germani animaduert-* 368

maduerterunt, DE AVIO *legunt.*

367 De *Criſpo & multis ſcilicet,&c.*)De *Criſpo,& Muſtela emendauimus.Suprà etiam eoſdem coniunxit,*De *Criſpo & Muſtela uidebis:& uelim ſcire quæ ſit pars duorum.*

368 *Qui nuper eſt, epiſtolas mihi pronunciabat uerſiculis factas*) *Mihi non parum uidetur hic locus eſſe deprauatus: nam ante dictionem* EPISTOLAS, *nonnihil uidetur deſiderari: & pro* FACTAS, *antiquiores, probatioréſque codices* FACIES *habent.* Nonnulli FACETIS *corrigũt,quos nos,quoniam nihil melius habemus, ſequimur:nec enim penitus probamus:quòd niſi manu ſcripti codices reclamarent, receptam ab alijs lectionem non damnaremus.*

369 *Velim cures eas titulum Olueſtorum*) Ea *eſt uetuſtioris noſtri exemplaris ſcriptura, ut qui obſeruaſſet, quàm ſæpe in eo* E *pro* F *poſitum ſit (cuius errati nos multis locis lectorem admonuimus) turpiſſimè deprauatum locum facile corrigere potuerit:* CICVLVM *enim, non (titulum) in eodem legitur, ut quin* FASCICVLVM *legendum ſit, dubium eſſe non poſſit. Cætera autem recta ſunt, & integra in antiquis libris, ut nos ſcripſimus: tam paſſim autem (faſciculus) hoc ſignificatu capitur, ut exemplis ad hoc oſtendendum opus non ſit.*

369 *Ventum eſt tamen ad quæ*) Non *ſemel iam expoſui,crebro uel potius ferè ſemper in antiquis exemplaribus, ubi* Q. *eſſe debebat,* QVÆ *ſcriptum eſſe:cauſámque huius erroris quam opinatus ſim eſſe, non reticui: hoc autem non paruas maculas, peruerſionéſque creauit, ut alibi oſtendimus.* Hoc *igitur itidem loco* Q*uæ (ut eſt in melioribus codicibus) pro* Q. *perperam librarios ſcripſiſſe puto, exiſtimóque ſermonem eſſe de* Q. *Cicerone puero, cuius multa grauia ſcelera* Dolabella *narrabat perpetrata ab eo in caſtris*

ſtris, dum comes Cæſaris eſſet contra liberos Cn. Pompeij bellum gerentis: quæ quidem appellat ἄφατα & ἀδιήγητα, ut ea quæ adeo turpia eſſent ut recitari & narrari non deberent: inter quæ unum eſſe dicit, quod excedit omnem turpitudinem: id autem ille ita palàm fecerat, ut exercitus, qui illic eſſet, omnis ſcierit. Et hic locus in noſtro exemplari negligentia impreſſorum deminutus eſt, deeſt enim QVINTVM, *ita enim ſuprà oſtendimus legi debere ex* QVAE: *quare tu eum corrige, & tantis eorum peccatis, quoniam aliud fieri non poteſt ignoſce.*

370 *Valde enim deſiderat Brutus ſiquid egerit. &c.) Nulli manuſcripti codices eorum quos uidimus,* EGERIT *habent: & ſanè uacat ea dictio. totus autem locus male punctis diſtinctus erat: in noſtro uolumine accuratius ea collocata ſunt. Dolabella enim erat, qui ualde deſiderabat à Cicerone aliquid fieri, quo laudem gloriámque conſequeretur: ut etiam non multo pòſt affirmat, cum inquit, Volo Dolabellæ ualde deſideranti: non reperio quid. Bruti uoluntatem nondum perſpexerat: iubet igitur ut uideat an is quoque deſideret: cui ſi cupiet, quamprimum morem gerere uult. Eſt autem omnis ſermo de libris, quos hoc tẽpore ualde multos ſcribebat Cicero: quò enim ſe uerteret non habebat, niſi id ſolatium ſui doloris excogitaſſet. Mittebat autem illos familiaribus, neceſſarijsq; ſuis, qui monumentis illis celebrari, & famam adipiſci non mediocriter gaudebant. Vt autem ad uerba ueniamus, Brutus, inquit, ſiquid ſcilicet deſiderabit (fieri, inquam, & ad ſe ſcribi) facies ut ſciam. Miſit autem ei poſtea quinque libros de Finibus, cum certior factus eſſet ab Attico, id ipſum non nolle: quod etiam Cicero non multo pòſt teſtatur.*

372 *De Brutiniana auctione:) Veteres codices Brinniana*

(quæ uera lectio eſt) retinent. Brinnius quidam Ciceronem multis cum cohæredibus hæredem reliquit: inter quos erat & eius libertus: ut ex uerbis Ciceronis colligitur. Sic enim ex antiquis codicibus locum illum legimus, Brinnij libertus cohæres noſter ſcripſit ad me uelle (ſi mihi placeret) cohæredes Sabinum Saluium ad me uenire. non Brinna libertus. Si enim Brinna cohæres fuiſſet, omnia quæ omnibus relicta bona erant, non debuiſſent ab eo Brinniana appellari, quemadmodum ſuprà Brinnianam auctionē uocat. quare meliorem & ueriorem hac quoque parte putauimus eſſe priſcam ſcripturam. Iuxta finem huius libri eadem ratione Brinnianum fundum nominat: quod ambas has (ſi diligenter animaduertas) caſtigationes confirmat: eius loci hæc uerba ſunt, Veſtorius ad me ſcripſit, ut iuberem mancipio dari ſeruo ſuo pro mea parte Heterio cuidam fundum Brinnianum: ut ipſe ei Puteolis rectè mancipio dare poſſet.

372 *Id ei dereſtabat:) Rectè meo iudicio fecerant, qui olim huic loco mendi notam adpoſuerant: eſt enim proculdubio peruerſus noſter antiquior codex & ipſe aliquanto conturbatior eſt: ex eo nos, quam in noſtrum codicem contulimus lectionem, accepimus: quæ & ipſa maculas quaſdam habet, quas eluere non potuimus. qui autem* IDEM EDERE RESTABAT *legebant, lectionem nullius ſententiæ adamarunt. antiquæ ſcripturæ magis conſentaneum erat,* ID EI RESTABAT *legere: ut* ID *bis culpa librarij ſcriptum eſſet: nihil tamen adfirmamus. emendauimus autem pro* QVAE INTELLEXERIS, QVEM INTELLEXERIS: *ita enim habent manuſcripti codices, & ſenſus (niſi fallimur) poſtulat: credimus enim hanc eſſe ſententiam huius loci, ut Cicero magnopere ſcire cuperet quonam pacto Atticus ſenſiſſet uelle,*

&

& cupere Varronem ſibi librum aliquem à Cicerone mitti: ſed illud multò magis, quemnam intellexiſſet à Varrone ζηλοτυπεῖσθαι, *id eſt quinam ille eſſet, cui Varro* ζηλοτυπίαν *haberet.* Non multò pòſt *de iiſdem his rebus iterum interrogat, Primum quî intellexeris eum deſiderare à me, cum ipſe homo* πολυγραφώτατος *nunquam me laceſſiſſet. Deinde quem* ζηλοτυπεῖν *multò Hortenſium minus, aut eos, qui de repub. loquuntur. Cum multos ſuis ſcriptis illuſtraſſet* Cicero, *ſcire cupiebat quiſnam ille foret cui* Varro *inuideret: num* Brutus, *cui ſcripſerat libros de finibus.* Quod *ſi non Brutus ab eo* ζηλοτυπεῖτο, *multò minus* Hortenſium *exiſtimabat ab eo poſſe* ζηλοτυπεῖσθαι, *aut eos, quos induxerat loquentes in libris de rep. illi enim iam mortui, inuidemus autem uiuis. quare petit ut accuratè totam hanc rem inquirat, & ei explicet.* Libros *autem ſuos quos tantopere laudat credimus nos plurimis argumentis eſſe quinque libros de* Finibus: *etſi ſcimus quoſdam non inelegantes, nec ineruditos uiros credidiſſe dicta ea eſſe de libris* Academicis, *qui in eo uereor ne decepti ſint: nam nondum libri Academici, quos ad* Varronem *miſit, confecti erant & abſoluti: ut ex inſequentibus uerbis colligitur, inquit enim,* Multò *tamen hæc erunt ſplendidiora, breuiora, meliora.* Inchoati *igitur erant & imperfecti, cum illis, de quibus ſuprà loquitur & quos laudat, ſupremam iam manum impoſuiſſet: ut ex his eius uerbis apparet,* Libri *quidem ita exierunt (niſi me communis* φιλαυτία *decepit) ut in tali genere ne apud Græcos quidem ſimile quicquam.* Intelligo *autem* Exierunt, *euaſerunt, & poſtquam abſoluti ſunt, ſe mihi oſtenderunt: quemadmodum* Horatius *in* Poëtica *inquit, amphora cœpit* Inſtitui, *currente rota cur urceus exit? Sed in aliis etiam rebus ab eius iudicio nos &*

ſententia diſſentimus, de quibus ſuo loco accuratè diſputabitur.

372 *Tamen expecto nouas:)* Priſca lectio NONAS. eã nos recepimus. partim hoc fideli uetuſtati libri illius tribuentes, partim quia nõ multò infrà inquit, Ego ad nonas quemadmodum dixi. quod omnem tollit ambiguitatem.

373 Non illa quidem ἀπαιδευσία ſed in his rebus ἀτριψία:) Non nihil ſanè mendi habet antiquius etiã noſtrum exemplar in poſteriore Græca dictione, ΑΥΡΕΙΥΙΑ enim in eo ſcriptum eſt, ſed uſitatus illi error: ſæpe enim pro ſimplici I, eo diphthongo abutitur: ἀτριψία igitur dandi caſu legendum putamus: ut dicat, Academicam rationem nobiliſsimis uiris ignotam eſſe, non quòd eſſent diſciplinarum expertes (erant enim illi eruditi optimis artibus) ſed quia eam tritam, & bene cognitam non haberent. τρίβων apud Ariſtophanem in nubibus pro ἔμπειρα ponitur, καὶ τῶν κρεμαθρῶν οὐ τρίβων τῶν ἐνθάδε. Nec non apud Euripidem in Medea, σοφὸς γὰρ ἀνὴρ καὶ τρίβων τὰ τοιάδε. inde ἄτριψ alicuius rei ille dicitur, cui res ea bene cognita non eſt, ſed ignorata. Altera uoce utitur Plato in Euthydemo pro ignoratione diſciplinarum, πλέον οὖν ἔφην ἐγὼ τῶν δεόντων ἀπεκενωσάμην ὑπὸ ἀπαιδευσίας ἀλλὰ συγγίνωσκέ μοι.

374 *Ne uiderer* φιλόνδοξος:) Non ſolum manu ſcripti omnes, ſed etiam excuſi codices ante Aldinam editionem φιλένδοξος retinent: quæ lectio non uideo cur repudiari debuerit: is enim φιλένδοξος eſſe poteſt, qui clarorum & illuſtrium uirorum cupide amicitiam, & gratiam ſectatur: eo enim ſtudio quærere uidetur, ut ab illis illuſtretur, & illorum beneficio famam adipiſcatur. Fugiſſe Ciceronem in ſuis Dialogis, M. Varronem inducere, credidit fortaſſe Atticus,

*cus, ne ſibi hoc aliquis uitio daret, quòd beneuolētiam eius,
ut clari in literis uiri ſibi conciliaret, ut eius ſcriptis cele=
braretur: quam tamen ipſe cauſam ſe in Varrone non mo=
uiſſe adfirmat: etſi ut culpam, & ſuſpicionem omnem eui=
taret, libenter diſcedebat à talibus uiris: qua de cauſa nemi=
nem olim eorum qui uiuerent, in ſuis Dialogis introducere
ſtatuerat.*

*Erant enim λογικώτερα quàm inutilia de ijs omnia & 375
iniqua uiderentur:) Vt hic iam fœde deprauatus erat locus,
ita nunc planus, & integer legitur: ea ſunt in noſtro anti-
quiore ſinceræ lectionis ueſtigia: ut parum omnino deſide-
retur, nec ullus mediocri ingenio præditus illis ducibus non
ad ueram lectionem perueniret. Viderunt hoc etiam Ger=
mani, in margine enim ſui codicis hanc quoque collocarunt:
ſed cur non uulgata lectione exploſa, & eiecta hanc in ſuam
ſedem repoſuerunt? quis illi tam uitioſæ, & fœdæ, hac reper=
ta, locus eſſe poteſt?*

*Sunt enim uehementer Antiochia:) Græcum diu uer= Ibidem
bum hic deſideratum eſt, ne ſpatio quidem illi relicto. libet
autem exponere quàm parua peruerſio tam magnum in=
commodum attulerit, ut à doctiſſimis uiris, in quorum ma=
nibus, quantum illis commodum fuit, liber quem nunc domi
noſtræ habemus manſit, intellectum & reſtitutum non ſit:
ita enim in eo eſt ΠΙΟΑΝΑ: ut ſi circulo illi punctum
in medio, tanquam centrum colloces, quod à librarijs negli=
genter relictum eſt, omnes tenebras expuleris, lucemque illi
dictioni, & ſplendorem reddideris. Hæc autem poſtquam
illuſtrata ſunt, tam clara & aperta, magnas moleſtias exhi=
bent antequam intellecta ſint. nec nunc ideo hoc dicimus,
quia ualde nobis in his nugis placeamus: nam & Germani
hoc antè uiderant, & minuta hæc eſſe, & leuia ſentimus.*

Antiochus autem hic Aſcalonita ueteris Academiæ ferè iam deſertæ patrocinium ſuſcepit, eámque totis ingenij uiribus defenſitauit: fuit autem L. *Lucullo ualde familiaris, ut* Plu*tarchus in eius uita tradidit, ſic autem de eo loquitur,* ἴδιον δὲ τῆς ἀκαδημίας ἐξ ἀρχῆς ἔρωτα καὶ ζῆλον ἔχειν τοῦ τῆς νέας λεγομένης καίπερ ἀνθούσης τότε τοῖς καρνεάδου λόγοις διὰ φίλωνος. ἀλλὰ τῆς παλαιᾶς πιθανὸν ἄνδρα καὶ δεινὸν εἰπεῖν τότε προστάτην ἐχούσης τὸν ἀσκαλωνίτην ἀντίοχον ὃν πάσῃ σπουδῇ ποιησάμενος φίλον ὁ λούκολλος καὶ συμβιωτὴν ἀντετάττετο τοῖς φίλωνος ἀκροαταῖς ὧν καὶ κικέρων ἦν Idem ferè de eodem loquitur *in uita* Bruti. Vides igitur etiam Plutarchum idem ſentire cum Cicerone, *qui* Antiochum πιθανὸν *appellet, id eſt magnam habere perſuadendi uim eius orationem, & magno uerborum impetu pronunciari tradat.*

376 Vidén' *quam philoſophos aut tu nos, &c.*) Legimus φιλοσόφως *ut aduerbium ſit, intelligatúrque (ſentiamus) uel (diſputemus:) ſuprà enim de fama ex rationibus philoſophorum diſſeruerat. quaſi dicat,* Vidéſne *quàm in omni re philoſophia abutamur, & omnes noſtras cogitationes ad ipſius præcepta dirigamus? quod mirari non debes. cũ enim cotidie philoſophumena explicemus, uideremur ea fruſtra tractare, niſi in uitæ rationibus inſtitutis illis uteremur.* V*bi autem* HAVT TV NOS *legebatur, antiquorum codicum auxilio,* AN TV NOS, *&c. emendauimus. Illud autem Græcum aduerbium frequenter Græci autores uſurpant.* Plut. *in* Catone *maiore,* πρᾴως δὲ καὶ φιλοσόφως λέγεται τὴν συμφορὰν ἐνεγκεῖν, *Græcis enim* φιλοσόφως *ſignificat, quod nos uulgo philoſophicè dicimus.*

376 Δεδεῖχθαι *te nollem quod nihil erat:*) Vetus *lectio* δεδῆχθαι: *parua ſcripturæ uarietate, magna ſententiæ.*

δεδῆ

δεδῆχθαι à δάκνω, quod eſt mordeo, uel δάκω potius, quod in uſu non eſt, idem tamen ſignificat, deriuatur. hic eſt igitur ſenſus, Nollem te eo morſum eſſe (nam etiam Latini uerbum MORDEO ad animum transferunt) quòd nullum erat: nec enim debuit tam parua res te ſolicitum habere. uel (ſi patiendi uerbum pro agendi ſumptum eſſe uis) momordiſſe te nollem id, quod nullum erat. Vtuntur frequenter Græci ſuo uerbo, cum animi dolorem, & moleſtam acutámque ſolicitudinem ſignificare uolunt. ut nutrix Medeæ apud Euripidem de hera loquens, τί ποτ' ἐργάσεται, μεγαλόσπλαγχνος δυσκατάπαυστος δηχθεῖσα κακοῖσιν. Cicero etiam Latino uſus eſt lib. VI. ad Atticum, Qui ſcribis moderi te interdum, quòd non ſimul ſis.

Suſtineat currum equóſque, &c.) Mutato horum uer= 377 borum ordine integer eſt hexameter in antiquis codicibus: quod etiam Germani animaduertiſſe uidentur in ſuo exemplari: quare nos quoque id recepimus. cur enim tot integerrimorum teſtium fidem, & autoritatem damnaremus? Poſt autem hec uerba SIMILEM FACIT, diu uerbum Græcum deſideratum eſt: quidam ἐποχὴν ἑρμοδώρῳ reſtituerunt falsò: Quid enim Hermodoro eſt cum aſſenſionis retentione? ita enim Cicero interpretatur ἐποχὴν. Sumptum autem eſt id proprium nomen ex prouerbio λόγοισιν ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται; quo paulò pòſt Cicero utitur, ineptéque in hunc locum tranſlatum. ipſi ex iiſdem codicibus SIMILEM FACIT, ἐποχῇ, ſcripſimus, intelligimúſque cum planius explicare uellet Carneades quid eſſet ἐποχὴ, ſemper ſolitũ eſſe ſimilitudine τῆς προβολῆς in pugile, & retentionis equorum in auriga eam declarare, & notam facere. Habent autem hæ res ſtatum, & firmitatem, ſed ad tempus, ut maiore ui, & impetu hic in aduerſarium

 inferatur:

conturbernalem, his noſtris moderatis epiſtolis lætaturum ſperas? intelligit enim Cæſarem. Quantum autem ad hiſtoriam quæ totam hanc rem aperiet, traditum eſt nobis Romanos Cæſaris dictatoris imaginem in templo Quirini dedicaſſe, quæ DEO INVICTO *inſcriptum habebat: quod nunc Cicero breuiter tangit. Dion,* καὶ τότε μὲν ἀνδριάντα αὐτοῦ ἐλεφάντινον, ὕστερον δὲ καὶ ἅρμα ὅλον ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις μετὰ τῶν θείων ἀγαλμάτων πέμπεσθαι ἔγνωσαν· ἄλλην τέ τινα εἰκόνα ἐς τὸν τοῦ κυρίνου ναὸν, θεῷ ἀνικήτῳ ἐπιγράψαντες καὶ ἄλλην ἐς τὸ καπιτώλιον παρὰ τοὺς βασιλεύσαντας ποτε ἐν τῇ ῥώμῃ ἀνέθεσαν. *Domum autem Attici ſcimus fuiſſe in colle Quirinali, quem P. Victor conſtituit in* VI. *urbis regione: eam autem ille ſtatim poſt templum Quirini collocat.* QVIRINO *pro Quirini, in noſtro codice culpa impreſſorum ſcriptum eſt.*

362 *Tantummodo ocius, &c.) Quis non uideat hunc locum perturbatum eſſe? quare nos etiam ut mendoſum eum notauimus: ſolùm (quod à melioribus exemplaribus accepimus)* OCTIVS *ex (ocius) uariauimus, ſi forte id aliqua ratione (licet non minus inquinatum uideatur) poſſet ad ueram lectionem eruendam, aliquid opis adferre. Quærendum autem. cur ſibi nunc poſtquam uicit animum, facilius putet eſſe in Tuſculanum accedere: nam non multo antè cum illuc ſe proficiſci uelle dixiſſet, ſubiunxit, Contudi enim animum, & fortaſſe uici: ſi modo permanſero. An quòd ibi aliquid eſſet, quod illi memoriam ſui doloris renouaret? niſi coniectura fallor, aliquid erat quod ad Tulliolæ obitum pertinebat. Suſpicarer eam ibi diem ſuum obijſſe, niſi ſcirem Plutarchum hoc de ipſa dicere,* ἀπέθανε τίκτουσα παρὰ λέντλῳ: *& Aſconium etiam tradere eam apud*

ſecund

ſecundum uirum mortuam eſſe ex partu. Verum hi optimi autores fortaſſe intelligere uoluerunt (quod uerum eſt) eam quo tempore obijt, in coniugio Dolabellæ fuiſſe: nam & alium coniugem habuit (ut ambo illi crediderunt) Piſonem, & fortaſſe duos, ut ex plurimis Ciceronis locis uidetur colligi, & affirmari poſſe. Neque de loco intellexerunt, ut non repugnet quin credi poßit: eam in Tuſculano patris degentem morte correptam fuiſſe, præſertim cum peregre uir eſſet: eo enim tempore Dolabella in Hiſpania cum Cæſare aduerſus Cn. Pompeij liberos bellum gerente erat. Neque tamen hoc affirmo: ſed cum cogitarem quid eſſe potuerit, quod ei uulnus ſui doloris refricaturum eſſet, ſi eò proficiſceretur: nil aliud mihi occurrit, & hoc ualde quadrare uiſum eſt. Hæc enim præcipue res dolorem renouare poterat, quæ eum in maximo mœrore & luctu tenuerat: uerum eruditiores hoc diligentius inueſtigabunt.

Iſto enim animo nihil agreſte, nihil inhumanum eſt) Veteres libri EXTO. *Nobis (exculto) uiſum eſt ſcribere: nam uulgatam lectionem omnino deprauatam eſſe exiſtimamus: ex antiquiſque ueſtigijs non incommodè, ut caſtigauimus, poſſe legi arbitrati ſumus: ut media ſyllaba negligenter à librario omiſſa ſit. Cuius generis errores frequenter eos committere ſolitos ſciunt, qui in priſcis monimentis inſpiciundis aliquid operæ poſuerunt. Excolere autem ingenium, & animum diſciplinis, apud Ciceronem non ſemel legitur: ut in oratione etiam pro Archia dixit, Niſi animos noſtros doctrina excolamus.* **Ibidem**

Vel una dies mihi erit utilis, quid dicam gratius?) Vulgata hæc eſt lectio, niſi fallor inanis, & frigida: uetuſtiores codices, VEL VNVS DIES. *ex quo perſpicitur etiam* GRATVS *eſſe legendum: cum enim poſtulaſſet ab* 363

Atti

Attico ut ſe reuiſeret, pronuntiat illum non fruſtra eſſe uenturum: paruum enim etiam temporis ſpatium ſibi utile futurum eſſe: nam quin gratum quoque futurum ſit, non oportet dicere. utile autem, quia dolorem, animique ſui ægritudinem leuabit.

364 Τοῦτο δὲ γνώσῃ) Ex noſtro probatiore codice μηλώσῃ potius quàm γνώσῃ eruimus: quod etiam Germanos ex priſco illo exemplari adnotaſſe credimus. μήλη autem inſtrumentum quo chirurgi utuntur in uulnerum profunditate inueſtiganda: ex quo uerbum formatum eſt quod perſcrutari, & attentè inquirere ſignificat. Quare huius lectionis hæc ſententia erit, hoc autem diligenter inueſtigabis.

364 Hoc metuere, alterum in metu non ponere) Verſus hic eſt ſæpius à Cicerone pronunciatus: autorem autem ignoramus. Eundem adducit in penultima XIIII. libri epiſtola, & in Topicis ad Trebatium: quo loco exemplum ponit enthymematis, quod conſtat ex contrarijs.

365 Vtrum quando ueneant: an ſint'ne uenales) Nos, QVANDO VENIAT, cum ueteribus libris ſcripſimus: hánceque putamus eſſe ueram lectionem. nam antea de ea, ut quæ Roma abeſſet, expectarettúrque, egerat: & ex hoc loco, Scripſi tamen neſcio quid de Clodia: ubi ergo ea eſt, ut quando uentura? & illo etiam huic, quem in manibus habemus, propinquiore, Sed quando Clodia Romæ futura eſt, & quanti rem æſtimas, eo proſus expecto.

EX LIBRO XIII. EPISTOLARVM AD ATTICVM.

366 Totum in hunc ipſum, perſequor æque amo, atque illum amaui) Nos aliter legimus ex antiquis codicibus: totum autem in hunc ipſum effudi, & conuerti intelligimus. Cùm igitur

igitur filium per ſe pari amore, quo patrem, proſeque-retur: & amorem etiam, quo patrem dilexerat, eo extin-cto in hunc conuertiſſet: duplo eum quàm patrem fecerat, amabat.

Parochijs publicis) Antiquiores codices, PAROCHVS 366 PVBLICVS: *quo ſanè pacto ipſi quoque legendum puta-mus. Quis Parochos diceretur, à* Non. *Marcello declara-tum eſt his uerbis,* Parochos *à Græco tractum eſt nomen: quòd uehiculo præeat. ochemata enim Græcè, Latinè uehi-cula appellantur: & eſt officij genus, quod miniſtrantibus paret, &c. Ex quibus* Nonij *uerbis mendum ſuſtulimus:* HOC SCHEMATE *enim falsò pro* OCHEMATA *ſcriptum erat in peruulgatis exemplaribus. Dubitamus e-tiamne pro miniſtrantibus,* MAGISTRATIBVS *le-gendum ſit: nam ſi Acronis uerba attendas. (peregrinanti-bus) potius legendum iudicabis: is enim hunc locum Ho-ratij-& parochi quæ debent ligna ſalemque: ita interpre-tatur, Parochi genus officij, qui ſolent peregrinis ſalem, & ligna præbere, & ſignificat publicum curſum.*

Expers aliquando factus eſſet, &c.) Nos PRÆS *le-* 367 *gimus: quod etiam antè Germani adnotarant: ita enim eſt in noſtro meliore. non tamen quod illi fecerunt* FACTVS ES *ſcripſimus: ſed receptam lectionem ea parte retinuimus: cum ea enim faciunt antiqui libri. non tamen illorum lectio-nem contemnimus: doctiores, utra potior ſit iudicabunt.*

Animus enim uidetur in officio futurus) Veteres codi- 367 *ces* AVIVS *habent: quam ueram eſſe lectionem exiſti-mamus: nam & antea hoc ipſo in libro, Oppio, & Bal-bo epiſtolas deferri iubebis: & tamen Piſonem ſicubi de Auio quamuis excuſi, uulgatique libri eo loco corru-pti erant: uetuſtiores tamen, quod etiam Germani ani-*

maduert

maduerterunt, DE AVIO *legunt.*

367 De Criſpo *& multis ſcilicet,&c.)* De Criſpo, *&* Muſtela *emendauimus. Suprà etiam eoſdem coniunxit,* De Criſpo *&* Muſtela *uidebis: & uelim ſcire quæ ſit pars duorum.*

368 Qui *nuper eſt, epiſtolas mihi pronunciabat uerſiculis factas)* Mihi non parum uidetur hic locus eſſe deprauatus: nam ante dictionem EPISTOLAS, nonnihil uidetur deſiderari: & pro FACTAS, antiquiores, probatioréſque codices FACIES habent. Nonnulli FACETIS corrigũt, quos nos, quoniam nihil melius habemus, ſequimur: nec enim penitus probamus: quòd niſi manu ſcripti codices reclamarent, receptam ab alijs lectionem non damnaremus.

369 Velim *cures eas titulum* Oluestorum) Ea eſt uetuſtioris noſtri exemplaris ſcriptura, ut qui obſeruaſſet, quàm ſæpe in eo E pro F poſitum ſit (cuius errati nos multis locis lectorem admonuimus) turpiſsimè deprauatum locum facile corrigere potuerit: CICVLVM enim, non (titulum) in eodem legitur, ut quin FASCICVLVM legendum ſit, dubium eſſe non poſsit. Cætera autem recta ſunt, & integra in antiquis libris, ut nos ſcripſimus: tam paſsim autem (faſciculus) hoc ſignificatu capitur, ut exemplis ad hoc oſtendendum opus non ſit.

369 Ventum *eſt tamen ad quæ)* Non ſemel iam expoſui, crebro uel potius ferè ſemper in antiquis exemplaribus, ubi Q. eſſe debebat, QVÆ ſcriptum eſſe: cauſámque huius erroris quam opinatus ſim eſſe, non reticui: hoc autem non paruas maculas, peruerſionéſque creauit, ut alibi oſtendimus. Hoc igitur itidem loco Quæ (ut eſt in melioribus codicibus) pro Q. perperam librarios ſcripſiſſe puto, exiſtimóque ſermonem eſſe de Q. Cicerone puero, cuius multa grauia ſcelera Dolabella narrabat perpetrata ab eo in ca-

ſtris

ſtris, dum comes Cæſaris eſſet contra liberos Cn. Pompeij bellum gerentis: quæ quidem appellat ἄφατα & ἀδιήγητα, ut ea quæ adeo turpia eſſent ut recitari & narrari non deberent: inter quæ unum eſſe dicit, quod excedit omnem turpitudinem: id autem ille ita palàm fecerat, ut exercitus, qui illic eſſet, omnis ſcierit. Et hic locus in noſtro exemplari negligentia impreſſorum deminutus eſt, deeſt enim QVINTVM, *ita enim ſuprà oſtendimus legi debere ex* QVAE: *quare tu eum corrige, & tantis eorum peccatis, quoniam aliud fieri non poteſt ignoſce.*

Valde enim deſiderat Brutus ſiquid egerit. &c.) *Nulli manuſcripti codices eorum quos uidimus,* EGERIT *habent: & ſanè uacat ea dictio. totus autem locus male punctis diſtinctus erat: in noſtro uolumine accuratius ea collocata ſunt. Dolabella enim erat, qui ualde deſiderabat à Cicerone aliquid fieri, quo laudem gloriámque conſequeretur: ut etiam non multo pòſt affirmat, cum inquit, Volo Dolabellæ ualde deſideranti: non reperio quid. Bruti uoluntatem nondum perſpexerat: iubet igitur ut uideat an is quoque deſideret: cui ſi cupiet, quamprimum morem gerere uult. Eſt autem omnis ſermo de libris, quos hoc tẽpore ualde multos ſcribebat Cicero: quò enim ſe uerteret non habebat, niſi id ſolatium ſui doloris excogitaſſet. Mittebat autem illos familiaribus, neceſſarijſq́; ſuis, qui monumentis illis celebrari, & famam adipiſci non mediocriter gaudebant. Vt autem ad uerba ueniamus, Brutus, inquit, ſiquid ſcilicet deſiderabit (fieri, inquam, & ad ſe ſcribi) facies ut ſciam. Miſit autem ei poſtea quinque libros de Finibus, cum certior factus eſſet ab Attico, id ipſum non nolle: quod etiam Cicero non multo pòſt teſtatur.* 370

De Brutiniana auctione:) *Veteres codices Brinniana* 372

 (quæ

(quæ uera lectio eſt)retinent. Brinnius quidam Ciceronem multis cum cohæredibus hæredem reliquit: inter quos erat & eius libertus: ut ex uerbis Ciceronis colligitur. Sic enim ex antiquis codicibus locum illum legimus, Brinnij libertus cohæres noſter ſcripſit ad me uelle(ſi mihi placeret) cohæredes Sabinum Saluium ad me uenire. non Brinna libertus. Si enim Brinna cohæres fuiſſet, omnia quæ omnibus relicta bona erant, non debuiſſent ab eo Brinniana appellari, quemadmodum ſuprà Brinnianam auctionē uocat. quare meliorem & ueriorem hac quoque parte putauimus eſſe priſcam ſcripturam. Iuxta finem huius libri eadem ratione Brinnianum fundum nominat: quod ambas has(ſi diligenter animaduertas) caſtigationes confirmat: eius loci hæc uerba ſunt, Veſtorius ad me ſcripſit, ut iuberem mancipio dari ſeruo ſuo pro mea parte Heterio cuidam fundum Brinnianum: ut ipſe ei Puteolis rectè mancipio dare poſſet.

372 Id ei dereſtabat:) Rectè meo iudicio fecerant, qui olim huic loco mendi notam adpoſuerant: eſt enim proculdubio peruerſus noſter antiquior codex & ipſe aliquanto conturbatior eſt: ex eo nos, quam in noſtrum codicem contulimus lectionem, accepimus: quæ & ipſa maculas quaſdam habet, quas eluere non potuimus. qui autem IDEM EDERE RESTABAT legebant, lectionem nullius ſententiæ adamarunt. antiquæ ſcripturæ magis conſentaneum erat, ID EI RESTABAT legere: ut ID bis culpa librarij ſcriptum eſſet: nihil tamen adfirmamus. emendauimus autem pro QVAE INTELLEXERIS, QVEM INTELLEXERIS: ita enim habent manuſcripti codices, & ſenſus(niſi fallimur) poſtulat: credimus enim hanc eſſe ſententiam huius loci, ut Cicero magnopere ſcire cuperet quonam pacto Atticus ſenſiſſet uelle,

&

& cupere Varronem ſibi librum aliquem à Cicerone mit-
ti: ſed illud multò magis, quemnam intellexiſſet à Varro-
ne ζηλοτυπεῖσθαι, id eſt quinam ille eſſet, cui Varro ζηλο-
τυπίαν haberet. Non multò pòſt de iiſdem his rebus iterum
interrogat, Primum qui intellexeris eum deſiderare à me,
cum ipſe homo πολυγραφώτατος nunquam me laceſſiſſet.
Deinde quem ζηλοτυπεῖν multò Hortenſium minus, aut
eos, qui de repub. loquuntur. Cum multos ſuis ſcriptis illu-
ſtraſſet Cicero, ſcire cupiebat quiſnam ille foret cui Varro
inuideret: num Brutus, cui ſcripſerat libros de finibus. Quod
ſi non Brutus ab eo ζηλοτυπεῖτο, multò minus Horten-
ſium exiſtimabat ab eo poſſe ζηλοτυπεῖσθαι, aut eos, quos
induxerat loquentes in libris de rep. illi enim iam mortui,
inuidemus autem uiuis. quare petit ut accuratè totam hanc
rem inquirat, & ei explicet. Libros autem ſuos quos tan-
topere laudat credimus nos plurimis argumentis eſſe quin-
que libros de Finibus: etſi ſcimus quoſdam non inelegan-
tes, nec ineruditos uiros credidiſſe dicta ea eſſe de libris
Academicis, qui in eo uereor ne decepti ſint: nam nondum
libri Academici, quos ad Varronem miſit, confecti erant
& abſoluti: ut ex inſequentibus uerbis colligitur, inquit
enim, Multò tamen hæc erunt ſplendidiora, breuiora, me-
liora. Inchoati igitur erant & imperfecti, cum illis, de qui-
bus ſuprà loquitur & quos laudat, ſupremam iam ma-
num impoſuiſſet: ut ex his eius uerbis apparet, Libri qui-
dem ita exierunt (niſi me communis φιλαυτία decepit) ut
in tali genere ne apud Græcos quidem ſimile quicquam.
Intelligo autem Exierunt, euaſerunt, & poſtquam abſolu-
ti ſunt, ſe mihi oſtenderunt: quemadmodum Horatius in
Poëtica inquit, amphora cœpit Inſtitui, currente rota cur
urceus exit? Sed in aliis etiam rebus ab eius iudicio nos &

ſententia diſſentimus, de quibus ſuo loco accuratè diſputabitur.

372 Tamen expecto nouas:) *Priſca lectio* NONAS. *eã nos recepimus. partim hoc fideli uetuſtati libri illius tribuentes, partim quia nõ multò infrà inquit, Ego ad nonas quemadmodum dixi. quod omnem tollit ambiguitatem.*

373 Non illa quidem ἀπαιδευσία *ſed in his rebus* ἀτρειψία:) Non nihil ſanè mendi habet antiquius etiã noſtrum exemplar in poſteriore Græca dictione, ΑΤΡΕΙΤΙΑ enim in eo ſcriptum eſt, ſed uſitatus illi error: ſæpe enim pro ſimplici I, eo diphthongo abutitur: ἀτριψίᾳ igitur dandi caſu legendum putamus: ut dicat, Academicam rationem nobiliſsimis uiris ignotam eſſe, non quòd eſſent disciplinarum expertes (erant enim illi eruditi optimis artibus) ſed quia eam tritam, & bene cognitam non haberent. τρίβων apud Ariſtophanem in nubibus pro ἔμπειρα ponitur, καὶ τῶν κρεμαθρῶν οὐ τρίβων τῶν ἐνθάδε. Nec non apud Euripidem in Medea, σοφὸς γὰρ ἀνὴρ καὶ τρίβων τὰ τοιάδε. inde ἀτριψ alicuius rei ille dicitur, cui res ea bene cognita non eſt, ſed ignorata. Altera uoce utitur Plato in Euthydemo pro ignoratione diſciplinarum, πλέον οὖν ἔφην ἐγὼ τοῦ δέοντος ἀπεκεινάμην ὑπὸ ἀπαιδευσίας ἀλλὰ συγγίνωσκέ μοι.

374 Ne uiderer φιλόνδοξος:) Non ſolum manu ſcripti omnes, ſed etiam excuſi codices ante Aldinam editionem φιλένδοξος retinent: quæ lectio non uideo cur repudiari debuerit: is enim φιλένδοξος eſſe poteſt, qui clarorum & illuſtrium uirorum cupide amicitiam, & gratiam ſectatur: eo enim ſtudio quærere uidetur, ut ab illis illuſtretur, & illorum beneficio famam adipiſcatur. Fugiſſe Ciceronem in ſuis Dialogis, M. Varronem inducere, credidit fortaſſe Atticus,

cus, ne ſibi hoc aliquis uitio daret, quòd beneuolētiam eius, ut clari in literis uiri ſibi conciliaret, ut eius ſcriptis celebraretur: quam tamen ipſe cauſam ſe in Varrone *non mouiſſe adfirmat: etſi ut culpam, & ſuſpicionem omnem euitaret, libenter diſcedebat à talibus uiris: qua de cauſa neminem olim eorum qui uiuerent, in ſuis* Dialogis *introducere ſtatuerat.*

Erant enim λογικώτερα *quàm inutilia de iis omnia &* 375
inique uiderentur:) Vt hic iam fœde deprauatus erat locus, ita nunc planus, & integer legitur: ea ſunt in noſtro antiquiore ſinceræ lectionis ueſtigia: ut parum omnino deſideretur, nec ullus mediocri ingenio præditus illis ducibus non ad ueram lectionem perueniret. Viderunt hoc etiam Germani, in margine enim ſui codicis hanc quoque collocarunt: ſed cur non uulgata lectione exploſa, & eiecta hanc in ſuam ſedem repoſuerunt? quis illi tam uitioſæ, & fœdæ, hac reperta, locus eſſe poteſt?

Sunt enim uehementer Antiochia:) *Græcum diu uer-* **Ibidem**
bum hic deſideratum eſt, ne ſpatio quidem illi relicto. libet autem exponere quàm parua peruerſio tam magnum incommodum attulerit, ut à doctiſſimis uiris, in quorum manibus, quantum illis commodum fuit, liber quem nunc domi noſtræ habemus manſit, intellectum & reſtitutum non ſit: ita enim in eo eſt ΠΙΟΑΝΑ: *utſi circulo illi punctum in medio, tanquam centrum colloces, quod à librarijs negligenter relictum eſt, omnes tenebras expuleris, lucemque illi dictioni, & ſplendorem reddideris. Hæc autem poſtquam illuſtrata ſunt, tam clara & aperta, magnas moleſtias exhibent antequam intellecta ſint. nec nunc ideo hoc dicimus, quia ualde nobis in his nugis placeamus: nam & Germani hoc antè uiderant, & minuta hæc eſſe, & leuia ſentimus.*

Antiochus autem hic Aſcalonita ueteris Academiæ ferè iam deſertæ patrocinium ſuſcepit, eámque totis ingenij uiribus defenſitauit: fuit autem L. *Lucullo ualde familiaris, ut* Plu*tarchus in eius uita tradidit, ſic autem de eo loquitur,* ἴδιον δὲ τῆς ἀκαδημίας ἐξ ἀρχῆς ἔρωτα καὶ ζῖλον ἔχεν τῆς νέας λεγομένης καίπερ ἀνθούσης τότε τοῖς καρνεάδου λόγοις διὰ φίλωνος. ἀλλά τῆς παλαιᾶς πιθανὸν ἄνδρα καὶ δεινὸν εἰπεῖν τότε προστάτην ἐχούσης τὸν ἀσκαλωνίτην ἀντίοχον ὃν πάσῃ σπουδῇ ποιησάμενος φίλον ὁ λούκολλος καὶ συμβιωτὴν ἀντετάττετο τοῖς φίλωνος ἀκροαταῖς ὧν καὶ κικέρων ἦν *Idem ferè de eodem loquitur in uita* Bruti. *Vides igitur etiam* Plutarchum *idem ſentire cum* Cicerone, *qui* Antiochum πιθανὸν *appellet, id eſt magnam habere perſuadendi uim eius orationem, & magno uerborum impetu pronunciari tradat.*

376 *Vidén' quam philoſophos aut tu nos, &c.*) *Legimus* φιλοσόφως *ut aduerbium ſit, intelligatúrque (ſentiamus) uel (diſputemus:) ſuprà enim de fama ex rationibus philoſophorum diſſeruerat. quaſi dicat,* Vidéſne *quàm in omni re philoſophia abutamur, & omnes noſtras cogitationes ad ipſius præcepta dirigamus? quod mirari non debes. cū enim cotidie philoſophumena explicemus, uideremur ea fruſtra tractare, niſi in uitæ rationibus inſtitutis illis uteremur.* V*bi autem* HAVT TV NOS *legebatur, antiquorum codicum auxilio,* AN TV NOS, *&c. emendauimus. Illud autem Græcum aduerbium frequenter Græci autores uſurpant.* Plut. *in* Catone *maiore,* πράως δὲ καὶ φιλοσόφως λέγεται τὴν συμφορὰν ἐνεγκεῖν, *Græcis enim* φιλοσόφως *ſignificat, quod nos uulgo philoſophicè dicimus.*

376 Δεδεῖχθαι *te nollem quod nihil erat:*) Vetus *lectio* δεδῆχθαι: *parua ſcripturæ uarietate, magna ſententiæ.*

δεδῆ

δεδῆχθαι à δάκνω, quod eſt mordeo, uel δάκω potius, quod in uſu non eſt, idem tamen ſignificat, deriuatur. hic eſt igitur ſenſus, Nollem te eo morſum eſſe (nam etiam Latini uerbum MORDEO ad animum transferunt) quòd nullum erat: nec enim debuit tam parua res te ſolicitum habere. uel (ſi patiendi uerbum pro agendi ſumptum eſſe uis) momordiſſe te nollem id, quod nullum erat. Vtuntur frequenter Græci ſuo uerbo, cum animi dolorem, & moleſtam acutámque ſolicitudinem ſignificare uolunt. ut nutrix Medeæ apud Euripidem de hera loquens, τί ποτ' ἐργάσεται, μεγαλόσπλαγχνος δυσκατάπαυστος δηχθεῖσα κακοῖσιν. Cicero etiam Latino uſus eſt lib. VI. ad Atticum, Qui ſcribis morderi te interdum, quòd non ſimul ſis.

Suſtineat currum equóſque, &c.) Mutato horum uerborum ordine integer eſt hexameter in antiquis codicibus: quod etiam Germani animaduertiſſe uidentur in ſuo exemplari: quare nos quoque id recepimus. cur enim tot integerrimorum teſtium fidem, & autoritatem damnaremus? Poſt autem hæc uerba SIMILEM FACIT, diu uerbum Græcum deſideratum eſt: quidam ἐποχὴν ἑρμοδώρε reſtituerunt falsò: Quid enim Hermodoro eſt cum aſſenſionis retentione? ita enim Cicero interpretatur ἐποχήν. Sumptum autem eſt id proprium nomen ex prouerbio λόγοισιν ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται; quo paulò pòſt Cicero utitur, ineptéque in hunc locum tranſlatum. ipſi ex iiſdem codicibus SIMILEM FACIT, ἐποχῆ, ſcripſimus, intelligimúſque cum planius explicare uellet Carneades quid eſſet ἐποχὴ, ſemper ſolitũ eſſe ſimilitudine τῆς προβολῆς in pugile, & retentionis equorum in auriga eam declarare, & notam facere. Habent autem hæ res ſtatum, & firmitatem, ſed ad tempus, ut maiore ui, & impetu hic in aduerſarium

inferatur: ille uerò dato ſigno prorumpat, & in curſum equos concitet. Quid autem ſit προβολή, *ab erudito uiro* Budæo *iam explicatum eſt, qui omnem uim & naturã huius nominis diligenter expoſuit: necnon locum etiam hunc* Ciceronis *adduxit, & quicquid de eo ſentiret, doctè & ingenue pronunciauit. aperit autem non parum huius loci ſententiam, qui obſcurus eſt, & eruditionis plenus, illa illius diſerti uiri declaratio.*

377 λόγοισιν ἑρμόδωρος:) *Integrum prouerbium ſenario clauditur. Seruat in hoc morem ſuum Cicero: partem enim ſupprimit. originem ſignificatúmque eius* Suidas *exponit.* Simplicius *in commentarijs in primum phyſicorum narrat* Hermodorum Platonis *ſodalem librum ſcripſiſſe de decretis ipſius: ubi cum multas eius opiniones, tum quid de materia ſenſerit, explicarit: hoc autem tradere* Dercyllidem, *qui & ipſe multa uolumina de* Platonis *philoſophia ediderit.*

Ibidem Ne & ἀδιωρθωτα *habeat* Balbus, & ἴωλα Brutus:) *Idem qui ſuprà error maioris erroris cauſa extitit: ſi enim in antiqua ſcriptura in medio circuli, quo quinta uocalis apud illos effingitur, punctum ſtatueris, pro* ΑΔΙΟΡΟΩΤΑ ἀδιόρθωτα *feceris, quæ uera, & ingenua eſt lectio, id eſt imperfecta, & ſi Græcam uocem exprimere uelis, nondum correcta.* Reprehendit *leniter* Atticum *quòd parum diligenter quædam ex libris de finibus continuerit: ex hócque non parua incommoda naſci oſtendit. nam cum* Bruto, *ſuaſore eo ipſo* Attico, II. *libri deſponſi eſſent, non rectum uidebatur ut antea eos* Balbus *haberet quam is cui mitti debebant: eſſent enim iam obſoleti cum ad illum peruenirent, ut non grati, iucundíque eſſe poſſent. cui malo aliud etiam accedebat, quòd inemendata, & inchoata*

ea

ea ſcripta Balbus *habebat : nondum enim ea abſoluerat, & quaſi ſupremam illis manum Cicero impoſuerat. Græcas has duas uoces totidem Latinis non incommodè interpretatur, cum eandem hanc ſententiam paulò pòſt pronunciat,* Tantum *nolebam aut obſoletum* Bruto, *aut* Balbo *inchoatum dari. nam paſsim imperfectum, & rude* INCHOATVM *appellare Ciceronem notum eſt.* Prima *Græca uoce utitur* Simplicius *in* Phyſicis 116. *de* Ariſtotele *loquens, qui rudes, & mancas antiquorum ſententias de infinito corrigere aggrediebatur,* καὶ τὰς ἀδιορθώτους ἐννοίας τὰς περὶ τοῦ ἀπείρου ἐφεξῆς διορθῶσαι προτίθεται. *Poſteriore ipſe Cicero in epiſtola ad* Varronem, *Etſi erat* ἕωλος *illa epiſtola, &c.* De*leuimus autem paulò ſuprà maculam, quæ non mediocriter ſenſum fœdabat: pro* QVICQVAM BRVTO *enim caſtigauimus, ab antiquis exemplaribus adiuti,* CVIQVAM ANTEQVAM BRVTO.

Sed ea timui foras dari) In *antiquis codicibus ſicera le-* 378
ctio manet, hæc enim inquinata eſt : ſic autem in illis, SED EA TVM FORAS DARI. *Redit autem ad rem de qua ſuprà egerat : quòd* Atticus *ſe inuito quædam ex libris de finibus edidiſſet : de quo Cicero familiariter cum eo queſtus eſt : affirmátque ſe ualde uelle ſua ſcripta apud eum eſſe, non tamen ea prius diuulgari, quàm communi conſilio ea edenda eſſe cenſuerint.* Quàm *falſa & rudis uulgata lectio eſſet, quiuis, ſi diligenter attendat, uidere poterit.* Non *omittendum omnino uidetur, etſi parua res ſit, quòd in antiquiore noſtro paulò pòſt ubi in excuſis* SATIS FACIENDVM FVISSE *legitur,* SAT FACIENDVM *eſt : nam id etiam im margine ſui codicis* Germani *adnotarunt, ut qui in uetuſto illo, quod habuerunt, exemplari legerint : quod enim in priſcis monimentis inuenerimus,*

non poſſumus animum inducere ut penitus contemnamus.

379 *Ad tribunos quòd appelles, ualde probo)* Veteres codi-ces, ATTRIBVTOS QVOD APPELLAS VALDE PROBE *habent: longe diuerſa hac à noua le-ctione & ſententia, & uerbis. Eam ſanè ego recepi, quia in priſcis exemplaribus inueni, & quia ſinceriorem iudico: quamuis autem uulgatam falſam dicere non poßim, non ta-men ingenuam & huic loco aptam eſſe arbitror, nec enim de ea appellatione hic agi puto, quæ fit cum ad ſuperiorem poteſtatem quis confugit: ſed* Appellare *hic ſignificare cen-ſeo, admonere de pecunia: quo ſignificatu Cicero frequenter illud uſurpat: appellaréque attributos, ut* Appellare *ſpon-ſores dictum eſſe, diſſeruit Budæus in annotat. in* Pande-*ctas, ex* Varrone & Cicerone *diligenter de huius uerbi ori-gine & natura.* Attributos *ut* adlegatos *dictos exiſtimo, non quòd idem utriuſque uerbi ſignificatum eſſe cenſeam, ſed formatione tantum & à ſuo uerbo conſimili deriuatio-ne. de quibus Cicero ad Q. Fratrem,* Sed idem Nerius in-dex edidit adlegatos Cn. Lentulum Vaciam, & C. Corne-lium. *Et pro A. Habito,* In quo inter adlegatos Oppiani-ci nomen primum eſſe conſtabat. *Sed ultimo etiam uolumi-ne de bello Gallico, ſiue illud Oppius, ſiue Hirtius ſcripſit, eſt hoc nomen, etſi de alia attributione uideo illic intelligi,* Erat attributus Antonio Præfectus equitum C. Voluſenus Quadratus, qui cum eo hybernaret.

379 in fi. et in pri. ſeq. *Quanquam iſta retentione omnes ut ait ei Trebatius.)* Hæc erat communis lectio, quæ ſanè aut manca eſt, aut ali-quid intelligi, quod ſententiam perficiat, neceſſe eſt: certe obſcura eſt. Quam nos lectionem ſecuti ſumus, eruimus ſanè eam ex antiquo exemplari: aliquantulum etiam in illo contaminatam ſcripturam adiuuantes, modice tamen &

temp

temperatè eſt etiam in re de qua loquitur obſcuritas, ut uix quicquam liquidò aſſeri poßit.

Noſti domum quam confice εὐλόγως.) *Quia in anti-* 380
qua ſcriptura media litera Græcæ dictionis defecit, ut ΕΥΑΓΩϹ *legatur: quidam crediderunt debere* εὐαγῶς *legi. ita magnam autem ſimilitudinem habet prima impermutabilium cum prima totius* Alphabeti, *ſi maioribus formis eas conſcribas, quemadmodum in priſcis exemplaribus & monimentis ſcriptæ ſunt, ut ſæpe ab imperitis librarijs confundantur.* Hoc etiam ſuſpicati ſunt Germani, *qui* εὐαγῶς *legunt. nos facilè adducimur, ut credamus receptam lectionem probam eſſe: ideóque eam conſeruauimus. nam quòd antiqua ſcriptura una litera diminuta eſt, non mirum uideri debet. Præterea non multò antè huius aduerbij nomen uſurpat, cum ut mihi uidetur, eandem hanc rem exponeret,* Locum, *inquiens, hominibus non ſanè probo, quòd eſt deſertior: ſed habet* εὐλογίαν. *nam quòd crebro hoc nomine utatur, cum* Latinam *uocem, quæ id exprimeret non haberet, omnibus, ut arbitror compertum eſt.*

Quid eſt quod Hermogenes mihi Clodius, &c.) *Obſcu-* 380
ritas tanta eſt rei de qua loquitur, tantáque breuitas uerborum, ut uerear ne peruerſio mendúmque aliquod inſit: non tamen receptam lectionem uariaui, quamuis antiqua exemplaria pro CORCYRÆ, CVRRERE *habeant: quod tamen non adeò neglexi ut ſilentio præterirem. Quis enim in tantis tenebris hanc magis, quàm illam lectionem ueram eſſe conuincere poteſt? Corciræ Q. puerum fuiſſe poſt deuictum* Pompeium Magnum *ſcimus: ſed quid hoc adhunc locum, cum tanto temporis interuallo antè id fuerit? nos nihil, quo ulla ratione poßimus huic loco lucem aliquam adferre, habemus.*

382 *Quod enim aliud argumentum epiſtolæ noſtræ, niſi colatia fuit?) Manuſcripti libri* COLACIA *rectè: nos tamen Græcis literis Græcam uocem, ut rem clariorem faceremus, ſcripſimus. qui enim ſibi propoſuiſſet ea ſcribere in ea epiſtola quæ illum uelle arbitrabatur, nihilque aliud ſpectaret niſi ei placere, is argumentum epiſtolæ ſuæ aſſentationem habebat: id enim proprium eſt adulatoris ad uoluptatem loqui, ut Colax ille Terentianus, Negat quis, nego: ait, aio: poſtremo imperaui egomet mihi omnia adſentari. Infrà Latino nomine utitur, & ſe hoc cogi lamentatur his uerbis, De epiſtola ad Cæſarem (iurato mihi crede) non poſſum: nec me turpitudo deterret, etſi maximè debebat: quàm enim turpis eſt aſſentatio? cum uiuere ipſum turpe ſit nobis: ſed ut cœpi, non me hoc turpe deterret. Nam quòd aiunt Beroaldum* COLLATIO *emendaſſe uix adduci poſſum ut credā uerum eſſe: non enim ueriſimile eſt tam ineptam & falſam lectionem: non omnino rudem & imperitum uirum probaſſe.*

384 *Video nihil aut paucam aut ut balnearia, &c.) Totus hic locus fœdè deprauatus erat in impreßis codicibus, in manuſcriptis multò integrior, ex quibus eam, quam ſecuti ſumus lectionem eruimus, quæ aut recta eſt, & ingenua, aut illi ualde proxima, niſi fallimur. Chryſippus autem hic eſt architectus ille, de quo mentionem facit ad Trebatium ſcribens, Chryſippus Vettius Cyri architecti libertus fecit ut te non immemorem putarem mei. utebatur autem hoc in ſuis ædificationibus libro* XIIII. *Sed quòd quæris quî arceſſerim Chryſippum, tabernæ mihi duæ corruerunt, &c. debebat autem illud (ut opinor)* CVIVS INSVLSITATEM BENE NORAM *κατὰ παρένθεσιν legi: credo enim inſulſitatem uillæ intelligere: ut dicat in uilla ſe uidere nihil, aut pauca mutata.*

Non

Non ſanè quadratulo aliquem olympia.) Locus adeo mu 385
tilus, & inquinatus, ut ſine meliorum codicum ope uix cre-
dam poſſe reſtitui : mihi non uiſum eſt à uetere ſcriptura di=
ſcedere, ne, dum conarer corrigere, magis deprauarem.

De epiſtola ad Cæſarem κελλικὰ.) *Nos* κεπφικὰ *ſcri=* 385
pſimus. in uetere illo maximè probato quamuis non integre
κεπφικὰ *legatur, ea tamen eſt ſcriptura, ut nihil uicinius*
eſſe poßit. Vtitur & alibi Cicero in his epiſtolis ab ea=
dem aue deriuata uoce pro fatuus & ſtultus : ſed ego ipſe
κέπφωμα. *quæ ſit hæc auis, parum compertum eſt, Theo=*
dorus fulicam interpretatur. Virgilius, & Cicero ex Ara=
to uidentur fulicam appellaſſe, quam ille ἐρῳδιὸν *uocarat.*
Nullo modo, ut quidam crediderunt, Ciceronis fulix eſſe po=
teſt auis, quam nos eodem penè nomine appellamus : illa
enim alba, nam dixit Cicero. Cana fulix, hæc autem ni=
gra. ſed neque κέπφος *(niſi fallor) eſt noſtra fulix : inter=*
pres enim Arati tradit cepphon eſſe gracilli admodum &
minuto corpore, ut ferè nihil aliud ſit, ut ipſe inquit, quàm
oſſa pinnæque : noſtra autem pleno ac pingui eſt corpore.
ſed hæc non eſt quæſtio huius loci : multa quæ traduntur de
Cepphi inſulſitate, non abſcondita eſſe poſſunt diligentibus.

Facilius etiam ſi canum haberes.) kanum habent anti= 386
quiores codices. De hoc loco antè locutus ſum : mihi, ut
ingenuè fatear, non perceptum eſt quæ ſit origo & uis hu=
ius dictionis : ab aliiſque libenter perdiſcerem. Iidem libri
MOVERE *habent, non* MONERE : *quamuis ex loco*
qui eſt lib. XII. *huic confimili Monere potius quàm Mo=*
uere uideatur legendum, omnia tamen adeo incerta ſunt, &
confuſa, ut nihil meo iudicio tutius, & melius fieri poſſe
uideatur, quàm ab antiquis exemplaribus non multum
deflectere.

386 Πολιτικὸν non inuenio.) τριπολιτικὸν habent manuſcripti codices, quæ uera eſt lectio: ſcripſit enim Dicæarchus librum cui titulus erat τριπολιτικός, ex quo quædam adducit. Athenæus lib. IIII. δειπνοσοφιστῶν. περὶ τοῦ τῶν φειδιτίων δείπνου Δικαίαρχος τάδε ἱστορεῖ ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ τριπολιτικῷ. nam quod antè καταβάσεως dicit, alios eiuſdem libros intelligit, quos ſcripſit περὶ τῆς εἰς τροφωνίου καταβάσεως. hæc enim integra eſt illius operis inſcriptio, de quo item Athenæus meminit lib. XIII. Δικαίαρχος δ' ἐν τοῖς περὶ τῆς εἰς τροφωνίου καταβάσεως φησί. Videndum autem accuratius, an quo loco ſuprà mandat utroſque ſibi Dicæarchi mitti περὶ ψυχῆς, mendum inſit: tres enim arbitror de anima libros eum ſcripſiſſe. Cicero in primo lib. Tuſculanarum, Dicæarchus autem in eo ſermone quem Corinthi habitum tribus libris exponit, doctorum hominum diſputantium primo libro multos loquentes facit: duobus Pherecratem quendam Phthiotam ſenem. Eodem etiam libro, Acerrimè autem deliciæ meæ Dicæarchus, is enim tres libros ſcripſit qui Leſbiaci uocantur, quòd Mitylenis ſermo habetur, in quibus uult efficere animos eſſe mortales. ut utrumque horum uoluminum in quibus de anima loquitur, in tres libros diſtinctum ſit, niſi aliud etiam περὶ ψυχῆς uolumen confecerit, quod duobus libris contentum ſit. Sed potius Cicero cum dixit, Dicæarchi περὶ ψυχῆς, utroſque uelim mittas. ſermones intellexit, non libros: illum ſcilicet, qui Corinthi eſt habitus, & illum qui Mitylenis: quorum uterque tribus libris exponebatur. quod ſanè uerius eſſe puto, ut conſeruetur recepta lectio: quamuis in eo uerbo aliquantulum uetus ſcriptura contaminata ſit, quod dubitationem mihi attulit ne in hoc loco mendum aliquod ineſſet.

L. Popilio, P. Rupilio COSS. *annis* XIIII. *an=* 386
tè quàm prætor factus eſt;) *Veteres codices* COSS. *non*
habent: ut diligenter uidendum ſit an quandoque breuitati
conſulentes id omitterent: intelligeretúrque nihilominus:
nam quin ſæpe in ſcribendo huiuſcemodi compendia ſecta=
rentur, dubium non eſt: etenim in hac ipſa pagina id mul=
tis locis uſurpatum uidebis, ſi antiquos libros inſpexeris.
Nam *& an. pro (annis) & mag. pro (magiſtratus) in illis*
ſcriptum eſt: quæ tamen non neceſſe habuimus omnia reci=
pere, ne imperitum lectorem nimis perturbaremus: quæ=
dam tamen non diſsimulauimus. Pro Quæſtor *autem mul=*
tis locis prima tantum eius nominis litera poſita eſt. in epi
ſtola etiam quadam ad Ampium BEN. *pro* BENEVO=
LENTIA *ſcriptum eſt in Mediceo codice: ſic enim ibi hic*
locus legitur, Nec iis concedo, quanquam ſunt ſingulari
in te ben. ut te ſaluum malint, quàm ego. *Nam de* TEM.
pro TEMPORE *alibi diximus: ſed alia eſt ratio horum*
compendiorum, quibus librarij breuitatis ſtudioſi utebãn=
tur, & illius: ſi ita legi debet de quo ſuprà diximus: nam
id ſermonis erat, & uſus, qui aliquid intelligi malebat,
quàm proferri.

Memini enim tui.) *Veteres libri* TVVM*: ut intelliga=* 387 *in ſi*
tur (factum) aut huiuſcemodi aliquid: ſæpe enim ſic loqui= *ne.*
tur, ut in prima Tuſculana de Socrate loquens, Sed ſuum il=
lud, nihil ut affirmet, tenet ad extremum. *ſcilicet morem,*
uel conſuetudinem.

De *urbe augenda à ponte* Miluio *ad* Tiberim, *&c.*) 388
Hic *locus fœdis maculis diu inquinatus manſit, quas, ut*
ſperamus, ſuſtulimus, meliorum codicum auxilio niſi: id
autem & Germani *prius fecerant, qui quidem in ſui libri*
margine eam, quæ nobis probata eſt ſcripturam adnotarant.

Null

Nullam autem rationem, aut ſententiam habent uulgata uerba: quomodo enim urbs augeri poteſt à ponte Muluio ad Tiberim, qui pons eſt ſupra Tiberim? ſed ne pluribus manifeſtum mendum argumentis refellamus, lux, claritáſque, quam uetus ſcriptura ſecum fert, ſatis eſt ad uulgarem lectionem conuincendam, ſéque confirmandam. Abundat aut in ea AD præpoſitio, & ex PAVCI (duci) faciendum eſt: ſic autem ſuis locis punctata oratione, omnia certa & plana erunt: cum enim urbem augere uellent, eorum conſilium erat Tiberim deriuare, & ſecundum montes Vaticanos ducere, ſumpto initio fluminis deducendi à Ponte Muluio. Ducere autem flumen dictum eſt quemadmodum ad Qu. Fratrem Ducere aquam dixit prima III. lib. epiſtola, Et ſimul M. Taurum quem tibi audio promiſiſſe, qui nunc Romæ eſt, de aqua per fundum eius ducenda, rogabo. Quod autem Muluio non Miluio ſcripſimus, dedimus id priſcorum codicum autoritati & fidei, qui ſic & ipſi hoc loco habent: nam apud alios etiam autores, & maximè Cornelium Tacitum inſpectis uetuſtis exemplaribus idem obſeruaui.

Ibidem. Te tamen in tua re confici minime uolo.) Antiqui codices IN VIA CONFICI, habent, quos ſecuti ſumus: id eſt dum ad me accedis, in itinere nimium laborare, & defatigari, & cum ſenex eſſet confici, & conſumi. Frequentius in hoc ſignificatu capitur hoc uerbum, quàm ut id exemplis docere oporteat: eadémque de cauſa credimus nos eum Dionyſio etiam ignoſcere, quòd ad ſe non ueniat. quòd nollet eum nimis in uia defatigari & confici.

389 Poſſe in diem tertium differre.) Sincerior eſt (niſi fallimur) antiquorum codicum lectio, IN DIEM DIEM DIFFERRI: id eſt proferri auctionem. quòd ſi ad eum diem

diem qui propoſitus erat, nondum Cæſar aduenisſet, diem
illum deſtinatum in alium diem differri: & ita donec Cæſar
adeſſet. Paulò autẽ pòſt in uerbis Q. Ciceronis pueri(*quæ*
nos, ut facilius diſtinguantur, maioribus literis conſcripſi=
mus) *illa non leguntur in antiquioribus libris*, NON
PROBO: *quod culpa, ut puto, librarij commiſſum eſt: niſi*
imperfectam, & mancam clauſulam adduxit, ut uerbum quo
oratio illa concluderetur, in parte quæ relicta ſit, omiſſum
fuerit, ſuppleta autem poſtea ſit ab aliquo, qui quod deſide=
rari credebat iniecerit. cum tamen idem uerbum à Cicerone
repetatur, uidentur potius negligenter eſſe in deſcribendo
illæ uoces relictæ.

Bruti noſtri cotidianis &c.) *Locus hic mancus, depra=* 390
uatúſque eſt: nec melior ſanè eſt aut integrior(*ut uidetur*)
antiqua lectio: quam tamen hic omnibus proponemus, ſi
forte alicuius induſtria in integrũ, deletis maculis, & per=
uerſionibus quæ eam occuparunt, reſtitui poßit: QVAE
BRVTI NOSTRIS COTIDIANIS ASSI=
DVISQVE LAVDIBVS NEQVAS AB EO
DE NOBIS HABERI PERMVLTI MIHI
RENVNCIAVERVNT, &c.

Πότερον ἢ σκολιαῖς ἀπάταις:) *Vetera exemplaria ue=* Ibidem
ram, & ingenuam lectionem retinent: quæ tamen uſque ad
hoc tempus iacuit difficultate Græcos characteras legendi.
nihil autem deſideratur in ea, ſi diligentius attendas: quod
tamen manifeſtius nunc apparet, poſtquam ueritas eluxit:
re nondum perſpecta, & cognita, omnia obſcuritatem au=
gent. Verba ſunt Pindari ſolita pronuntiari ab ijs, qui in=
certo animo ſecum deliberant, qua potißimum uia ſibi in=
grediendum ſit ad aliquid agendum. Apud Platonem ea le=
gimus, qui & ipſe ſimili de cauſa ea adducit: eſt autem lo=

 cus

cus II. lib. πολιτείας: ὥσπερ ἐπιπτόμενοι συλλογίζεσθαι ἐξ αὐτῶν ποῖος τὶς ἂν ὢν καὶ πῇ πορευθεὶς τὸν βίον ὡς ἄριστα διέλθοι λέγοι γ' ἂν ἐκ τῶν εἰκότων πρὸς αὐτὸν κατὰ πίνδαρον ἐκεῖνο τὸ, πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον ἢ σκολιᾶς ἀπάτας ἀναβὰς καὶ ἐμαυτὸν οὕτω περιφράξας διαβιῶ. exponit autem ipſe quid per prima uerba intelli=gat, id eſt utrum aperte hominem aſperner, & reſpuam, ἢ σκολιᾶς ἀπάτας: ſic enim legimus generandi caſu, ut eſt etiam ſi diligēter attendas in Latinis antiquioribus exem-plaribus, & ut legitur apud Platonem, ut ſuperiori caſui reſpondeat, pendeátque pariter ac δίκας à nomine illo τεῖ=χος: eſt autem Doricus ſermo, ut cetera ferè eius poëtæ.

391 Et maxime φαῖδρον) Sic ferè omnes excuſi deminutè, & corruptè. Germani locum reſtituere tentarūt: neſcio ta=men an id conſecuti ſint, ſic enim legunt, Et maxime φαῖδρε περὶ ὅσων τῆς λαΐδος. Arbitror autem conſimilem noſtræ illos in ſuo exemplari ſcripturam inueniſſe: ſed uereor ne ſuus ſenſus eos & conicctura feſellerit: nullam enim commo diorem ſententiam ex ea lectione elicio. Nos quod potuimus non temere auſi ſumus exprimere: cætera potius depinxi=mus. ſi enim ex O faciamus Θ (in quo ſuprà oſtendimus ſæpe librarium peccaſſe, punctum illud, quod centri inſtar in medio eius literæ eſſe debet, omittentem) cætera nulla correctione egent. Librum tamen Phædrum (ut uerum fa=teamur) hoc titulo ſcripſiſſe non legimus. De poſteriore Græca uoce quid dicam non habeo: nihil enim adhuc repe=rio, in quo acquieſcam.

Ibidem Vbi igitur φιλοτέχνημα illud tuum.) Adeo inquinatus eſt, & lacer hic locus, ut nihil deprauatius eſſe poßit. nam & in ſuperioribus Latinis uerbis turpes apparent macu=læ, & de hac ipſa Græca uoce nihil certi pronuntiari po=

teſt

teſt.in codice certè noſtro antiquiore φιλοτέχνημα ſcri=ptum eſt,alio,& longè diuerſo ſignificatu. φιλότεχνοι ap=pellantur induſtrij homines in artibus excogitandis, & exercendis, τέχνημα enim artificiũ. Plato in Protagora: *ἢ καλὸν ἦν δ' ἐγὼ τέχνημα ἄρα κέκτησαι οὐ γὰρ ἄλλό=τι πρὸς σὲ εἰρήσεται ἢ ἅπερ νοῶ: nos tamen receptã le-ctionem retinuimus,quia uidetur nobis eſſe integrior.*

Quod uidi in parthenon cala & Brutum.) Nihil de= Ibidem *formatius hac parte huius paginæ.Germani,In Partheno=ne Alani: quod nos(quoniam melius non habemus)ſecu=ti ſumus:nihil enim confirmamus,Antiquior ille noſter co-dex cum recepta lectione conſentiret,niſi quòd T, aſpira=tum non habet:unam autem tantùm huic loco ſtellulam ad-poſuimus,quæ mendoſum illum eſſe ex omni parte oſtende=ret:ſi enim cunctis eius peruerſionibus adponi debuiſſet, pluribus opus fuiſſet.*

At uellem aliquid deguſtaſſe de fabulis.) Nihil ſanè di= Ibidem *ſcrepant antiqui codices ab impreßis hac parte.Videndum tamen accuratius,an tabulis legendum ſit:nam antè,quum de Bruto itidem ſermo eſſet,ita inquit, Nec enim ad tabu=lam cum deſideraturus eram: in tali enim negotio cur tu unus non ſatis es? Nihil tamen contra antiquam ſcripturam decernere auſim.*

Ad ſaxa acrimonia.)Scripſimus ex melioribus codici= 391 *bus* AD SAXA ACRVNOMA*: ut ſit loci nomen: non tamẽ in regionum ſcriptoribus inuenimus locũ ullum ſic appellari,quod meminerimus.quamuis autem nõ omnia certa in hac lectione habeamus,tamen eam longè uulgatæ præponimus:nihil enim illa frigidius.*

Tum enim mentiò canai.)Arbitror hunc locum corru= Ibidem *ptum eſſe. Nihil autem opis adtulerunt ueteres codices,qui=*

bus prorſum cum excuſis conuenit: ſententia etiam non mediocriter obſcura eſt, & incerta.

392 Fatur μιακουκόρδου:) *Antiqua exemplaria,* EATVR. *Quæ autem ſequuntur Græca uerba depinximus cum fide & diligentia: ex his enim quæ circunferuntur lectionibus, nulla eſt cui planè acquieſcamus: nihilque à nobis excogitari potuit quod mediocriter ſatisfaceret. Quod igitur (ut in malis) reſtabat, fecimus, ut in antiquam ſcripturam omnibus conſiderandam, & excutiendam proponeremus.*

392 Vel de toto:) *Nonnulli ſunt manuſcripti codices, qui de Cota habent. Athenæus in fine* VII. *libri, quo loco de parſimonia Romanorum loquitur, meminit de Cota quodam Iulij Cæſaris legato in Gallia, qui uolumen ediderit de rep. Romanorum, quod Græca lingua ſcriptum ſit: hæc eius uerba ſunt,* ἰούλιος δὲ καῖσαρ ὁ πρῶτος τῶν πάντων ἀνθρώπων περαιωθεὶς ἐπὶ τὰς βρεττανίδας νήσους μετὰ χιλίων σκαφῶν τρεῖς οἰκέτας τοὺς πάντας συνεπήγετο ὡς κόττας ἱστορεῖ ὁ τότε ὑποστρατηγῶν αὐτῷ ἐν τῷ περὶ τῆς ῥωμαίων πολιτείας συγγράμματι ὁ τῇ πατρίῳ ἡμῶν γέγραπται φωνῇ.

393 Ne uictoria quidẽ plauditur:) *Omnes antiquiores codices* VICTORIAE QVIDEM PLODITVR: *quos deſerere nolui. ſcio equidem doctiſſimum uirum Budæum receptã lectionẽ probare, & Græci ſermonis exemplo confirmare, ut, uictoria plauditur, id eſt plauſu excipitur, intelligatur: quemadmodum apud illos* οὐδ' ἡνίκηκροτεῖται. *Cum tamen alibi à Cicerone hoc uerbum ſic uſurpatum non inuenerim, & ueteres codices reclament, antiquam potius lectionem ſecutus ſum. Quòd autem (ploditur) in ea pro (plauditur) ſcriptum eſt, non mendum eſſe puto: nã ita quoque legit Acron in uerſu illo Horatij, Cole ſuburbano*

no qui ſiccis creuit in hortis:ſubdítque, Cole, hoc eſt caule, ut clode, pro claude, ſorices pro ſaurices, coda pro cauda. Vide *igitur in quot nominibus* AV *tranſierit in* O. *ut idem quoque in hoc uerbo quãdoque factum eſſe mirum uideri non debeat.* Quin *& lib.* v. *harum epiſtolarum (loreolam) in iiſdem codicibus ſcriptum eſt eo loco,* In *eodem* Amano *cœpit loreolam in muſtaceo quærere: at ille cohortem primam totam perdidit.*

Lepta enim de ſua ui in Curionem *laborans:)* Quàm *fœdè corruptus eſſet hic locus, dici non poteſt: quomodo enim nunc de* Curione *ſermo eſſe poteſt, qui tanto antè in* Aphrica *à* Iuba Rege *cum exercitu interfectus fuerat?* Veteres *codices* IN CVRATIONE, *habent. quæ uera lectio eſt: cupiebat enim* Lepta *ſibi tradi curationem ludorum, quos* Cæſar *parabat ex* Hiſpania *reuertens: utebatúrque opera* Ciceronis: *qui cum* Balbo, *&* Oppio *familiaribus* Cæſaris *conficeret ut hoc negotium ſibi committeretur: de quo agit etiam in epiſtola ad* Leptam *ipſum ſcripta, quæ eſt in libro ad* A. Torquatum, *his uerbis,* De *curatione aliqua munerum regiorum cũ* Oppio *locutus ſum: nam* Balbum *poſtea quàm tu es profectus non uidi. tantis pedum doloribus afficitur, ut ſe conueniri nolit. omnino de tota re, ut mihi quidem uidetur, ſapientius faceres, ſi non curares: quod enim eo labore aſſequi uis, nullo modo aſſequêre: &c.* Cum *autem de ſua ui in curatione laborans dicat, uidendum diligentius, an iam hoc impetraſſet* Lepta, *ad eúmque delata eſſet curatio regiorum munerum, laboraretque ille poſtea de poteſtate & ui: quam magnam ille ſibi tradi uellet in eo negotio. ſic enim loquitur libro primo de* Oratore, *philoſophi denique ipſius, qui de ſua ui ac ſapientia unus omnia penę profitetur, eſt tamen quæ-* 394

dam deſcriptio:ut is, qui ſtudeat omnium rerum diuinarum, atque humanarum uim, naturam, cauſáſque noſſe, & omnem bene uiuendi rationem tenere, & perſequi, nomine hoc appelletur. Cum enim oſtendere uellet nullam eſſe ſcientiam, aut artem, quæ non definiri poſſet, atque id exemplo imperatoris, & iuriſconſulti antè declaraſſet, docet etiam philoſophi naturam deſcribi, & explanari poſſe: quamuis ille de ſua facultate, & natura omnia teneat, & omnia ſe poſſe explicare profiteatur. Paulò ſupra hunc locum, erratum eſſe animaduerti in noſtro codice: ubi enim NEGLECTIORES *eſt*, NEGLIGENTIORES *eſſe debet: uerebatur enim Cicero ſi ipſe ad numos illos cum cohæredibus diuidendos, & ad auctionem faciendam non acceßiſſet, (quamuis diligentem & officioſum hominem cui negotium illud imponeret, elegiſſet) ne negligentior in re familiari tuenda uideretur, & nimis fugitans laboris ac moleſtiarum.*

394 *Cluuium autem Attico* Hordeonio *legare, & Terentiæ, &c.) Meliores codices habent* A TITO, HORDEONIO LEGARE, *&c. ut Cluuius Hordeonio, & Terentiæ, itémque ſepulcro & alijs rebus legaret* H-S ꟾↃↃ ꟾↃↃ. *quam pecuniam Titus hæres illi ſoluere, & curare teneretur: à Cicerone autem, qui itẽ hæres eſſet, nihil legaret, neminique ullam pecuniam eum dare teſtamento ſuo iuberet. Præter autem antiquorum codicum fidem, uerba illa* A ME AVTEM NIHIL: *à Titio legi debere oſtendunt, non Attico. Modum hunc loquendi frequenti in uſu eſſe apud Iuriſconſultos notißimum eſt: Ciceronis tamen exemplum in Topicis afferemus, quia hic ualde accommodatum eſt, Si paterfamilias uxori ancillarum uſumfructum legauit à*

filio,

filio,neque à ſecundo hærede legauit: mortuo filio,uxor uſumfructum non amittet. Paulò autem ſuprà,ubi LIBERALIVS *in cunctis,quos uidimus manuſcriptis, & impreſsis codicibus ſcriptum,Germani contrario ſenſu(illiberalius)ſcribunt:quod non admiſimus contra tot librorum conſenſum,& rem ipſam ni fallor:aliorum tamen de hac re iudicium ſit.*

Deos mihi doleo.) Caſtigauimus ex uetuſtis codicibus DE COSINIO*: quod etiam Germani adnotarunt,ut queratur de obitu huius,quem,ut ait,dilexerat.* Ibidem

Poſtea quàm abs te Agamemnon ut uenirem &c.) In *ueteribus codicibus* AGAMEMNO NON, *rectè:negatiua enim particula omnino neceſſaria eſt,& ſine ea,ſententia diminuta eſt:quod autem Agamemno ſcriptum in illis eſt,mendoſum non eſt* Docet enim Priſcianus *libro* VI. *(quod antea licet breuius,tradiderat* Quintilianus *libro primo) antiquos ſolitos eſſe hæc nomina ablata,* N *proferre,& ſecundum* Latinorum *regulam in* o, *terminantium, quod ubique* Terentius *facit,declinare:exempláque plura huius rei ex* Cicerone *adducit,ut in frumentaria,* Tum *iſte uenerius magna uoce imperat ut* Xeno *audiret.pro* ξένων. De *ſupplicijs ,* Bexo Tyndaritanus *homo nobilis.pro* Bexon. Et *pro murena,zeno,pro zenon profert:& huius ipſius nominis Statij exemplum adfert in primo* Achilleidos,Conclamant Danai *, ſtimulátque* Agamemno *uolentes:ut eadem ratione ſic hoc loco à* Cicerone *dictum ſit.* 395

Quod *autem paulò pòſt erat,* SED VT SCRIBEREM FECIT, *ut in noſtro antiquiore erat ſcripſimus,* SED VT SCRIBEREM TETIGIT. Germani *uerò pluribus uerbis additis ſic reſtituunt,Sed ut ſcriberem tetigit aures nuncius extemplò inſtituta omiſi : ea*

&c. Quæ nos in nullo manu ſcripto inuenimus, ideóque non recepimus.

398 Quippe hominum CCCCM.) *Quis nõ uidiſſet hunc numerum contaminatum eſſe? quæ enim ſtultitia eſt credere Cæſarem tantum comitatum ſecum duxiſſe? In manu ſcriptis exemplaribus ſunt notæ de quibus ſæpe iam diximus: ſignificant autem hominum duo milia, quæ Ciceroni nimis magna multitudo uidebatur: uerebatur enim ne eam ſua uilla capere poſſet.*

Ibidem Ad VIII. Non. nec quenquam admiſit:) *Mirum eſt quàm multis peruerſionibus inquinata eſſet hæc ualde bella, & ſuauis epiſtola: cum in uetuſtis exemplaribus, ut arbitror, integra & incorrupta maneret. In illis aſt,* AD H. VII. *Id eſt, ad horam ſeptimam: & paulò poſt ubi in uulgatis erat,* POST HAEC IN BALNEVM: *eadem exemplaria habebant,* POST H. VIII. IN BALNEVM. *factæ autem ſunt hæ maculæ ab illis, qui omnia quæ non intelligebant, ſubuertebant.*

Ibidem *Sed bene cocto & condito, ſermone bono, & ſi quæris libenter) exiſtimo hæc eſſe uerba Lucilij poëtæ. Nam ſi diligenter attendas, agnoſces eſſe phraſim numeroſam. Mihi ſanè uidetur integer eſſe hexameter, & duo poſtremi pedes prioris uerſus: dictionem enim* CONDITO *facio initium perfecti uerſus, quatuórque antecedentes, ſpondeum ſcilicet illum & dactylum finem præcedentis, qui totus adductus non eſt. Nam quòd, s, intereat in uerbo* QVAERIS, *frequens eſt apud priſcos poëtas, qui impolitiores erant. Eadem ferè Cicero in* II. *de finibus adducit, Semper Lælius bene. Quid bene? dicet Lucilius, horto condito. ſed cedò caput cenæ, ſermone bono. quid ex eo, ſi quæris libenter: ueniebat enim ad cenam, ut ſatiaret deſideria naturæ.*

naturæ. An autem aliquid in alterutro mendi ſit facilius ſuſpicari poſſum, quàm in utro id ſit oſtendere.

Hoſpes tamen nouus qui diceres.) Parua omnino res fuit, quæ anſam dedit librarijs errandi, quòd ſcilicet QVI *dandi caſu ſic ſcriptum in priſcis exemplaribus erat, propter earum literarum affinitatem ſolitis antiquis ſæpe alteram pro altera capere: nullæ autem erant in illis maculæ: nam* NONIS *habebant, ubi excuſi libri mendoſe* NOVIS*: ſed uno quamuis paruo mendo, & errato producto, plura paulatim, & magna gignuntur. Senſus horum uerborum tam planus, & apertus eſt, ut declaratione non egeat: neque hæc caſtigatio, ut arbitror, confirmatione. Solemus & nos quibus delectamur hoſpites, quique nobis cari ſunt, his ferè uerbis abeuntes rogare, ut cum per ea loca iter faciunt, hoſpitij memores ſint: ad nóſque domum reuertantur.* Ibidem.

EX LIBRO XIIII.

EPISTOLARVM AD ATTICVM.

Cum pro Deiotaro Niceæ dixerit.) Narrat autem in oratore Cicero Brutum defendiſſe cauſam Deiotari Regis: quare uidetur mendum occupaſſe Græcos Plutarchi codices: is enim in Bruto tradit illum ſuſcepiſſe patrocinium Libyæ regis cauſamque eius conſtanter egiſſe: quem cum innocentem oſtendere non potuiſſet, magnitudinéque criminum regis uictus eſſet, precibus tamen, & interceßionibus conſeruauit illi non paruam partem regni. hæc ipſius uerba ſunt, καὶ δὴ καὶ τῷ τῶν λιβύων βασιλεῖ προσηγορῶν μὲν ἡττᾶτο τοῦ μεγέθους τῶν κατηγοριῶν, δεόμενος δὲ καὶ παραιτούμενος περὶ τούτου πολὺ αὐτῷ διέσωσε τῆς ἀρχῆς: *nec enim Africa regem habuit: nec qui erant eius regionis reges,* 399

cauſam capitis dixerunt apud Cæſarem, quod ſciam.

400 *Quod autem ad te ſcripſeram obſecro fortaſſe, &c.)* *Nos legimus* OBSCVRE, *quod Germani etiam ex uetuſto illo codice adnotarant. Ex uulgata lectione nullum idoneum ſenſum eliciebamus: nec uerba ſatis niſi fallimur, inter ſe cohærebant: explicat apertius quod ſuprà obſcurè & ἀσαφῶς narrauerat.*

400 *Torombus Balbi nullus adhuc.) Locus ſententia & uerbis obſcurus: uetuſtiores codices, quod etiam Germani adnotarunt,* CORVMBVS: *non tamen quem intellectum hæc uerba habeant, liquidò affirmarim. Interpres Thucydidis cum hunc locum è primo libro exponeret ἐνέρσειν κρωβύλου: loquens de quibuſdam capillorum plicaturis, Corymbum eſſe tradidit plicaturam eam, quæ mulierum eſſet. hæc eius uerba, κρωβύλος δὲ ἐστιν εἶδος πλέγματος τῶν τριχῶν ἀπὸ ἑκατέρων εἰς ὀξὺ ἀπολῆγον: ἐκαλεῖτο δὲ τῶν μὲν ἀνδρῶν κρωβύλος, τῶν δὲ γυναικῶν κόρυμβος, τῶν δὲ παίδων, σκορπίος. An de huiuſcemodi capitis ornatu, & corymbo hic ſermo ſit, ignoro.*

401 *Quoniam quidem ἐσίτησας quàm leuiter commotus.) Cum diu Græcum uerbum deſideratum eſſet inani ſpatio relicto Germani primi ἐσίτησας reſtituerunt, quos non reprehendimus, cum ipſi etiam id fecerimus: & ſanè ita ferè habent noſtri antiquiores codices: in illis enim eſt* ICEITHCAC: *ut ſi ita legendum eſt, in prima tantum litera peccatum ſit. Nam ut non multo antè admonitus, eſt ſæpe in Latinis exemplaribus pro* I *poſitum inuenitur, ut hic iam uſitatus error minus perturbare debeat. ſed quod magis conſiderandum eſt, cur Græca hic uoce uſus ſit non uidemus: animaduertimus enim nunquam ferè Ciceronem Græcas uoces in Romano ſermone uſurpare, niſi cum Latinas non habet,*

bet, quæ id quod uult plenè & perfectè exprimant. Poterat autem hoc egregiè Latino uerbo explicare, & reddere. Præterea ſenſus parum nobis planus, & apertus uidetur: cuius rei cauſam fortaſſe in ſe habet peruerſio aliqua in hac ipſa dictione: quod tamen non adfirmamus: placuit tamen ingenuè fateri, quod nobis non paruum ſcrupulum iniecit.

Ab aleatore ψυχμὸς ᾥολύς. *) Ita habent cuncti & excuſi, & manu ſcripti codices quos uidimus, exceptis Germanicis, qui,* A BALNEATORE *habent: nos cum in nullis ita ſcriptum antiquioribus inuenerimus, receptam lectionem mutare noluimus: error tamen facilis in alterutram ex altera dictionem. Si compertum nobis eſſet quem intelligeret, poſſemus fidentius ex eius uita, & moribus confirmare quæ ſincerior lectio ſit: quod cum ignoremus, utranque uoluimus teſtatam relinquere, ut cum hoc certius factum fuerit, poßit unuſquiſque eam quæ magis congruens illi eſt, eligere.* 401

Cui certè ſi poſſem mederi, odiſſe non deberem:) Veteres codices DESSE NON DEBEREM. *Nos caſtigauimus* DEESSE: *animaduertimus enim in infinitis penè locis ex duabus uocalibus coniunctis alteram ſuppreſſam eſſe. Huius rei plura habemus exempla: unum non longè petitum. nam in hac ipſa epiſtola* CVSTODIS *pro cuſtodijs ijdem codices habebant: quod cum aliquis non animaduertiſſet,* CVSTODES *caſtigauit, an corrupit? quis enim non uideat antiquis maximè exemplaribus ſuffragantibus,* CVSTODIIS *legendum eſſe? Fatetur ſuum officium fuiſſe, ſi mederi poſſet, non deeſſe reipub. & illi rerum tumori, qui excitatus eſſet: quàm tamen remedia difficilia ſint explicat. Sæpe ſic loquitur, ut hoc ipſo in libro, cum eandem ſententiam exponeret,* Ibidem.

Impendentis periculi nonnihil uitare uideor, ſed caſurus in aliquam uituperationem, quòd reipub. defuerim tam graui tempore. Ex uulgata lectione nihil niſi ineptum & frigidum intelligi poterat.

402 *Nam de Octauio ſcis quæ expecto.) Antiqui etiam noſtri* SVS'QVE DE'QVE *habent: nam hoc ante nos Germani animaduerterunt: uoluimus tamen noſtrum etiam codicum cõſenſum, & autoritatem producere, quo pluribus quaſi teſtibus uulgata, & corrupta lectio conuincatur, & penitus deleatur. Súſque déque Sex. Pompeius, plus, minúſue ſignificare tradit: quo modo alij non ineruditius exponant, & manifeſtum eſt.*

402 *Nam quoniam Fumdis ſum cum Ligure noſtro ſtructore, &c.) Nos ex antiquis exemplaribus legimus* CVM LIGVRE NOSTRO, DISCRVCIOR SESTVLII FVNDVM, &. *Erat enim fortaſſe hic Seſtulij fundus in illis locis, ut animo æquo uidere non poſſet illum à uerberone Curtilio iniuſtè poßideri.* DESCRVCIOR *tamen potius eſt in illis: quod etiam in alijs uocibus obſeruauimus: ut in Deuerſorium, & Deuertor: ita enim ſemper in antiquis libris ſcriptum offendimus. quod cum factum eſſet in prima huius libri dictione (Deuerti enim in illis eſt) diu Reuerti, mendoſe lectum eſt: contrà in iiſdem Dilectus, pro Delectus, cum de delectibus militum ſermo eſt, ſcriptum reperi. Quòd autem Seſtulij fundum legendum ſit, confirmant etiam hæc uerba non multò pòſt poſita, At ego cum tibi de Curtilio, Seſtulianóque fundo ſcripſi, de Cenſorino, de Meſſala, de Planco, de Poſthumio, de genere toto, &c.*

402 *Is mihi de Matio & de repub. &c.) Antiqua exemplaria* DE MARIO: *quamſinceram eſſe lectionem puto.*

Huius

Huius hiſtoriam narrat Valerius Maximus libro IX. *cap. de Herophilo medico equario : paulò ſuprà ,* Quid de Mario ? quem quidem ego ſublatum rebar à Cæſare. *Item in prima Philippica ,* Liberatus cædis periculo paucis poſt diebus Senatus : uncus impactus eſt fugitiuo illi , qui in C. Marij nomen inuaſerat.

A Cicerone mihi literæ πεπυκνωμέναι & bene longæ:) Ibidem
Caſtigauimus autoritate uetuſtorum codicum πεπυσνωμέναι, *& paucis poſt dictionibus* πῖνος. *Quod ſentiremus de hac dictione, antè diximus : ubi locus etiam Damaſcij adductus eſt, quem Suidas citat.*

Cum à ſe Catilius circunſederetur.) *Scribendum* CAE- 404
CILIUS : *quod etiam Germani ex uetere (ut opinor) ſuo codice uiderunt : intelligit autem C. Antiſtium ueterem, qui literas ad Balbum miſit, quibus loquebatur de bello quod contra Cæcilium Baſſum gerebat in Syria. Quis autem hic fuerit Cæcilius, diligenter narrat Dion libro Romanarum hiſtoriarum* XXXVII. *& qua ratione cum ex aduerſo prælio Pompeij fugiſſet, in Syriam uenerit, magnáſque ibi copias pararit , & iuſti exercitus dux factus ſit. Tradit tamen Alchandonium Arabem eum ex obſidione exemiſſe, illum qui contra Parthos Luculli rebus fauit Parthos autem, quamuis & ipſi à Baſſo acciti cum magnis copijs ad eum ueniſſent , nihil tamen memoria dignum feciſſe : paruóque tempore propter hyemem manſiſſe. Huius Baßi meminit Cicero in oratione pro Deiotaro : etſi (Cælius) deprauatè pro (Cecilius) ibi ſcriptum eſt. Inter alia autem crimina dixerat accuſator Regem ad eum nuncios miſiſſe : Verba Ciceronis hæc ſunt ,* At miſit ad Cæcilium neſcio quem : ſed eos quos miſit , quòd ire noluerunt , in uincula coniecit. *Infrà ,* Sed tamen cum ad

Cæcil

Cæcilium mittebat, utrum cauſam illam uictam eſſe neſciebat, an Cæcilium iſtum magnum hominem putabat? quem profectò is, qui optimè noſtros homines nouit, uel quia non noſſet, uel ſi noſſet, contemneret. Præterea D. Brutus in epiſtola ad Brutum & Caßium, Quia ubi conſiſtamus, non habemus, præter Sex. Pompeium & Baſſum Cæcilium, qui mihi uidentur hoc nuncio de Cæſare allato firmiores futuri.

405 Redeo ad Theobaſſos, Sucuos, Francones.) *Quam nos lectionem ſecuti ſumus, ex antiquis exemplaribus eruimus. Opinio autem noſtra eſt hæc eſſe nomina ueteranorum, qui ex haſta, & largitione Cæſaris magnas opes ſibi acquiſiuiſſent: & in fundos, poſſeßionéſque aduerſariorum inuaſiſſent: quorum amittendi metu rem turbari cuperent, & omnia potius commiſceri quàm pati opimam illam prædam ſibi è manibus eripi.*

Ibidem. Sed ut ſcribis ῥιζόθεμιν magnam cum Antonio) *Vna tantum litera diuerſa eſt antiqua lectio: quamuis eam quoque aliquantulum uitioſam eſſe putem. nam uulgata, & ipſa mihi parum ſatisfacit. Videndum eſt an debeat emendari ῥηξόθεμιν, ut ſignificare uoluerit concertationem Octauij cum Antonio de Cæſaris hæreditate, cuius ille magnam partem auerterat: nàm antequam armis contenderunt, iure & legibus diſceptarunt. Probat hic igitur Cicero, (ſi ita legas) iudicium Attici, qui inter illos magnam litem erupturam ſcripſerat: ſiue fortaſſe per hoc uerbum rem ad arma uenturam, & contemptis fractiſque legibus, armis illos dimicaturos ſignificarat, & orituram inter eos iuris fractionem & diſſolutionem. Multa ſanè componunt & complicant nomina cum hac uoce Græci: nam ῥηξίφρονα dicunt, & ῥηξίνορα, & ῥηξίφλοια: quare non mirum eſſet*

eos

eos etiam ῥηξίθεμιν *formaſſe: in eam tamen adhuc non incidi, nec ullam rem certiorem adferre poſſum, ſiue de ſinceritate, ſiue de ſententia huius aut illius lectionis.*

Nam rem non fecit deteriorem.) *Antiqua exemplaria* 406
VNA. *Nos coniectura ducti ſenſu optimè (niſi fallor) quadrante ex ueteribus ut minus inquinatis ueſtigijs* RVINA *caſtigauimus, ut intelligat ruinam tabernarum, quas ita reædificare Cicero cogitabat, ut damnum, quod ruina importarat, ſibi quæſtum adferret: ita enim ſuprà inquit, cum de inſtauratione earum ageret, Sed tamen ea ratio ædificandi initur (conſiliario quidem, & autore Veſtorio) ut hoc damnum quæſtuoſum ſit.*

Præter lætitiam & odij pœnam & doloris.) *Germani* 406
quoque POENAM *legunt: præterea cuncti manu ſcripti* PENAM: *ſine diphthongo tamen. ita etiam noſter melior, ſed mendoſè, ut puto:* PLENAM *enim legendum omnino exiſtimo, penderéque hoc nomen à uoce illa* LÆTITIAM, *cum queratur cædem Cæſaris nihil ipſis attuliſſe præter lætitiam, ſed nec eam ſinceram merámque, uerùm plenam odij, & doloris.* Rem autem qua aliquis refertus eſſet, *ſecundo, & non ſeptimo caſu, ut poſtea cœptum eſt, ſolitum eſſe Ciceronem ponere, teſtatur Quintilianus lib.* IX. *ut diceret Plenum uini, & non uino.* Ex uulgata, *& recepta lectione nullum paulò commodiorem ſenſum elicere poſſumus: qui poteſt, ipſe nos doceat. Paulò autem pòſt* ISTIM *habẽt ueteres codices, ubi excuſi (iſtinc) quod quamuis plurimis locis in priſcis epiſtolarum exemplaribus obſeruarimus (ut non facilè in eadem uoce ſemper uitium eſſe credendum ſit): tamen nunquam ita ſcripſimus: de hoc autem alibi longius locuti ſumus.*

Veruntamen autem ecce Antonius &c.) *Pulcherrimum* 407
ſenſum

ſenſum, & elegantem modum dicendi, à Ciceronéque crebro uſurpatum, perturbatus ordo duarum dictionum fœdabat: eum purgauimus, ad autoritatem ueterum codicum, ratione etiam accedente. (Ecce) *autem, de rebus magnis, & repentinis ſolitum dici notum eſt, & ab antiquis grammaticis declaratum: quare de hoc inane eſſet amplius uerba facere. Illud potius adnotandum eſſe admonemus,* VERVNTAMEN *hic alio ſignificatu ſumptum eſſe, quàm paßim capiatur.* Hic *enim hanc uim habet,* Cum *antea expoſuerit Siculis Cæſarem multa commodauiſſe, neque ſe inuito, (gaudebat enim eos qui ſecum aliqua neceßitudine coniuncti eſſent, beneficijs cumulari)* Quamuis, *inquit, latinitas erat non ferenda: ueruntamen.* Quaſi *dicat:* Cum *Cæſar ita facere animum induxerit, illiſque omnino gratificari uoluerit, æquo animo ferendum: aliquidque ei, cui reſiſti non poteſt, concedendum. Cùm uerò poſtea,* ECCE AVTEM, *infert, docet Cæſaris beneficia in Siculos præ Antonij effuſione quaſi nihil eſſe.* Inuenitur *etiam alijs locis ita locutus eſſe Cicero: ut libro* XVI. De Q. Filio *gaudeo tibi meas literas prius à tabellario meo, quàm ab ipſo redditas, quanquam te nihil fefelliſset: ueruntamen. Sed expecto quid ille tecum.* Dixiſſet *enim, ſi plenè locutus eſſet,* Veruntamen *hoc melius & commodius fuit. eſt autem hic modus dicendi, in quo multa ſupprimuntur, & reticentur.* Hoc *etiam libro mon multo antea,* De Bruto *ſemper ad me omnia perſcribito, ubi ſit, quid cogitet: quem quidem ego ſpero iam tutò uel ſolum tota urbe uagari poſſe: ueruntamen.* De Rep. &c. *tanquam enim ſe corrigit, quòd tutò* Brutum *tota urbe uagari poſſe aſſeueraſſet, ut ſi dixiſſet,* De *hoc melius cogitandum eſt, nec ſe tanto periculo fortaſſe committendum.* In *prima*

etiam

etiam epiſtola XIII. *lib. Tuas literas hodie expectabam: nihil equidem ut ex his noui: quid enim? ueruntamē. Oppio, & Balbo epiſtolas &c. nam & hic etiam aliquid intelligitur: Quamuis, inquit, nihil ex tuis literis noui expectabam: ueruntamen ſiquid forte accidiſſet præter opinionem meam, ſcire uolebam: quamuis enim exiſtimem te nihil habere, tamen quis ſcit an aliquid ortum ſit? ideo non penitus ſpe excludebar fore in illis aliquid noui. Sed huius ſermonis alia nec pauca haberemus exempla, quæ nunc omittemus: ſatis enim hæc eſſe arbitramur ad declarandam eius uim.*

An ambulatione ἀλιτενεῖ *delecter:*) *Valde mancus quondam hic locus legebatur, deficiente hic Græca uoce, & paulò infrà tribus Homericis uerſibus. Ipſi penè integrum, & incorruptum in uetuſtioribus exemplaribus eum inuenimus: inerant enim in carminibus Homeri minutæ quædam peruerſiones, uel illuſiones potius, quæ facilè tolli poſſent & corrigi, ut mirer tandiu illum iacuiſſe, & intellectum non eſſe. Germani tamen & ipſi animaduerterunt, primique locum reſtituerunt, quorum lectio cum noſtra antiqua penitus congruit. Quæſierat autem à Cicerone Atticus rem, de qua ipſe ualde anceps erat, ubi maior ſcilicet delectatio eſſet, in tumulis, proſpectúque, an in ambulatione* ἀλιτενεῖ. *Fatetur Cicero utriuſque loci tantam eſſe amœnitatem, ut ipſe quoque dubitet utra anteponenda ſit: non tamen hanc eſſe quæſtionem eius temporis docet, tantis enim malis urgeri rempub. & tam grauia pericula optimo cuique inſtare, ut penitus ſibi ex animo & uillæ, & huiuſcemodi delectationes exciderint. Accommodat autem ad hanc ſententiam egregiè uerba Vlyßis pronunciata ab eo* λ. ι. *Cum enim miſſus eſſet orator ab Agamemnone* 407. in fine.

E *cum*

cum Phœnice, & Aiace ad Achillem, ut eum illi reconciliarent, & ita afflictis rebus Græcorum ſubuenirent: uiſa Achille, & ſalutata tam nobili legatione, iuſſit Patroclum maioribus poculis unicuique miniſtrare. Ipſe quoque magna ui carnis deprompta, & aſſata menſam multis dapibus onerare, & refertam habere cœpit. Vlyſſes autem inde initium orationis ſuæ ſumpſit: laudata enim eius copia, & ſplendore: inquit, ἀλλ᾽ οὐ δαιτὸς ἐπηράτου ἔργα μέμηλεν. Quamuis, inquit, ſplendidæ ſint epulæ, non tamen nobis dulcis conuiuij opera curæ, & cordi ſunt: ſed cum magnum detrimentum, ingénſque exitium uicinum uideamus, timemus, in dubióque ſumus de ſalute, uel interitu nauium, totiúſque claſſis. Quemadmodum igitur Vlyſſes tunc tempus non eſſe dicit inſtruendarum epularum, nec ſe animum ad dapes applicare poſſe: ita hic Cicero ſe nihil de honeſtis illis uoluptatibus, delectationibúſque hoc tempore cogitare poſſe propter ingruentia mala, & pericula affirmat: illa enim tranquillum tempus requirere, hoc autem eſſe turbulentiſſimum. ἀλιτενὴς autem humilis: quemadmodum mare dicitur ἀλιτενὲς, quod profunditatem non habet. Polybius *libro* IIII. *hiſtoriarum*, καλεῖται δὲ τὸ μὲν τῆς μαιώτιδος στόμα κιμμερικὸς βόσπορος ὃ τὸ μὲν πλάτος ἔχει περὶ τριάκοντα στάδια. τὸ δὲ μῆκος ἑξήκοντα στάδια, πᾶν δὲ ἐστιν ἀλιτενές. Appianus, οἱ δὲ καρχηδόνιοι ἐξέδραμον ἐπὶ τὰ τῶν ῥωμαίων μηχανήματα οὐ κατὰ γῆν (οὐ γὰρ ἦν δίοδος) οὐδὲ ναυσίν, ἀλιτενὴς γὰρ ἦν ἡ θάλασσα ἀλλὰ γυμνοὶ οἱ μὲν ἄχρι τῶν μαζῶν βρεχόμενοι οἱ δὲ νέοντ. *Humilis autem, planáque regio, & ambulatio opponitur tumulis, lociſq; proſpectum habentibus.*

411 *Iterandum eadem iſta mihi.) Cum Cicero ſit qui interroget,*

roget, Atticúſque certiorem eum fecerit de hac re, Iterandum ſcilicet tibi eadem iſta intelligo. id eſt oportet ut iteres, & eadem iſta repetas. Sic loquitur in II. *libro Tuſculanarum, Iterandum eadem iſta mihi: nõ enim intelligo quid ſummum dicas eſſe, quid breue. Parilibus autem Romam eſſe conditam notum, eſſéque eum diem ad* XII. *Calend. Maij. Ludóſque ea die celebrari ſolitos urbano populo, & peregrinis etiam per urbem uagantibus coronatis cum tibijs, cymbaliſque & omni genere luſus laſciuiæq́; docet hoc Athenæus* VIII. δειπνοσοφιστῶν, *his uerbis,* τούτων ἔτι πολλῶν λεγομένων τότε ἐξάκουστος ἐγένετο κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν αὐλῶν βόμβος καὶ κυμβάλον ἦχος ἔτι τε τυμπάνο κτύπος μετὰ ᾠδῆς ἅμα γινόμενος. ἔτυχε δὲ οὖσα ἑορτὴ τὰ παρίλια μὲν πάλαι καλούμενα νῦν δὲ ῥωμαῖα τῇ τῆς πόλεως τύχῃ ναοῦ καθιδρυμένου ὑπὸ τοῦ πάντ' ἀρίστου καὶ μουσικωτάτου βασιλέως ἀδριανοῦ : ἐκείνην τὴν ἡμέραν κατ' ἐνιαυτὸν ἐπίσημον ἄγουσι πάντες ἑορτὴν οἱ ῥώμην κατοικοῦντες καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες τῇ πόλει.

Fac id potuiſſe aliquo modo fieri.) *Quam nos ſecuti ſumus lectionem, eam auxilio uetuſtorum codicum reſtituimus, in quibus poſtremæ harum dictionum nullum ueſtigium: ex noſtra hunc elicio ſenſum ualde accommodatum, ut arbitror, & elegantem. cum enim dixiſſet, Quis potuit Liberalibus in ſenatum non uenire? quaſi hoc fuerit ualde durum, & acerbum tãtopere cogi ſenatores, ut nullus etiam ueræ excuſationi locus eſſet: ueruntamen concedamus, inquit, id oportuiſſe, & rectum fuiſſe, quod grauius, & uiolentius fuit: num etiam cum ueniſſemus, liberè potuimus ſententiam dicere? Ex uulgatã non adeo planum, & uerum, niſi nos fortaſſe nimis noſtra, uel antiqua potius, & incorrupta amamus.* 412

413 Nec me hercule Rauduſculus mouet.) Veteres codices ME RAVDVSCVLVM NOVET. prorſus incertum eſt quid intelligat: ſemper de hac re breuiter, & obſcurè loquitur: diximus quædam de hac uoce lib. IIII. harum epiſtolarum in illo loco, Nam de Rauduſculo μήπω μέγαν ἔπος πρὶν τελευτήσαντ᾽ ἴδῃς. nihil aliud adhuc habemus, quod hoc negotium aperiat, & explanet.

414 Quis enim audeat uiolare propoſita cruce aut ſaxo.) Hæc eſt recepta lectio, quam uetere meliorem iudicauimus: illa autem LAVDARE habet: quod etiam Germani reperiſſe in antiquo codice uidentur: adnotant enim eam in ſui libri margine. uitioſos igitur hac parte omnes antiquos puto.

415 Herodi autem mādatum ut mibi κτισμάτων ſcriberet.) Hæc eſt uulgata lectio. Antiqua autem, MANDARAM VT MIHI KATAMITΩN. omitto quemadmodum alij emendarint, qui ueteribus libris aut non inſpectis, aut neglectis eam quam huic ſententiæ lectionem quadrare arbitrati ſunt, reſtituerunt: multi enim in hoc laborarunt. omnes autem has turbas, difficultatéſque peperiſſe iudicamus unius literæ peruerſionem: ſi enim o, paruum in poſtrema ſyllaba, & nō magnum, ut perperam factum eſt, poſitum fuiſſet, omne mendum abfuiſſet, & eadem ſententia ex ueris Ciceronis uerbis elici potuiſſet. κατὰ μίτον autem λεπτῶς ſignificat, quaſi filatim: μίτον enim filum. Adducit Varinus in magno illo ſuo lexico Pherecratem, qui ita locutus ſit, κατὰ μίτον τὰ πράγματα ἐκλογίζομαι. Hoc pacto conſeruatur priſcorum exemplariorum autoritas. nam etiam Germanica KATAMITΩN habere certum eſt: illi enim ita in margine codicis, quem excuderunt, adnotarunt: & ſenſus præclarè conuenit, & eam multorum

rum

rum iudicio corcordat, qui aut κατὰ λεπτὸν, aut ſimili quopiam modo, non incommodè, ſi ſententiam tantùm ſpectes, emendabant.

Nec ſero quodammodo dependatur.) Ea eſt omnino in antiquioribus quos uidimus codicibus lectio, ut modica immutatione NE PRO SE QVODAMMODO caſtigari poßit: quod fecimus uulgatæ peruerſione, & maculis offenſi: unius enim tantùm literæ ſeriem permutauimus: & ita hanc meliorem, niſi fallor, & ſinceriorem lectionem confecimus. 415

Qui ualetudinis cauſa in hæc loca ueniant.) In libro etiam ad M. Varronem hæc & lepida & grauis epiſtola ad Dolabellam Cos. incluſa eſt: ex diſsimillimo enim genere conflata eſt: nam & iocatur cum eo familiariſsime, & acutiſsimis ſtimulis ad uirtutem & dignitatem cohortatur. Primis autem eius uerſibus non parua uarietas eſt in ea, quam ad Dolabellam ſcripſit, & in hac, quod eius exemplum eſt ad Atticum miſſum, ut ipſe quoque legeret. neutram mihi placuit lectionem repudiare: nam utraque à me in ueterrimis & probatiſsimis exemplaribus inuenta eſt, & utranque elegantem & ſplendidam puto, & quæ magis uerbis quàm ſententia diſcrepent. Cur autem huius magis libri teſtimonio quàm illius fidem haberem? cum utrunque fidelem expertus ſim & utrunque etiam, etſi rarius, tamen quandoque fallere. Res omnino non magni eſt momenti: ne tamen aliquis hoc negligentia à nobis commiſſum exiſtimaret, hoc narraſſe uolui. locus ipſe de quo loquimur, ne nunc longiores nulla neceßitate ſimus, eas inter ſe conferentibus patebit. 416

O' hominem impudentem.) Veteres libri PVDENTEM: qu od εἰρωνικῶς dictum eſſe oportet. nam quod & 418

Opem ab eo petierit, dixit, alludit ad ingentem illam uim pecuniæ publicæ, quam Conſules diſsiparunt ex æde Opis, de qua in Philippicis his uerbis, Scelerum magnitudo, conſcientia maleficiorum, direptio eius pecuniæ, cuius ratio in æde Opis confecta eſt, hanc tertiam decuriam excogitauit. ſed & alijs quibuſdam locis hanc rem tangit.

419. in fine. Sed cum Dolabellæ aritia &c.) Nos AVARITIA legimus. nam ſuprà queritur Dolabellam nomen quod ſibi debebat, nolle diſſoluere: ſæpiúſque de hoc negotio loquitur. erat autem hoc auaritiæ. Nam ne ARISTIA legas, repugnat ut arbitror illud, quòd ſe magna ob eam rem deſperatione affectum eſſe dicit: delectabat enim Ciceronem mirificè, non offendebat ἀριστία Dolabellæ, eámque ille ſummis laudibus in cœlum ferebat: inquit enim, O Dolabellæ noſtri magnam ἀριστίαν: quanta eſt ἀναθεώρησις. Contrarium igitur eſſet ſententiæ ipſius.

421 L. Antonij horribilis contentio:) Emendauimus CONCIO, multis argumentis ad hoc inducti. Poſteriore etiam ſequentis libri epiſtola inquit, L. Antonium concionatum eſſe, cognoui tuis literis, ut alijs ſordidè. Ea etiam uerba quæ ſequuntur, Dolabellæ præclara iam &c. id confirmant. Cum enim hic concionem præclaram intelligat, non dubium quin etiam ſuprà horribilis concio intelligi debeat: nec enim rectè (ut arbitror) præclara contentio appellaretur. Et non multò pòſt hac ipſa epiſtola de Dolabellæ concione loquitur, Dolabellæ & prima illa actio, & hæc contra Antonium concio mihi profeciſſe permultum uidetur. Quod autem paulò infrà inquit, Expecto ſi, ut putas, L. Antonius produxit Octauium, qualis concio fuerit: & hic etiam de concione ſermonem habitum eſſe oſtendit.

De Cæſare illo.) Omnes in hoc codices conſentire uideo ueteres ac nouos: & tamen ſuſpicor aliquid mendi latere: nihil autem mutaui: quibus enim auxilijs uti conſueui, ab ijs relictus ſum. Ibidem

De Quintis ac Buthrotijs, cum uenero utſcribis.) Veteres libri, DE QVINTI BVTHROTO. quamuis enim de Quintis in illis ſcriptum ſit, poſtrema tamen litera ibi deleta eſt, ſi diligenter attendas: nam punctum ſupra ſe habet: puncta autem ſupernè in priſcis exemplaribus delent. Buthrotus autem fortaſſe fundus erat Quinti, de quo nunc loquitur: nihil tamen adfirmamus, quippe cum de hoc compertum aliquid non habeamus. Ibidem

Se aſſentire & cupere pacem.) Caſtigauimus ex ueteribus libris SE BENE SENTIRE. quòd niſi ſpe fallimur, accuratè re perſpecta, & animaduerſa reſtitutam à nobis lectionem meliorem putabis, & illam noſtro iudicio ſatis frigidam repudiabis. 422

Q. Frater (ut arbitror) eſt dextella.) Antiqua exemplaria pro FRATER, F. habent, id eſt filius: in alijs cũ excuſis concordant. Quid ea uox DEXTELLA ſignificet, mihi compertum non eſt. ea autem, quæ adhuc nonnulli excogitarunt, parum ſatisfaciunt, nihil enim certi habent: quare meliora adhuc, & ueriora quærenda cenſeo. 422

Et quidem portenti ſimiles in tuis literis.) Sic quondam mendoſe legebatur. Germani primi, PORTENTI SIMILE SINE TVIS LITERIS, emendarunt: rectè illi quidem, & eleganter. Portenti ſimile putat, quòd ſuus tabellarius ab Attico ſine literis redierit. Dicitur portenti ſimile quod raro accidit, & admirabile omnibus uidetur. Sæpe utitur Cicero hoc modo dicendi, lib. II. de Oratore, Craßi quidem reſponſum excellentis cuiuſdam eſt in- 422 in fine, & in prin. ſeq.

genij, ac ſingularis, cui quiddam portenti ſimile eſſe uiſum eſt, poſſe aliquem inueniri oratorem, qui aliquid mali faceret dicendo. In V. *etiam Philippica dixit, Vt portēti ſimile uideatur, tantam pecuniam populi* R. *tam breui tempore perire potuiſſe.*

413 *Vtrum omnes haberent.) Vitioſi ſunt hoc loco ueteres codices: ut non certò perſpiciatur ex illis quomodo legendum ſit: nos inſtitutum noſtrum tenuimus, ut quam minimum à priſcis ueſtigijs declinaremus: & tamen aliquantulum neceſſariò deflectēdum fuit: tam peruerſa enim, & maculoſa antiqua ſcriptura erat, ut aliquid opis ei adferre oporteret.* VT RATA *igitur legimus: in illa autem* VTRAM *erat: alij* VT ARMA *emendant.*

Ibidem *Ponti Neapolitanum à matre tyrannoctoni poßideri.) Ita ſcriptum inuenimus in cunctis manu ſcriptis, impreßiſque codicibus. alij alijs modis corrigere tentarunt. Quorum opiniones qui ſcire uolent, habent ubi eas legant: nos uidebimus an ex communi lectione, aliquid, quod non contemnendum ſit, elici poßit. Neapolitanum prædij nomen ut Cumanum, & Arpinas hic eſſe exiſtimamus, quòd in agro Neapolitano eſſet, ita appellatum. Cicero in Lucullo, Quò quidem etiam maturius uenimus, quòd erat conſtitutum, ſi uentus eſſet, Lucullo in Neapolitanum, mihi in Pompeianum nauigare. Matrem Tyrannoctoni Seruiliam intelligimus. Adhuc nihil niſi planum dictum puto: nunc quæ proferam, minus aſſeueranter pronunciabo. Ponti, patrius caſus eſſe poteſt à proprio nomine Pontius, ita enim ferè in priſcis monimentis hic caſus huiuſcemodi nominum ſcribitur, ut eſt etiam apud Martialem, Quod uomis Antoni, & cetera. Fuit autem Pontius Aquila inter Cæſaris coniuratos, qui poſtea Mutinenſi*

tinenſi prælio cecidit, ut eſt etiam in epiſtola quadam Pollionis. Ibi Hirtium quoque periiſſe, & Pontium Aquilam, ut huius fortaſſe hoc prædium Cæſaris haſtæ ſubiectum ſit, quod ille Seruiliæ matri Bruti dederit: cui ampliſsima prædia ex auctionibus haſtæ nummo addixit, ut Suetonius tradidit: ut ὑποσόλοικον *nunc, & ſubabſurdum uideatur Ciceroni, Bruti matrem prædia eius poſsidere, quem filius præclari illius facinoris ſocium habuerit. Huc nos coniectura, & ſenſus noſter duxit, dum uolumus maximè communem lectionem tueri, & loco ſuo moueri non pati. ut autem eam non affirmatè, & contumaciter defendimus: ſic præ alijs quæ adhuc prolatæ ſunt, non ſpernendam eſſe contendimus.*

Quare talaria induamus.) Vetera omnia exemplaria 423
VIDEAMVS *habent: id eſt paremus, & ut uulgò dicitur, prouideamus. Prima quinti libri epiſtola, Id autem ex eo, ut opinor, quod anteceſſerat Stathius, ut prandium nobis uideret. In Lucullo, Sed hoc extremum eorum eſt: poſtulant ut explicentur hæc inexplicabilia. Tribunum aliquem cenſeo uideant, à me iſtam exceptionem nunquam impetrabunt. In procemio* III. *libri de Oratore, Quem dixiſſe conſtabat uidendum ſibi aliud eſſe conſilium, illo ſenatu ſe remp. gerere non poſſe. Quamuis uulgata lectio recipi, & defendi poſsit, maluimus tamen antiquorum codicum fidem, & autoritatem ſequi, ſenſu optimè conueniente, ne dicam magis quadrante: ſatis enim tunc erat expedire ſe ad fugam, eáque parare quæ neceſſaria erant: nondum enim bellum eruperat, otium tantum turbabatur.*

Perturbat ne gemam.) Hunc locum inquinatum eſſe 424
quis non fateatur? Caſtigauimus igitur NEQVE IAM: *partim coniectura ſimilitudinem illarum literarum ſecuti,*

partim argumentis quibuſdam ducti, quorum non paruum hoc eſt, quòd cum hoc ipſo in libro ſententiam eandem explicaret, iiſdem ferè uerbis inquit, Neque enim iam licebit quod Cæſaris bello licuit, &c. Pungenda autem oratio eſt poſt uerbum (perturbat) hoc enim initium eſt clauſulæ, qua rationem reddit cur hæc ſe ſpecies, cogitatióque perturbet. ita enim legimus cum uetuſtis exemplaribus, non CONTAGIO. *Cum belli, inquit, ſpecies mihi obſeruatur: & cogito fore bellum, perturbor.*

EX LIBRO XV. EPIST.
AD ATTICVM.

425 *Sed uix enim & ad pacem ſum cohortatus.) Deformatam hanc lectionem eſſe putauimus, mendúmque una litera poſtpoſita inoleuiſſe: qua in ſuam ſedem reſtituta, omnem maculam ſublatam eſſe ſperamus. Hoc uerbum frequenter hoc ſignificatu ſumitur: cum plura exempla nobis occurrerent, uno ex harum epiſtolarum lib.* V. *contenti erimus. Cum hæc diſſeruiſſem, ſeducit me Scaptius, ait ſe nihil contradicere.*

426 *Audientibus tribus filijs eius, & tua filia.) Inane ſpatium hîc diu manſit. Germani characteras quoſdam Græcos in uetere exemplari repertos depinxerunt, & in hunc locum interpoſuerunt: eos ipſi quoque nulla parte ab illis diſcrepantes in noſtro antiquiore inuenimus, & in noſtrum codicem quàm maximè potuimus illis ſimiles contulimus. Cùm enim à nobis non intelligeretur, fore puto ut aliquis acri ſtudio in hoc poſito nobis felicior, & eruditior, hoc ei ſuppeditato auxilio, hunc quandoque locum reſtituat. & tenebras quæ ipſum occupauerunt, repellat. nam quoniam in antiquioribus omnibus, probatioribúſque*

codic

codicibus eodem pacto ſcriptis inuenitur, ſcire licet etſi aliqua in eo macula, peruerſióque uerſetur, non tamen à uera tantopere lectione diſtare ut deſperandum ſit de illius reſtitutione.

Vt nihil poßit ultra, ego tamen.) In antiquiore noſtro codice ea quam ipſi reſtituimus potius lectio inuenitur: ideóque nos ipſam uulgatæ prætulimus: nam ſenſus ex utraque idem ferè elicitur: ex noſtra tamen commodior & elegantior, ut puto. 426

Quamquam uereor ne cognomine tuo lapſus ὑπαττικὸς ſis in iudicando.) Manu ſcripti omnes HYPERATTICVS habent: quæ prorſus uera eſt lectio. miror autem quomodo tam diu latuerit. Germani tamen eam uiderunt. quam inepta autem. & frigida uulgata eſſet, nihil attinet dicere. Credebant plerique eius temporis oratores, quos ſemper Cicero redarguit, Atticum dicendi genus ſubtile, & ſedatum eſſe: quare ueretur Pomponij iudicio hoc committere, timens ne ille cognomine ſuo lapſus, tenui, & tranquillo ſtilo magis delectaretur, quàm concitato & quaſi ardenti: tanquam ipſe Atticus appellatus, Atticum etiam ſtilum amare deberet. In oratore etiam eandem hanc ſententiam perſequitur, Qui autem aliter dixerunt, hoc aſſequi non potuerunt: ita facti ſunt repentè Attici. quaſi uerò Trallianus fuerit Demoſthenes, cuius non tam uibrarent fulmina illa, niſi numeris contorta ferrentur. ὑπὲρ autem in compoſitione augere, notum eſt Ab hoc nomine uerbum fingit Simplicius in commentarijs in Phyſica Ariſtotelis ὑπεραττικίζειν, id eſt nimis ſtudioſe elegantias & flores eius linguæ ſectari. Inuehitur autem ut ſolet, in Alexandrum, κάλλιον οὖν οἶμαι ἀληθεύειν ἢ ὑπεραττικίζειν. Emendauimus item paulò poſt, pro (Attico tota) (ἀττικώτατα) 427

κάτα]α) ut non ſolum Atticè dici poſſe confirmet, ſed etiam Atticiſſime, ut ita dicam, quod ipſe proferre noluit: apud Græcos autem id uſitatiſſimum eſt, quod hic aptiſſimè nunc Cicero uſurpauit.

427 *Quod puto, tantum enim odium uideo &c.) Locum hunc deprauatum, mancúmque eſſe puto. Ea uox* ODIVM *in antiquioribus non inuenitur: quopropter nos eam deleuimus. Notam autem, quæ mendum ſubeſſe indicaret, illi adponi iuſſimus, quia ſine melioris codicis copia corrigi poſſe deſperauimus.* VICTORI *autem eſt in illis non* VICTVRI *: ne nihil prætermittatur à nobis quod non teſtatum relinquamus: ſæpe tamen in antiquis monimentis hæ duæ poſtremæ uocales inter ſe permutantur.*

428 *Tabula Demonici quòd tibi curæ, eſt gratum de malo ſcripſi &c.) Quòd punctis male diſtincta erant hæc uerba, induxerunt nonnullos ut ſinceram ſcripturam contaminarent, de Matióque ſcriberent inconſideratè. poſt uoces illas* DE MALO *pungi debet oratio, ut gratum de malo id ſibi eſſe dicat: quo modo dicendi ſæpe utitur. ſed hæc tam perſpicua, ut nulla egeant argumentatione, quo magis confirmentur. quædam etiam paulò pòſt ex iiſdem exemplaribus melius, ut puto, ſcripſimus.*

Ibidem. *De Q. F. quod ſcribis ad me ad Q. De patre.) Quis non uideat in his uerbis uitium eſſe? ita autem excuſi fermè omnes habent: neſcio an antiquam ſcripturam deprauationem dicere debeam. nihil certè illa conturbatius, & confuſius: non uerebimur tamen eam proferre, aliiſque conſiderandam tradere: ſi fortè alicuius ingenio aliquid, quod lucem huic loco adferat, ex ea erui, & excogitari poſſit. Eſt autem hæc,* DE QVE FIL. SCRIBIS A. M. C. DE PATRE CORAM AGEMVS, *ut uideatur*

Græca

Græca quæpiam dictio deſiderari, cuius quædam partes, & reliquæ ſuperſint.

X. Calend. Iunij ferè ea quæ à Fuſio: &c.) *Eam, quam hic reſtituimus lectionem, ab antiquiore noſtro accepimus, nulla, ne parua quidem immutatione facta.* VIII. *autem (hora) intelligimus: ita enim ſæpe appellare ſolitos illas notum eſt, à numero ſcilicet, ſuppreſſo horæ nomine. Quòd item menſis nomen reticet breuitatis gratia, uſitatum eſt: ſiquidem & infrà,* Vnam XI. alteram X. Calend. *eadem ratione dictum eſt. Erant enim in tam uicinis locis: ut plures dies in itinere literæ manere non poſſent. non igitur menſem, quo ſcriptæ eſſent, adponere neceſſe erat: ignorari enim non poterat. Loquitur autem de* Qu. Fuſio Caleno, *cui ſemper aduerſarius fuit. paulò autem pòſt grauiſsimæ inter illos inimicitiæ exortæ ſunt, cum cauſam ille* Antonij *in ſenatu defenderet.* Dion *autem orationem, in qua cuncta Ciceronis crimina colligit, & uitam, actionéſque* Antonij *contra* Philippicas *tuetur, ab hoc pronunciari facit.* 429

Quoniam caret Buthrotis: rides ab Cordilio, &c.) *Hæc uerba ualde deformata ſunt, & deminuta, ut puto. Nos diligenter conſiderata, & perſpecta uetere ſcriptura, eam quam in noſtrò codice uides lectionem, ex illa eruimus: quam tamen non ita amamus, ut ſi meliorem uideremus, hanc non desereremus: nulli enim magnopere confidimus, quæ conſtituta, & ſuffulta ſit noſtra, aut alicuius induſtria. eſt igitur hæc uetus,* QVONIAM CARETVR BVTHROTIS RIDES APS CONDOLEO NON MEA POTIVS &c. *Quantopere autem cuperet in hoc negotio Attico ſatisfacere, ex multis locis in his epiſtolis clarum eſt, nec non ex epiſtolis in fine* XVI. *libri ad* Ibidem

Planc

Plancum & Capitonem ſcriptis, quibus cauſam, rémque Buthrotiam illis diligentiſsimè commendat.

430 De oratione Bruti prorſus contendis, mecúmque iterum tam multis uerbis agis.) Antiquiores codices habent PRORSVS CONTENDIS COMMITTERE TAM MVLTIS, &c. id eſt omni ſtudio conaris nos inter nos committere, ut quodammodo certemus, quis argumentum, cauſámque illam pulchrius, elegantiúſque explicet? quemadmodum Committi dicuntur gladiatores, à Græcis συμβάλλεσθαι hoc dicitur.

Quem di mortuum perdant tu ut noſtra &c.) Monoſyllabum TV interiectum, totum ſenſum perturbauit, quo ſublato omnia plana, & perſpicua fiunt. Putamus id conflatum eſſe ex poſtrema antecedentis dictionis litera, & prima ſequentis imprudenter compactis: ſiquidem nullus ei hic locus eſſe poteſt. accidunt autem nimis ſæpe huiuſcemodi errores: reliqua ex antiquis codicibus reſtituimus. Huius autem clauſulæ prolixitas, quæ tot inculcatis nec ſemel καὶ παρένθεσιν uerbis facta eſt, obſcuritatem quandam induxit, quæ totum hunc locum occupauit.

431 Sanum putas ἄνθρακευς.) Veſtigia alterius Græcæ dictionis in antiquis exemplaribus reperiuntur; quæ tota hic deſideratur. Germani ita ſe in ſuo codice inueniſſe teſtantur, ὅτι ναῦς ἄνθρακες. Valde huic conſimilem ſcripturam nos quoque in noſtro antiquiore deprehendimus: quam diligenter animaduerſam ſic putauimus non incommodè poſſe reſtitui, ὁ θησαυρὸς ἄνθρακες. Prouerbium id eſſe nemini ignotum eſt: profertur de his, qui cum de aliqua re potiunda in magnam ſpem uenerint, ſe poſtea deluſos, ſpéque fruſtratos ſenſerint. Suid. de illis pronuntiari ſolitum tradit, qui cum bona ſperaſſent, detrimento affe-

cti

cti ſint ex illis rebus, à quibus erat ipſis commodorum ſpes. Quibus hæc noſtra caſtigatio non probabitur, ipſi operam dent ut meliorem ex mutila illa, & deminuta dictione eliciant.

De prouincia Bruti & Caßij per ſcita.) Locus procul dubio mendoſus. Quidam PERCITA legunt non minus perturbata, & incerta lectione: alios etiam alijs modis hanc maculam delere conari nouimus: nos PER S. C. legimus, nulla dempta, aut addita litera: tantùm diſtinctis tribus uocibus, quæ temerè, ut coniecimus, in unam coaluerant: ueterem autem ſcripturam cum noua conſentire obſeruauimus, ut nullam ex ea opem expectare potuerimus. Ibidem

Non modo florui cum ſumma fama, &c.) Poſtremum uerbum ſuperuacaneum eſt: quare id deleuimus: intelligitur enim DIGNITATE, quæ uox infrà eſt, & huic etiam loco ἀπὸ κοινοῦ ſeruit. eſt autem, ſi ita legas cum ueteribus codicibus, elegantior, & non paulò ſuauior lectio. Ibidem.

Vt illius enim ſtatum odi) abeſſem.) Sic excuſi omnes habent, longè à ueteribus codicibus: ODI enim (ut de alijs uarietatibus taceam) in antiquis non eſt. Nos illis autoribus ita ut in noſtro uides, emendauimus: quæ ſi proba eſt (ut confidimus) lectio, nulla amplius declaratione eget: unicuique enim plana, & cognita ſua facilitate eſſe poteſt. Initium etiam huius epiſtolæ eorundem codicum autoritate nixi mutauimus. 432

Ne quod callidius ineant conſilium &c.) Antiqua exemplaria & hic & paulò pòſt iterum CALIDIVS. Non. Marcellus, Claudium ferox, & inconſultum etiam ſignificare tradit: citátque hæc M. Tullij uerba è libro primo de officijs, Sic reperias multos, quibus periculoſa, & calida conſilia quietis cogitationibus ſplendidiora & maiora uidea 432

uideantur. Quod ſi diligenter Donati Terentiani interpretis uerba conſideres, uidebis hunc Terentij locum in Eunucho ſic quondam multos legiſſe, Vide ne nimium callidum hoc ſit modo. ille enim (periculoſum) exponit, quamuis melius (callidum) legati adfirmet. erat autem ibi callidis, & uafris conſilijs locus: omnia enim à ſeruis doloſè aguntur, & in eo præcipuè negotio aſtutia, & malitia opus erat. hic uerò nullus: ſermo enim de clariſsimis, & fortiſsimis uiris, qui omnia uirtute gerebant, quorum periculoſa, & ferocia conſilia Hirtius metuebat. Eodem autem ſenſu idem appellat acerrima conſilia. Nos receptam lectionem non mutauimus. Veruntamen poſt tot exempla recepta, quæ ueterem lectionem corroborant, magis hac lectione delectamur, eámque ueriorem ducimus. qui ergo his argumentis, autoritatibúſque perſuaſi erunt, poterunt communi deleta, hanc etiam nunc reponere: nobis enim non ſolum conſentientibus, ſed etiam autoribus id facient.

Ibidem in fine. *Seruius uerò pacificatus cum librariolo ſuo &c.). Locus non parum obſcuritatis continens: ualde autem diuerſa ſcriptura eſt in antiquis codicibus, quorum nos, quamuis non magnopere certam lectionem maluimus ſequi, quàm eam quæ eſt in excuſis libris non minus obſcuram, & incertam. cur enim non potius fidem habeamus ueterum, & incorruptorum codicum teſtimonio quàm nouorum & pluribus de cauſis ſæpe mentientium? puto autem fore ut à nobis reſtituta lectio ſincerior eſſe quandoque cognoſcatur. Poſſet aliquis fortaſſe ſuſpicari à Liber (ſic enim quandoque ueteres unitatis numero filium appellaſſe compertum eſt) ὑποκοριστικῶς liberiolum formatum eſſe, quemadmodum à filius filiolus: conſtat enim Seruium filium habuiſſe ſatis contumacem, de quo ſæpius in his epiſt*

epiſtolis meminit: ut ultima IX. *libri epiſtola, Sed erit immitiſsimus Seruius, qui filium miſit ad affligendum Cn. Pompeium, aut certè capiendum cum Pontio Titiniano. ſed & alijs etiã, quæ ne longiores ſimus nulla utilitate, omittemus. nouum hoc ſanè & durum, & parum omnino mihi ueriſimile: quis tamen poteſt confirmare, in aliena lingua & iamdiu extincta hoc non, ut alia multa, formari potuiſſe? Hæc igitur leui quadam coniectura motus, non quòd ita omnino eſſe crederem, dixi: nam locum ualde ambiguum & incertum eſſe fateor, & tamen non contemnendum eſſe ueterem ſcripturam arbitror: certiorem enim & ueriorem rationem ea habere poteſt: quam eruditiores fortaſſe explicabunt.*

Et illæ quæ plures uidendæ.) Et hic etiam ualde deprauatus, & mancus, quem nullo pacto corrigere tentaui, quum ne magis adhuc corrumperem uererer. ſcio ſanè quo modo alij emendare conati ſint: uerùm illa mihi parum ſatisfaciunt. in ueteribus ſic inueni, VT ILLE QVAE PLVRES VIDENDAE: *ne aliquid omittamus, quod aliquando locum hunc adiuuare poſſet. Quin & paulò pòſt uerbum* POLLICETVR *in noſtro antiquiore non eſt. fuerit autem hoc erratum librarij, an uerò ab aliquo ita ſuppletum ſit, cum quiddam deſiderari appareret, doctorum uirorum uolumus eſſe iudicium: à nobis, cum nihil aliud poſsimus, contentus ſit clemens, ingenuúſque lector, ueteris lectionis, qualis qualis eſt, ſibi poteſtatem factam.* 433

Quam illa Perſei porticus.) Ea eſt obſcuritas in his uerbis, ſiue ea ab aliqua ſcripturæ peruerſione oriatur, ſiue à dicti ambiguitate, quod continent, ut me non intelligere fatear uim, & ſignificatum eorum: nolo enim quod neſcio, 433

ſcire uideri, atque hoc magno ſtudioſorum damno commit-tere. Quod reſtabat, cum fide, & diligentia ueterem lectio-nem deſcripſi: illam enim minus corruptam arbitror, quo minus contaminata eſt. Videndum eſt etiam, an in hac uoce LEGATARIAM mendum quoque inſit: mihi certe illa ualde ſuſpecta eſt. Veteres præterea paulò diuerſius eam ha-bent: LEGATORIAM enim eſt in illis.

434 Nec iam poſſunt, nec audent.) Nos ueterem lectionem ſecuti ſumus. Nec audient, inquit, id eſt non potero illis hoc perſuadere, nec conſilijs meis parebunt. Se enim timere ne fidem habeat apud illos, etiam paulò pòſt his uerbis decla-rat, Poſſum id negligere proficiens: NEC POSSVM: ita ſanè eſt in ueteribus codicibus, ſed ſi POSSVNT le-geretur, non reprehenderem: nam & paulò pòſt, Caßius queritur amiſſas occaſiones. ſed non poteſt de his firmiter conſtitui & decerni quomodo ea legenda ſint: ex utraque enim lectione non ineptus ſenſus elici poteſt.

Ibidem De Decijs Gracchis noſtris,) GRECEIS ferè eſt in antiquiore noſtro: & ſanè ita legendum puto. Greceius au-tem unus ex interfectoribus Cæſaris, de quo antea meminit, Greceius ad me ſcripſit C. Caßium ſibi ſcripſiſſe homines comparari &c. Pro DECIIS autem (quod corruptum omnino eſt, Decimus enim prænomen Caßij fuit, Decij au-tem, nobilis & illuſtris familiæ nomẽ (D. tantum in anti-quo eſt, quod Decimo ſignificat, cum Decimis ut Greceis dicendum foret: duobus autem D D. opus fuerat (ut opinor) ſi Decimis interpretandum eſſet: ut alibi duo Q. Q. Quin-tos patrem ſcilicet filiúmque ſignificant. quamuis enim De-cimos, Greciósque appellet, ſingulares homines intelligit, ut multis locis loquitur. uidendum igitur accuratius, an alterum D. à librario relictum temerè fuerit, ſiue potius

cum

cum Decimis ſcriptum antè fuiſſet, librarius breuitati conſulens, D. imperitè ſcripſerit, putans ita quoque Decimis ſignificari.

Sed poſſum id negligere proficiſcens.) Veteres codices PROFICIENS *habent, quam lectionem ueram eſſe arbitramur. Suprà oſtendimus metuiſſe Ciceronem ne fruſtra illis conſilia daret, quæ ipſi non eſſent audituri: quod etiam nunc ueretur: cur igitur rem quæ ſibi periculum importaret aggrederetur, cum nihil ſe profecturum crederet?* Ibidem

Matrem ſpectare dicere.) Dici non poteſt quàm eſſent *hac parte inquinati impreßi codices: in ueteribus ſincera adhuc, & integra lectio permanſerat, quam in noſtrum exemplar traduximus.* In *epiſtola quadam ad Q. Fratrem eandem ſententiam Græcis uerbis pronunciat, Sed minatur tamen, in primíſque* ἄρη πνέων *Qu. Scæuola. Sumptus eſt autem ex Homeri poëſi modus hic dicendi, ubi Fremere, & toto pectore uim bellicam effundere ſignificat. Verſiculus autem eſt alicuius poëtæ, quem dicit à Caßio pronunciatum, quo oſtendit illum contendere, & repudiare curationem frumenti: eum nos ad fidem antiquorum codicum reduximus. quod ſi integra ſententia non apparet, & aliquid intelligere opus eſt, non debet hoc mirum uideri: quæ enim tunc plana, & perſpicua erant cum ſcripta eorum poëtarum in manibus erant, & cotidie audiebantur, nunc iniuria temporum amißis illis, obſcura, & incerta ſunt. Appellat etiam infrà Cicero ex hoc uerſu curationem hanc frumenti, beneficium Antonij contumelioſum: de Bruto, Caßióque loquens, quos appellat Antiatas, quòd Antij tunc eſſent, ut antea etiam indicat, cum ſe Antium ad illos ueniſſe dicit.* 435

Nec tamen illum locum attingere quenquam, &c.) Hic 435

uitioſi ſunt omnes codices, niſi fallor: nam ueteres nihilo meliores inueni, ſed prorſus cum uulgatis cõcordantes. adeo autem perturbata eſt meo iudicio hæc lectio, ut deſperarim ex ea me ullam idoneam ſentẽtiam poſſe elicere, aut aliquo pacto maculas, quibus reſperſa, & fœdata eſt, eluere.

436 *Quæ ſi ſtetiſſet reſpub. bonis non ſumere, &c.)* Veteres *codices* BOVIS SI MEAM EVERSA, *&c.* Qui *in priſcis monimentis frequenter* B. *pro* V. *ſcriptum eſſe animaduerterit, non paruum aditum habebit ad huius loci caſtigationem, quod nos infinitis locis in hoc etiam epiſtolarum uolumine obſeruauimus, ut (ne longius exempla petamus) paulò ſuprà,* Ne antea quidem dubitabi. *Et nõ multò pòſt,* Dolabella me ſibi legabit. *Reliquis igitur literis parum diſcrepantibus ſententia, & ſtructura uerborum optimè congruente cõiecimus* NOVISSEM, EA ME, *&c. legendum eſſe: & ita ſcripſimus. hac autem conſtituta, & confirmata lectione, ſenſus eius ita planus, & facilis eſt, ut nulla amplius egeat declaratione.*

436 *Sed βλασφημίαν mittamus.)* Veteres codices diuerſo *genere eodem ſignificatu βλάσφημα habent. ſic autem appellat, quod contrahi mihi negotium uidetur, dixerat reprehendit autem ſeipſum quia quodammodo malum ſibi, reique pub. ominetur. Cum enim ſuprà propoſuiſſet ſibi iuris quinquennij licentiam, ſtatim ſeipſum correxerat, quòd tantum temporis ſpatium ſecuritatem ſibi promiſiſſet, cum res in anguſtum adduci uideretur, uicinúmque iam periculum, & infortunium eſſet.*

Ibidem Noſter uerò Brutus in Aſiam.) Antiquior noſter codex *καὶ μάλα σεμνὸς pro* BRVTVS *habet: ita rectè, & ordine ſcriptum, ut prima tantum eius uocalis in poſtrema uoce Græca deſideretur. Per pronomen autem* NOSTER,

Brutus

Brutus intelligitur: ſic enim eundem alibi appellat: ut non multò antea, Et noſter citò deiectus eſt de illo inani ſermone. licet eo quoque loco ab imperitis librarijs Bruti nomen additum foret: quæ declaratio potius eius pronominis erat, & in ſeriem uerborum Ciceronis incommode tranſlata fuerat. Carpit autem his Græcis uerbis, ut opinor, Brutum, qui æquiore animo iter illud ſuſciperet, nec cogitaret quàm ſibi inhoneſtum eſſet id negotiũ: inquit enim illum ita in Aſiam proficiſci, grauitatem præ ſe ferentem, quaſi ea res ipſi dignitatem adferret, ob eámque magis honorificè incederet. is enim σεμνὸς eſt, qui dignitate aliqua, & honore ornatus magnopere ob id ſibi placet. Sic de Cicerone loquitur Plutarchus cum ſumpto de coniuratis ſupplicio ab optimatibus comitatus, uiris pro foribus lumina faceſque figentibus, mulieribus autem ex tectis, quacunq; iter faceret, prælucentibus, domum ualde honeſtè, & maxima cum dignitate redijt. Verba eius hæc ſunt, τὰ δὲ φῶτα πολλὰ κατέλαμπε τοὺς στενωποὺς λαμπάδια καὶ δᾷδας ἱστώντων ἐπὶ ταῖς θύραις, αἱ δὲ γυναῖκες ἐκ τῶν τεγῶν προὔφαινον ἐπὶ τιμῇ καὶ θέᾳ τοῦ ἀνδρὸς ὑπὸ πομπῇ τῶν ἀρίστων μάλα σεμνῶς ἀνιόντος.

O negotia non ferenda, quæ feruntur tamen.) Poſt hæc uerba Græcæ quædam dictiones leguntur in priſcis exemplaribus: eas nos ut in antiquiore noſtro inuenimus, ſcripſimus, quamuis non certa ſit ſententia earum: nec Ciceroniſne ſint, an cuiuſpiam Poetæ, quod ueriſimilius uidetur, ualde conſtet. Germani & ipſi uidentur in uetuſto ſuo codice non diſsimiles characteras noſtris reppeiſſe, quos tamen aliter reddiderunt: nullum tamen etiam ex illis ſenſum huic loco ſatis accommodatum elicere potuimus: quare rectius uiſum eſt, quàm fieri poteſt maximè antiquam ſcri- Ibidem

pturam exprimere, & effingere, quod cum cura & diligentia à nobis factum eſt.

437 in princ. *Si præcipit noſtro noſtri, &c.*) *Locum hunc inquinatum, mendoſúmque eſſe, olim etiam eſt animaduerſum: ſiquidem in impreßis quibuſdam codicibus mendi nota ad eum adpoſita erat: eum nos in his quos uidimus manu ſcriptis libris ita etiam eſſe obſeruauimus: fuere autem nonnulli qui emendare eum adgreßi ſunt, neque hi uni neque uno pacto id tentarunt, quibus parum noſtro iudicio ſucceßit: nobis tutius uiſum eſt, poſtquam maculas quæ apparent, eluere poſſe deſperauimus, non committere ut magis illum contaminemus.*

437 *Sed quando illum diem tu tuendum putes.*) *Quis non uideat hunc locum uitioſum eſſe? cum nobis uiſi ſumus caſtigaſſe, ope quidem antiquorum codicum: nec tamẽ ſinceram illi lectionem retinebant, ſed eius non parua quædam ueſtigia: ſiquidẽ ita eſt in illis,* SED QVANDO ILLVM DIEM CVM TVENDAM PVTES: *legimus igitur,* CVM TV EDENDAM PVTES: *ut de oratione ea loquatur de qua lib.* XVI. *in eandem ſententiã ſic loquitur, Atque utinam eum diem uideam, cum iſta oratio ita liberè uagetur, ut etiam in Siccæ domum introeat. Videtur autem ſcripta fuiſſe in Antonium ex hoc poſteriore loco, ſi uerba quæ antè ea quæ citauimus ſcripta ſunt, accuratius conſideres. optat autem uenire tempus, quo tutò illa edi poßit: eo enim tempore periculum adportaſſet, ſi emanaſſet. Sed etiam hoc in libro non multò pòſt, Hæc cũ ſcriberem tantum quòd exiſtimabam ad te orationem eſſe perlatam: quàm timeo quid exiſtimes, etſi quid ad me? quæ non ſit foras proditura niſi repub. recuperata. de quo, quid ſperem non audeo ſcribere.*

Legationes

Legationes duas Brundiſium ueniſſe.) Legiones, legendum eſt: intelligit enim de legionibus quas Cæſar in Græciam præmiſerat, quibus bellum Parthis inferre parabat: hæ enim ibi aliquod tempus manſerunt: eò ad illas acceſſit Antonius, ut eas ſibi pecunia conciliaret, quarum etiam fortiſſimos centuriones iugulauit. De his ſæpius in his epiſtolis ſermo eſt, ut libro XVI. Brundiſium cogito: facilior enim & exploratior deuitatio legionum fore uidetur, quàm piratarum. Et eodem libro, Iter illud Brundiſium (de quo dubitabam) ſublatum uidetur: legiones enim aduentare dicuntur. BRVNDISIVM autem ſcripſimus, quia ita in multis antiquiſſimis codicibus ſcriptum obſeruauimus, ut in Tacito etiam illo, in quo conſeruati ſunt quinque primi libri eius hiſtoriæ, ex eóque exemplari in lucem editi: quod etiam Beroaldus ille iunior qui editioni illi præfuit probauit, cuſtodiuitque. βροντήσιον hanc urbem Græci uocant: quo modo etiam eam Scæuola appellauit de uerborum obligationibus, L. Qui Romæ. §. Callimachus mutuam pecuniam nauticam accepit à Sticho ſeruo Seij in prouincia Syria, ciuitate Beryto uſque ad Brenteſium. Sic enim in noſtris Pandectis ſcriptum eſt. Græcum igitur nomen magis quàm Latinum amauit Scæuola: nam ſemper hanc urbem in ea lege ſic appellauit. 437

Quanquam ſceleſte quidem egerit.) Veterem lectionem reſtituimus ſinceram, ut arbitramur: eſt autem ἀποσιώπησις: quaſi enim reprehendit ſe ipſum, quòd tam bene de Clodio ſentiat, ſicq; ſignificat aliquid ſubeſſe, de quo dubitandum ſit, quo animo fecerit. Nonnulli cum ἔλλειψιν eſſe uidiſſent figuram, familiarémque loquendi modum Ciceroni eſſe, non animaduertentes, quod deſiderari credebant, addiderunt, & ut parcius feciſſe uiderētur, uerba ipſa à ſe non Ibidem

 intellecta

intellecta ſubuerterunt. CLOELIVM *autem non* CLODIVM *habent antiqui codices,quod teſtari uoluimus. Sæpe autem accidit ut in nominibus proprijs ea uarietas ſit, ut quod ſequare neſcias,nec aliquo argumento hoc magis, quàm illud repudiare poßis.*

Ibidē in fine. *Sed Seliciam ueniſſe M.Scaptium &c.) Alij alijs modis corruperunt potius, quàm correxerunt hunc locum. Veteres codices* SELICIA *habent,quam ingenuam eſſe lectionem puto,ut ſit mulieris nomen,intelligatúrque,Dicebat. Confirmatur hoc ex uerbis,quæ paulò pòſt ſunt poſita:inquit enim,Interea narrat eadem Baßi ſeruum ueniſſe &c.ut de muliere prorſus ſermonem antea fuiſſe appareat. Intelligit autem Cæcilium illum Baſſum,qui exercitum in Syria comparauit,de quo nos antè ex Dione plura narrauimus.Cuius autem mater,uxórue eſſet Selicia hæc,nondum compertum habemus:neque enim eadem diligentia ſcriptores mulierum nomina,qua uirorum tradunt.*

438 *Nos hic* φιλοσοφῶμεθα*: quid enim aliud?) In ueteribus codicibus* φιλοσοφούμενα *legimus, ut participium ſit, non uerbum: quod à uerbo* EXPLICAMVS, *pendeat. In epiſtola ad Matium eadem uoce utitur, Cùm etiam (meminiſti) ut hæc* φιλοσοφούμενα *ſcriberem,tu me impuliſti.*

439 *Autoritate,& auxilio tuo tutam uelis eſſe.) Legimus* TECTAM. *Quàm ſæpe autem Tegere pro defendere,ac tueri uſurpet Cicero,nihil attinet exemplis docere,omnibus enim notum eſt.*

Ibidem *Acta eius commemorare ſine magno dolore non poſſum.) Primæ duæ dictiones in antiquis libris non ſunt,quare eas deleuimus. Intelligimus autem Ciceronem ſuperbiam ipſius reginæ(qua uſa eſt cum in hortis eſſet)ſe commemorare*

rare

rare non poſſe, ut uerba illa ab his ſuppleta inſulſe ſint, qui
ſtructuram horum merborum, interiectis quibuſdam κατὰ
παρένθεσιν, *longiorem inuenire non poterant.*

Quod ipſum perſpicaciam aliquam ſignificaret.) Legi= 441
mus προκοπὴν *ex antiquis codicibus: quod etiam Germa=*
ni adnotarunt. προκόπτειν *autem proficere eſt, & proce=*
dere in uirtute: ex quo προκοπὴ, *progreſſus: quo nomine*
ſæpe utitur Plutarchus in commentario cui titulus, πῶς ἄν-
τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος ἐπαρετῇ: *ut in initio ſta=*
tim, τὶς τῶν λογῶν ὦ σόσσιε συνεχείαν σώσει τὴν ἑαυτοῦ
βελτιουμένου πρὸς ἀρετὴν συναίσθησιν εἰ μηδεμίαν αἱ
προκοπαὶ ποιοῦσι τῆς ἀφροσύνης ἄνεσιν. *Idem iudicium fa-*
cit de Cicerone filio ex literis item ab eo ad ſe ſcriptis lib.
XIIII. *his uerbis, A Cicerone mihi literæ ſanè* πεπινω-
μέναι, *& bene longæ: cætera autem uel fingi poſſunt.* πῖ-
νος *literarum ſignificat doctiorem. nam cum doctiorem il=*
lum eſſe dicit, indicat eum προκοπὴν *in ſtudijs feciſſe.*
Quàm aptè autem Græca hæc uox hoc loco poſita ſit, dici
non poteſt: ut mirer illos qui Latinam eius loco inculcarunt
quæ etiam ſi à Cicerone uſurparetur, parum tamen ſenten=
tiam Ciceronis exprimeret. Nec defuere qui hunc locum:
ut planè mendo uacuum citarent. tantum incommodi pa=
riunt corrupta, & deprauata exemplaria.

Τοπογραφία *ripulæ.)* Antiqua exemplaria, ῥωπογρα- Ibidem
φία. ῥῶπεν, *dicũtur uirgulta ſtirpéſque. unde* ῥωπήϊα *etiam*
loca arboribus plena, & denſa ſylua. Homerus λ. χ, ἐλθό-
μεναι πεδίοιο διὰ ῥωπήϊα πυκνά. *Ripas autem flumi-*
num populis, uirgultiſque abundare notum eſt. ea autem ita
deſcripta erant ſeu natura, ſeu arte, ut non parum delecta=
rent ſperabat tamen Cicero eius delectationis, quæ ex ita
diſpoſitis plantarum ordinibus oriretur, fore celerem ſatie=

 tatem

tatem. Nos lectionem hanc doctam, & ualde accommodatam, integram à nobis repertam in uetuſtis codicibus cur repudiaremus, cauſam non habuimus.

Ibidem *Quid tu autem tamen* δ\ιδόμενα.) Pro TAMEN, τὰ μὲν *ſcribendum eſt: ſed utinam quàm facile fuit hoc corrigere, ita integrum prouerbium à nobis inuentum eſſet, ut quæ latet ſententia, erui poſſet. Morem hunc habuit Cicero deminuta & manca huiuſcemodi prouerbia adducendi: primas enim tantum dictiones profert: adeò tunc nota erant, & uulgata. quorum quædam nunc, tot autoribus uetuſtate amiſsis incognita ſunt, & incerta. Totidem eiuſdem uerba adducit lib.* VI. *cum inquit, Méque obiurgauit uetere prouerbio,* τὰ μὲν δ\ιδόμενα. *Sed quid ego uerear me hoc neſcire fateri? cum Eraſmus uir doctiſsimus, qui cunctos Latinæ & Græcæ linguæ autores, qui ſuperſunt, legit, ut prouerbia inde colligeret, ex quibus copioſa illa, & docta uolumina confecit, ingenue faſſus ſit ſe integrum prouerbium nullibi legiſſe.*

441 *Autoritate uel ui.) Mirificè nobis hic locus ſuſpectus eſt, cui noſtræ ſuſpicioni ſuffragatur antiqua ſcriptura, quamuis corrupta & lacera, ita tamen à uulgata diuerſa, ut non ſine cauſa exiſtimem ueterem tantopere ab illa diſſentire. Argumenta autem plurima ſunt quæ in nobis ſuadent: quæ omnia exponi non poſſunt: ab illis tamen qui diligenter animaduerterint, perſpicientur. Mendum autem in his tribus, quæ propoſuimus uerbis ineſſe puto, quod poſſe nos tollere deſperauimus. ſi ante illa perfectum punctum collocaretur, fortaſſe non peccaretur, ut uerbo* DETERREBIS, *ſuperior ſententia clauderetur. Amicus autem erat M. Antonio Atticus: eius igitur auxilio ſperabat Cicero poſſe L. fratrem deterreri: ne Buthrotijs moleſtus*

leſtus eſſet, quod faciebat. Erat autem L. Antonius VII. *uir agris diuidendis, quod ex Philippicis patet. Deinde incipit, ut opinor, de alia re agere, de nummis ſcilicet Arpinatium, de quo negotio non multò antè multis uerbis egit: uolebat autem eos L. Fadio ſi petiſſet, reddi præter eum nemini. Epiſtolam autem qua, quid de hac re geri uellet, expoſuerat: nondum dicit illum accepiſſe, ut quæ ſua de ea re uoluntas eſſet ſcire poſſet. In eandem autem ſententiam quædam uerba addit, in quibus* DEDERAS *erat, quod non habent manuſcripti codices, ideóque à nobis deletum eſt. Debere autem intelligi putamus (reddas) ut de nummis, quemadmodum ſuprà, ſermo ſit. Pro* AVTORITATE *autem antiqui codices* ANTRONI *habent, quod uerbum quàm peruerſum ſit, & inquinatum uides. receptam lectionem retinuimus, de qua, ut quiſque uolet exiſtimet: nos eam parum ſinceram iudicamus.*

Niſi explicato A. *nibil cogito.) Deſcripſimus hoc loco, ſeu potius depinximus ueteres codices. Siue autem* A, *ut in excuſis, ſiue* A, *ut in manu ſcriptis ſcriptum ſit fatemur nos ignorare quid ea nota ſignificetur. Non multò autem pòſt, cum eandem ſententiam iiſdem penè uerbis perſequeretur, Niſi explicata ſolutione, dixit. quid autem de hoc ſtatuendum ſit, alij doctiores uiderint.* Ibidem.

Vt eas uel in agro ſic audeam legere.) Veteres, IN AGRO ASI. *quare* ACROASI *legimus. Laudans filij literas inquit eas ita amanter, & grauiter ſcriptas eſſe, ut eas multis audientibus tanquam lectionem aliquam recitare audeat: nihil enim in illis quod non laudari debeat, uel quo audito non doctiores fiant qui auſcultarint. Quid* ἀκρόασις *ſit, notum eſt. Acroama dicebatur id, quod delectationis cauſa in conuiuijs pronunciabatur. Cicero* 442

actione V I. *in Verrem, Hic quaſi feſtiuum acroama, ne ſine corollario de conuiuio diſcederet, ibidem conuiuijs inſpectantibus emblemata auellenda curauit.* Item pro Archia *Themiſtoclem illum ſummum Athenis uirum dixiſſe aiunt, cum ex eo quæreretur quod acroama, aut cuius uocem libentißimè audiret, Eius à quo ſua uirtus optimè prædicaretur. Græci ab auſcultantibus nomen acroaſi impoſuerunt: Latini à legentibus eandem rem nominauerunt: unde* ἀκροαματικὰ *libri Ariſtotelis, qui ea continebant quæ legitimis tantum diſcipulis iiſque non rudibus expoſuiſſet: Latini auſcultatorios dixerunt. Libri item qui rerum naturalium principia declarant,* περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως *inſcripti ſunt Ciceronis ſenſus huius loci, ſimilis eſt illi, quem non multò antè de promißis Ammonij luculenter ſcriptus profert, Quæ quidem promiſſorum eius erant* φιλόλογα, *& dignitatis meæ, ut uel in concione dicere auderem. ut ferè idem (in concione) ualeat, quod hic (in acroaſi.)*

442 *Et in lacuna uigilarem.) Sic omnes fermè excuſi, à quibus etiam non diſſentiunt manuſcripti codices, maculoſi & ipſi (niſi fallor) hac parte. Aiunt Beroaldum (in lacu nauigarem) emendaſſe, ſuo ſenſu, ut arbitror, & coniectura ductum, quod mihi tamen ita placuit, ut eum ſecutus ſim, & ſic in meo ſcripſerim. uiſum tamen eſt de hoc lectorem admonere, ne putaret me ſic in ueteribus exemplaribus inueniſſe: nam quamuis hanc lectionem amem, non tamen ita illi confido ut facerem ſi in antiquis monimentis eam inueniſſem. Confirmatus præterea fui, ut caſtigationem hanc probam exiſtimarem, quòd lib.* X I I I I. *oſtendit ſe quiddam ad lacum poßidere: per quem fortaſſe, dum ad agrum illum uiſendum accederet, nauigabat. uerba eius hæc ſunt, Scribis enim eſſe rumores me ad lacum quod habeo uenditurum,*

rum, minuſculam uerò uillam utique Quinto traditurum, &c. Nihil certius, quod proferam habeo, & ſanè facilius poſſe puto infirmari, & conuinci uulgatam lectionem, quàm hanc probari, & conſtitui.

De mulis uecturæ itineris & meis.) Vereor ne hic locus corruptus ſit: antiquior certè noſter codex deprauatior: ſic eo ſcriptum eſt, DE MVLLIS VICTVRE ITINERIS ET IN EIS. quod teſtari uolui, lectorémque admonere, ut accuratè hunc locum animaduertat: quamuis enim recepta lectio integrior uideatur, non parum mihi tamen pluribus de cauſis ſuſpecta eſt. Nam magiſtratus cum in prouincias proficiſcebantur, mulos, tabernacula, multáque alia ornamenta ex publico ſolitos eſſe accipere teſtatur etiam Cicero lib. VII. in Verrem, cum inquit: Vbi quæſtores? Vbi legati? ubi ternis denarijs æſtimatum frumentum? ubi muli? ubi tabernacula? ubi tot tantaque ornamenta magiſtratibus? Suetonius quoque in Auguſto, Autor fuit ut Proconſulibus ad mulos & tabernacula, quæ publicè locari ſolebant, certa pecunia conſtitueretur. Ipſi autem poſtea (ut puto) cohorti ſuæ & comitibus ea tribuebant: quod ex hoc Ciceronis loco manifeſtò perſpicitur. Ibidem.

Eſt illud quidem.) Poſt has dictiones diu Græcum uerbum deſideratum eſt, quod Germani repoſuerunt: eſt etiam idem in noſtris manuſcriptis, quod eo teſtari uoluimus, ut omnes id libentius recipiant, poſtquam in cunctis antiquioribus exemplaribus inuenitur. 442

De mea domi eſt ut ſcribis.) Ea eſt in antiquiore noſtro ſcriptura, ut facilè aliquis exiſtimare poßit DE MENEDEMO legendum eſſe: accedentibus autem quibuſdam argumentis ita legi debere credidimus & ſcripſimus. Antea hoc ipſo in libro breuiter de hoc bis agit, ſemel his uerbis, 443

Eſ-

De Menedemo probe. Iterum his, De Menedemo uellem uerum fuiſſet. Quantum coniectura licet iudicare, intelligit Menedemum illum, de quo Antonius in epiſtola ad Hirtium, & Cæſarem, quæ in XIII. Philippica incluſa eſt, his uerbis agit, Securi percuſſos Petum, & Menedemum: ciuitate donatos, & hoſpites Cæſaris, laudaſtis.

Ibidem Quis enim hæc, ut ſcribis, anteno nunc dubitare &c.) Vitium omnino eſſe puto in his uerbis, quod tamen unius literæ mutatione tolli poſſe arbitratus ſum, ut pro, ANTENO, (ante ne nunc, &c.) ſcripſerim. Vbi autem (Nicεæ) ſcriptum erat, NICIÆ caſtigaui, ſuffragantibus antiquis exemplaribus. Intelligit autem Curtium Niciam nobilem grammaticum, de quo libro XII. pluribus egit: erat enim is familiaris Dolabellæ, ut etiam ex epiſtola Ciceronis ad Dolabellam cognoſcitur, in qua ſic cum illo iocatur, Nihil enim Romæ geritur, quod te putem ſcire curare, niſi forte ſcire uis me inter Niciam noſtrum, & Vidium iudicem eſſe. Profert autem (opinor) duobus uerſiculis ex penſum Niciæ: alter Ariſtarchus hoc ὀβελίζει &c. Huius etiam inter grammaticos uitam ſcribit Suetonius Tranquillus, ſeu quicunque fuit qui libellum illum conſcripſit. Ducebat autem ſecum, uel potius præmiſerat in prouinciam Niciam hunc Dolabella. Senſum igitur horum uerborum hunc eſſe puto, ut cum Dollabellæ legatus Cicero proficiſceretur (legati autem cum mandatis mittebantur) dicat, Mandata Dolabellæ ſint quælibet: quod ſi nihil aliud habet quod mihi mandet, aliquid ſaltem quod Niciæ noſtro nunciem. quis enim antè nullius etiam conſilij homo dubitaſſet, quin meus diſceſſus deſperationis eſſet, non legationis, ne nunc dubitare poßit aliquis prudens? nullam enim ob cauſam me legationem hanc ſuſcepiſſ

ſcepiſſe quis non uideat? niſi ut hæc pericula uitarem cum Reipub. nullam opem ferre poßim, de qua deſperaui. Quàm corruptus eſſet antea hic locus, quiuis perſpicere poteſt: quàm facile autem ſic purgetur, omnibus nunc arbitror manifeſtum eſſe.

Veſtram de re cauſam deliberationis probo.) Ante hæc uerba, Græca uox deſiderabatur, quam Germani reſtituerant: eam nos emendationem noſtrorum codicum autoritate confirmari teſtamur. Aliud tamen quod Germani præterierunt, ex iiſdem exemplaribus hauſimus, quod in noſtrum librum contulimus: intelligimus autem Ciceronem probare ἐποχὴν deliberationis de re Cani: ut fortaſſe de eodem negotio agatur de quo libro XIII. duobus locis loquitur, ſed id tamen non adfirmamus: quippe cum ea quæ hoc nomine ſignificantur, fateamur nos ignorare. quod autem ita ſcripſimus, dedimus id uetuſtorum librorum fidei, & probitati: nam uulgatam lectionem nec probamus, nec ſinceram eſſe credere poſſumus. Alterum præterea uerbum Græcum, quod excuſi codices non habebant, à Germaniſque primis in ſua ſede repoſitum erat, ipſi quoque illic manere uoluimus: nam noſtri etiam codices eam propriam illi ſedem eſſe teſtificantur. Superiore uerbo Academici retentionem aſſenſionis ſignificabant: hic autem retentionem ſimpliciter ſignificat: ex ea diſciplina ad hoc negotium tranſlatum à Cicerone. Poſteriore aduerbio puriter, ſine culpa detrimentóque ſignificatur. 444

Hic autem noſter Citherius.) Niſi uitium ſit in hoc nomine (nam antiquior noſter CICHERIVS habet) poſtea ita Antonium appellare à Citheride mima, quam amauit: erat autem hæc P. Volumnij liberta à Cornelio etiam Gallo infeliciter amata: ſiquidem illo relicto, Antonium in 445

Galliam

Galliam ſecuta eſt: hanc Lycorim Virgilius nominat. Antonium autem putamus intelligi: nam alibi eandem illius ſententiam eſſe de bello narrat, cum inquit, Media enim tollit Antonius. Hoc nomen in quandam etiam M. Bruti epiſtola eſt ad Ciceronem, Græcam epiſtolam tibi miſi Citheri cuiuſdam ad Satrium. etſi eo quoque loco, manu ſcripti habent CICHERIVS, quod non mediocriter me perturbat, ibi enim de Antonio non poteſt ſermo eſſe: ut aliam fortaſſe originem hoc nomen habeat. de hoc autem accuratius uidendum eſt.

Ibidem Tabellarius quem ad eum miſeram &c.) Ex ueteribus exemplaribus AD BRVTVM ſcripſimus: quod mihi argumentum eſt: eſſe hanc aliam à ſuperiore epiſtolam: ſi enim eadem ſit, AD EVM potius dixiſſet, cum paulò antè Bruti nomen poſitum eſſet. Præterea de eodem negotio bis in eandem prorſus ſententiam mutatis tantum uerbis non egiſſet. nam id nulla utilitate facere importunum eſſet. ſuprà enim inquit, Silium expectabam cui ὑπόμνημα compoſitum. Infrà uerò paulò pòſt, Silius ad me non uenerat, cauſam compoſui. Aliud etiam eſt quod hoc loco ualde conſiderandum puto: ubi BRVTVM HIS PROFECTVM, ſcriptum eſt: in quo mendum eſſe prorſus credimus: omnes tamen & noui, & ueteres codices inter ſe concordant, quare nihil mutare auſi ſumus. Ne tamen hoc ſilentio prætereamus, arbitramur non inepte BAIS PROFECTVM poſſe legi. nam tanta eſt harum uocum ſimilitudo, ut non temere credi poßit in hoc librarium peccaſſe. Accedit huic ſuſpicioni, quòd circa hæc loca Brutus eo tempore morabatur. Non multum præterea ab antiquis ueſtigijs diſcederes, ſi CVMIS PROFECTVM legeres: in re enim incerta, & ubi leuibus tantum

quib

quibuſdam coniecturis certari poteſt, nihil uehementer adfirmamus, ne dum nimium pertinaces in noſtra opinione tuenda eſſe uelimus.

Et tu etiam ſcire quo die olympia.) *Locus hic ut puto mendoſus eſt: tota etiā extrema pars huius libri crebris maculis confecta eſt. contra ueterum codicum fidem, in tantis tenebris, nihil mutare auſi ſumus. Vbi autem paulò pòſt* DVBITEMVS IGITVR, *ſcriptum eſt: antiquiores codices* DVBITEM, HIS IGITVR *habent. nam quod* ENIM ἀρχαϊκῶς *hic legimus, ab illis accepimus, rarum id quidem apud hos autores, ſepe tamen ab* Aelio Donato *in* Terentio *obſeruatum. hic autem periculum eſt, ne ita mendoſe ſcriptum ſit, cum in coniunctis uerbis uitium eſſe appareat: alijs autem locis ita poſitum eſſe in his epiſtolis animaduertimus. de his rebus noſtram fidem in nullam partem aſtringimus: quæ tantùm in melioribus libris obſeruauimus, cum fide exponimus.* 446

An fidem infirmet Silio mandibili.) *Obſcuriſsimus, & ut arbitror, deprauatiſsimus locus. nos ex uetere codice hūc locum deſcripſimus. cur enim in tantis tenebris non potius certum, & optimum ducem ſequamur, quàm malum, & crebro in aliquo offendētem? nihil autem aliud habemus, quod nobis hanc potius quàm illam probam eſſe lectionem fidem faciat, præter antiquorum codicum teſtimoniū: quibus item autoribus pro* ψευδογράφως, ψευδεγγράφῳ S. C. *ſcripſimus, quod ſincerum, & rectum eſſe putamus. id etiam* Germani *adnotarunt, quo certius id habeatur.* 446

In quibus unum alienum ſumma tua prudentia, &c.) Ibidem
SVA *habent manu ſcripti codices, id eſt* Bruti, *qui literas eas ſcripſerat, quibus petierat à* Cicerone *ut ludos ſuos ſpectaret: quod* Cicero *puerile eſſe dicit, indignúmque ſua in*

aliis rebus prudentia. Plutarchus etiam in Bruto de magnificentia ludorum ipſius agens narrat illum ad Ciceronem ſcripſiſſe, ut ludis ſuis omnino intereſſet. uerba eius hæc ſunt, ἔγραφε καὶ κικέρωνι πάντως παρατυχεῖν ταῖς θέαις.

447 *M. AElium cura libera uis me pauca ſpe &c.) Locus hic inquinatiſſimus erat: ipſi ope meliorum codicum non paruas eius ſordes eluimus: nam totum nos purgaſſe, nõ audeo dicere. Specus etiam genere maſculino dici oſtẽdit* Non. *Marcellus exemplo* Varronis *rerum diuinarum lib.* IIII. *&* Ennij Lytris, *his uerbis*, Inferum uaſtos ſpecus. *nã Specus etiam illos appellari, quibus aqua deducitur, notum eſt. Cæſar in commentario de bello Alexandrino, Alexandria eſt ferè tota ſuffoſa, ſpecúſque habet ad Nilum pertinentes, quibus aqua in priuatas domos inducitur, quæ paulatim ſpatio temporis liqueſcit, ac ſubſidet. Nonnihil mendi mihi reſtare uidetur in his uerbis,* APVD TALE QVID HABITVROS: *quod delere nulla ratione potuimus: nihilo autem hac parte meliores, aut integriores uetuſtos libros inuenimus.*

Ibidem *Octauam partem tuli luminarium &c.) Locus hic magnopere corruptus eſt: ad eum igitur, ut deſperatum, mendi notam adpoſuimus: ueterem autem lectionem licet deformatam, & mancam cum fide in noſtrum librum contulimus, ſperantes ex ea, ut minus contaminata, facilius poſſe maculas deleri. Audiui quoſdam* TVLLIANARVM AEDIVM *legere, coniectura potius ductos ut arbitror, quàm certiore aliquo argumento, ut ita emendarent. Nullius nos induſtriam & ſolertiam damnamus: non tamen nobis tutum uiſum eſt, niſi ſententiam ſuam illi rationibus & argumentis comprobarint, ita ſcribere. quia tamen ea*

caſtig

caſtigatio neſcio quid boni in ſe habere uidebatur, nec ab antiqua ſcriptura prorſus aliena erat, eo uoluimus illã notam facere, autore ipſius, cum nobis etiam ignotus ſit, non prolato.

Memineris excuſare tarditatem mearum literarum & modum iſtum.) Ibidem *Antiqui codices copulam non habent: præterea pro* MODVM ISTVM, MVNDVS ISTVM *legunt, ut nos quoque ſcripſimus: non quia eam lectionem ſinceram eſſe ſciamus, ſed ut in malis) cum uetuſtis potius codicibus errare uolentes: nam excuſos omnes contaminatos, corruptóſque eſſe exiſtimandum eſt. In extremo tamen huius uoluminis, De mundo ſiquid ſcies, inquiens, uidetur nonnihil, quod hanc lectionem adiuuet, innuere: obſcurum tamen adeo eſt hoc negotium, ut nihil de illo proferre poſſimus.*

Excudam aliquid ἡρακλείδειον *quod lateat in theſauris* 448 *tuis) Qui hic aliquid* πάνυ φιλοστόργως *legunt, non mediocriter meo iudicio peccant: duxerunt autem has uoces (ut arbitror) è ſuperiore loco, ubi aptè, & accommodatè collocatæ ſunt, huc tamen importune & peruerſe connectæ. In antiquis certè codicibus,* ἡρακλείδειον *ſcriptum eſt, quod etiam teſtati ſunt Germani, quos non latuit uera lectio: quamuis illi non tantum tribuerint, quantum oportebat: nam uulgatam etiam lectionem non ſua ſede manere paßi ſunt, contenti ueterem lectionem indicaſſe. Vtitur ſequenti libro ter hoc nomine, cum ſemper idem (niſi fallor) ſignificare uelit.* ἡρακλείδειον *enim eum appellare credimus egregium aliquod* σύνταγμα, *& librum uel à ſe, uel ab alio ſcriptum, ab Heraclide Pontico deducto nomine. Vt etiam in his epiſtolis* ἀρχιμήδειον πρόβλημα, *uocat acutum, & ſubtile, qualia erant Archimedis Syracuſani problemata.*

multos enim, elegantiſsimóſque ſermones ſcripſiſſe hunc Laërtius tradit in eius uita: in ijs nō pauca de uita, & moribus. Magnum etiam huius nomen apud Latinos autores fuiſſe notum eſt, nam illum imitatum eſſe quandoque Ciceronem eo etiam loco declaratur, qui eſt in epiſtola ad Q. Fratrem, Præſertim cum non ſim Heraclides Ponticus, ſed conſularis. Sæpe etiā in M. Varronis locis à Nonio Marcello citatis fit huius mentio: ut Varronem quoque hunc accuratè legiſſe, & imitatum eſſe conijci poßit: ut non ſine cauſa etiam Cicero librum Varronis, quem expectabat, ἡρακλείδιον appellet: cum narrat, ſe illum ab eo nondum auferre potuiſſe.

Ibidem De Planco Memio Attica iure queritur.) *Ex ueteribus codicibus legimus, De Planco memini. intelligit, ni fallor, de negotio Buthrotio, quod commendauit per literas L. Planco, quæ in fine XVI. uoluminis poſitæ ſunt: illi enim negotio is præfectus à Cæſare dictatore erat, ut Atticus fortaſſe admonuerit Ciceronem, ut ad eum ſcriberet: ualde enim ea cauſa Attico cordi erat. quare plurimis locis de ea agi minimè mirum uideri debet. Laborauit autem uehementer Cicero pro Buthrotijs, ut Attico rem gratam faceret, quem ſciebat ſalutis eorum ſtudioſiſsimum eſſe. Præter antiquorum codicum autoritatem non parum hanc lectionem confirmat, quòd non multò pòſt inquit, Et de Herode, & Metio meminero, & de omnibus quæ te uelle ſuſpicor. Declarat enim ſe antè pollicitum eſſe fore ut de aliquo negotio meminerit. Erant autem non parum hæc quæ citauimus, uerba peruerſa in uulgatis libris: De Erote enim in illis erat: nos autem de Herode ſcripſimus, cuius ſæpe mentionem facit, ut lib. XIIII. Herodi autem mandaram ut mihi κατ' μίτον ſcriberet. Plutarchus item in Cicerone narrat*

narrat ad hūc Græcas eſſe Epiſtolas *Ciceronis.uerba ipſius adſcripſimus*, ἐπιστολαὶ αἱ αὐτοῦ τοῦ κικέρωνος· εἰσὶ πρὸς ἡρώδην. *Sequenti itē libro iterum pro* Herode, Erote *mendoſe ſcriptū erat,quod nos correximus,*De Herode *factum ut mandas.*

Et ei tamen confirmes me minimè totum amorem,&c.) Ibidem
Antiqua ſcriptura hoc loco ualde conturbata eſt,ut nihil ferè ex illa boni erui poßit:quod potuimus fecimus:reliqua, ut erant, à nobis conſeruata.receptæ lectioni non ualde confido.

De Tulliano *ſemiſſe maximam adhibebis.)* Nos *ueterem* Ibidem
lectionem reſtituimus,exiſtimamúſque Maxianam *mulieris nomen eſſe,quam Cicero Atticum iubet de eo negotio cum agit,in conſilium adhibere,& cum ea quid gerendum ſit,conferre.* Plenum *eſt* Adhibere *in conſilium,quomodo multis locis loquitur.* Adhibere *etiam aliquem,alibi uſurpatum ab eo eſt.*

Ait hic mihi Iuliam *non uelle amplius ferre:)* Iam *ſuprà* 449
teſtati ſumus poſtremam huius libri partem multis mendis deformatam eſſe. Hunc *locum ualde in antiquis exemplaribus diuerſum inuenimus:quorum autoritatem in re ancipiti,& dubia libenter ſequimur: nam eam etiam lectionem non penitus certam eſſe animaduertimus.quò tamen potius in tantis tenebris me conuertam non habeo.* Nonnulli *qui manuſcriptos quoſpiam libros uidentur habuiſſe,ita corrigunt,* AIT HIC HVNC VIX IVLIAM FERRE: *nam & illi tria ſimul poſita uerba omittunt, quod nos quoque fecimus.* In *prima parte diſſentiunt à noſtris melioribus libris,à quibus nos ne tantulum quidem hoc loco declinauimus.* Qui *noſtram igitur lectionem uidet,is ſe antiqua exemplaria ante oculos poſita habere pu-*

tet, & de ea, ut de ueter. ſcriptura conſtituat.

EX LIBRO XVI. EPI-STOLARVM AD ATTICVM.

449 *Itáne nobis Iulijs.)Sic excuſi fermè omnes.Ipſi* NO-NIS IVLIIS *emendauimus. Item non multò pòſt, Quicquámne turpius, quàm* Bruto.Iul.id *eſt Iulijs:ubi antè(nil)unius literæ peruerſione legebatur:ſic enim in antiquis libris ſcriptum eſt. Eſt ſanè obſcurum initium huius epiſtolæ & fortaſſe inquinatum:ſi tamen hæc lectio ſincera eſt,ut nos putamus,hic ſenſus ex ea elici poteſt,ut Cicero* Atticum *reprehẽdat,quòd(*Nonis *Iulijs)ad* Brutum *ſcribens dixerit,quaſi honores Cæſari ob timorem à ſenatu decretos confirmaret, cum(Quintilibus)dicere debuerit: ea enim quæ per uim,& factionem uoluerat ſibi decerni,irrita eſſe debebant illo interfecto.* Hoc *ipſo in libro eandem hanc rem:niſi fallor,tangit cum inquit,Quintus enim altero die ſe aiebat in* Neſida VIII. *Idib. ibi Brutus.quàm ille doluit de* Nonis *Iulijs? mirificè eſt conturbatus.Præcipuè autem ita menſem illum appellans,*Brutum,*reliquóſque lædebat:qui ſi honores Cæſari decreti,ut clariſſimo ciui,& optimè de repub.merito manerent,ſiccarij,parricidæq́; iudicarentur neceſſe erat.Legimus tamen apud* Dionem,*nullo* S.C. *ſancitum eſſe ut menſi huic priſcum nomen redderetur : multóſque ita eum appellare non dubitaſſe timore multitudinis,ne magis exaſperaretur:uerba eius adpoſuimus,* ἐπεὶ δ' ἤτε οὔτε τοῦτο τὶς φόβῳ τοῦ ὁμίλου ἐκώλυσε οὕτω δὴ καὶ ἄλλα τινὰ τῶν ἐς τὴν τοῦ καίσαρος τιμὴν προσδεδογμένων ἐγένετο τόν τε γὰρ μῆνα τόν ἰούλιον ὁμοίως ἐκάλεσαν καὶ ἱερομηνίαις τισὶ ἐπινικίοις ἡμέραν ἰδίαν

ἐπὶ

ἐπὶ τῆς ὀνόματι αὐτοῦ ἐξευθύνησαν. Quod autem Brutus in Neſide Campaniæ hoc tempore manebat teſtatur Cicero hoc ipſo in libro ſæpius: & in x. Philippica ſic inquiens de Bruto, At hunc his ipſis ludorum diebus uidebam in inſula clariſsimi adoleſcentis Luculli propinqui ſui nihil niſi de pace, & concordia ciuium cogitantem. Quo enim uniuerſæ nomine uocantur, inſulam ibi appellat, quam hic ſuo ipſius inſulæ, & proprio nomine Neſida appellat, à Græca uoce νῆσος, ὑποκοριστικῶς propter inſulæ paruitatem deducta nominatione. Quod etiam in ueruſtis omnibus exemplaribus in principio huius epiſtolæ diuerſum eſt, quamuis corruptum exiſtimem, libet teſtari: FLENS enim pro IENS in illis ſcriptum eſt. hoc autem participium & is etiam modus dicendi apud hunc autorem alibi eſt: ut lib. III. harum epiſtolarum, Ante diem IIII. Calend. Mai iens in Pompeianum bene mane hæc ſcripſi, ut uix iam dubitari poſsit quin ita legendum ſit.

Redeo ad meum igitur ἔλθωμεν:) In Græca dictione exiſtimo mendum eſſe: nam & in priſcis exemplaribus diuerſi characteres ab his ſunt, & ex hac lectione nullum ſatis idoneum, & commodum ſenſum elicio: nec tamen potui unquam ex uetere ſcriptura aliquid quod probarem eruere. Eam igitur proponam, ut omnes ingenij ſui neruos in hoc loco corrigendo intendere poſsint: eſt autem hæc, nam in Latinis uocibus nihil diuerſum eſt, ΕΤΕΩΜΕΝ. quàm potuimus maxima cura & diligentia antiquas notas expreſsimus, & effinximus. Ibidē in fine, & in princ. ſeq.

450 Diemachos ag o pulſos &c.) Locum hunc ueterum codicum auxilio uidemur nobis correxiſſe. Dyme urbs eſt Achaiæ, cuius ciues Dymæi appellantur: in ea Pompeius

conſtituit maiorem partem, quos uicerat, piratarum, ibique habitare iuſsit: penè enim incolis ſpoliata erat, multúmque, & fertilem agrum habebat. Tradit hoc Plutarchus in Pompeio his uerbis, τοῖς δὲ πολλοῖς οἰκητήριον δέδωκε Δύμην τὴν ἀχαΐδα χηρεύουσαν ἀνδρῶν τότε γῆν δὲ πολλὴν καὶ ἀγαθὴν ἔχουσαν. Hic igitur, cum ipſis ager ereptus eſſet, denuò piraticam exercere cœperunt: quod ueriſimile erat eos facturos, poſtquam eo, quem colebant agro pulſi eſſent, ad antiquam ut artem, uitámque redirent. Notandum autem eſt quomodo clauſulam hanc Cicero in hunc locum inculcarit, antequam ſuperiorem ſententiam expleſſet: quod enim infertur, Videndum eſt ut manſio laudetur, cum ſuperiore ſententia connexum eſt, & illam perficit. non tamen ſeriem horum uerborum immutandam cenſeo: arbitror enim cum MEAM PROFECTIONEM LAVDARI GAVDEO dixit, nondum ipſi in mentem ueniſſe, quod poſtea ſuccurrit, addere, & ob id ad aliam rem tranſiſſe. qua expoſita tum demum cogitaſſe illud ſuperiori ſententiæ adfigere: quod in epiſtolis non mirum uideri debet.

Ibidem Ενωμοτία Bruti uidetur &c.) Ita in cunctis impreſſis legitur deprauate. antiqui libri multo integriores, in quibus penè incorrupte ἐν ὁμοπλοΐᾳ ſcriptum eſt: nam ita legendum eſſe, nemo (niſi fallor) negabit: ſententia enim optime quadrat: & hac ipſa uoce non ſemel hoc in libro utitur cum de hoc ipſo negotio Cicero agit, ut cum inquit, Hæc autem nauigatio habet quaſdam ſuſpiciones periculi: itaque conſtituebam uti ὁμοπλοίᾳ. paratiorem offendi Brutum, quàm audiebam. Et non multò pòſt, Bruto cum ſæpe inieciſſem de ὁμοπλοιᾳ, non perinde accipere uiſus eſt atque ego putaram. Qui autem unà nauigant, ut facilius

lius ſe à piratis tueantur, ſaluóſque præſtent, hi ὁμοπλοίαν facere dicuntur. Noſtri temporis nautæ Conſeruam facere appellant, quia illi, qui ita nauigant, mutuam ſe ſalutem procurare promittant, fidémque dent, ſe pro his, ſi oportuerit, pugnaturos, eadémque, quæ ſocij pericula ſubierint, ipſi quoque ſubire non recuſaturos. Quia autem Brutus claßis nonnihil habebat, ideo Cicero cum eo in Græciam nauigare cupiebat, ut tutius, quò uolebat perueniret.

Ob ius enim recenſes multa, &c.) Nemo non confeſſus **Ibidem.** *eſt hunc locum deprauatum eſſe: alij autem alijs modis corrigere tentarunt. Nobis rectius uiſum eſt ueterem ſcripturam deſcribere, notámque quæ mendum indicet, adponere. nihil enim nobis in mentem uenit, quo poßimus maculas has eluere: & quæ ab alijs adhuc excogitata ſunt, uiolenta nobis, & inania uidentur.*

Sed Xenonem perexigue & καλακερματίζων præbere.) **Ibidem.** *Spatium longo tempore hic inane manſit, Græca enim dictio deſiderabatur: nonnulli καλακερματίζον repoſuerunt, non conſultis antiquis exemplaribus quæ eius dictionis ne umbram quidem habent. Germani primi rectè, & noſtris manu ſcriptis conuenienter γλίσχρως reſtituerunt: nullo enim magis proprio, & apto uerbo uti poterat ut Xenonis puſillum, & ſordidum animum exprimeret, qui nimis parcè, & illiberaliter præbebat, quæ Ciceroni filio attribuere debebat. Quin & nos uocem habemus noſtro in ſermone à Græca hac, ut arbitror, deductam, paulum tamen immutatam, qua ſordidum, & puſilli animi hominem appellamus, aduerbiúmque ab ea formatum, quod in ſignificatu huic mirificè reſpondet.*

Loco quidem meo ſi tibi uidebitur poteris.) Quàm de- **451** *prauatus, inquinatúſque multis fœdis maculis hic locus*

G 5 *eſſet,*

eſſet, dici uix poteſt. Qui cunctos hactenus impreſſos libros in manus capient, facile id perſpicient: cum tamen ope melioris, & antiquioris noſtri codicis nobis purgaſſe, & reſtituiſſe uidentur, ita claro, & manifeſto ſenſu, ut nulla ferè confirmatione indigeat. ueterem autem ſcripturam hic ponere uiſum eſt, ne aliquis à nobis hanc fictam, aut nimis extortam putet, eſt autem hæc, LOCI QVO MEO SI TIBI VIDEBITVR POTERIS, EVM, *&c. Reliqua enim nullam ullius induſtriam deſiderabant, cum integra, & optime ſcripta in eo eſſent: quamuis in uulgatis corruptiſsima. nos prima duo uerba, quæ peruerſionis aliquantum habebant ita parce caſtigauimus,* LOQVI CVM EO, *&c. Quàm ſæpe obſeruauerimus in hoc codice, & in Medicco illo etiam C. pro Qu. ſcriptum eſſe, aut alibi teſtati ſumus, aut nihil attinet dicere: eſt enim id crebrum & uſitatum. unum tantum locum adducemus ex fine antecedentis libri, ubi* COAD *pro (quoad) ſcriptum eſt eodem modo quo hic* LOCI *pro loqui) Quouſque inquies? coad erit integrum: erit uſque dum ad nauem. Sed quum idem hoc uerbum eodem pacto ſcriptum eſſe lib.* XVI. *nobis nunc in mentem ueniat, cur non id quoque exemplum adponamus, quo clarius ſit quod dicimus? ſermo eſt de Octauiano, Atque à me poſtulat primo ut clàm conloquatur mecum, uel Capuæ. (Quom) autem pro (cum) ferè ſemper ſcriptum in antiquis eſt: ſed potius (cùm) temporis aduerbium eſt quàm (cum) præpoſitio, ut hoc in loco.*

451 *Sed in laudando conſumere) Germani (ut plaudendo) legunt. Nos tamen receptam lectionem ſecuti ſumus, ſic enim in cunctis, quos uidimus manu ſcriptis legimus. Repræſentare improbitatem, μεταφορικῶς dictum: nam proprie*

prie ſignificat præſentem pecuniam ſoluere: ut Cicero ſæpe utitur in his epiſtolis: quamuis etiam tranſlatio huius uerbi ad alias res frequens ſit, & apud hunc & alios optimos quoſque autores: ut Cæſarem commentario primo de bello Gallico, Itaque, ſe quod in longiorem diem conlaturus fuiſſet, repræſentaturum, & proxima nocte de quarta uigilia caſtra moturum. Verba autem illa quæ paulò pòſt leguntur, Dummodo doleant aliquid, doleant quidlibet, Afranij comici ſunt, parum immutata. Eundem uerſum ſæpe adducit Cicero, ut lib. IIII. Tuſculanarum, Ex quo illud eſt è uita ductum ab Afranio: nam cum diſſolutus filius, Heu me miſerum, dixiſſet: tum ſeuerus pater, Dummodo doleat aliquid, doleat quodlibet. Nec multò pòſt eundem uerſum repetit.

Sed quoniam furore illo extrudimur.) Quàm inquinatus 452
eſſet hic locus omnes perſpicere poſſunt: ea autem eſt in antiquioribus lectio, ut ſi, quod ſæpe obſeruauimus, in mentem tibi reducas E ſcilicet in F mutatum eſſe poſſe, maculas penè omnes deleueris, & locum ut arbitror reſtitueris. Quia animaduertimus crebro in hoc ab eo qui noſtrum antiquiorem librum deſcripſit, peccatum eſſe, ideo hic etiam uitium illum feciſſe exiſtimauimus, idque correximus: nanque cum in uilla manſiſſe intelligitur etiam ex his uerbis quæ aliquanto pòſt leguntur, At mihi cum ad uillam rediſſem, Cn. Lucceius, qui multum utitur Bruto, &c. Narrat autem ſe quoniam cum nauibus in ſtatione ad uillam in qua erat manere non poterat, Euro illi moleſto, Brundiſium in tutiorem portum uelle proficiſci: nam illinc etiam nauigationem in Græciam expeditiorem, & ſine periculo fore, quamuis legiones, quæ illic erant, nonnihil timoris adferrent. infero autem

mari

mari piratis obſidentibus, ſine claßis præſidio non tutum eſſe, nauigare. Putamus autem intelligere uillam P. Valerij, de qua ſic in Prima Philippica, *Cum autem me ex Sicilia ad Leucopteram, quod eſt agri Rhegini promontorium, uenti detuliſſent: ab eo loco conſcendi, ut tranſmitterem: nec ita multũ prouectus, reiectus Auſtro ſum in eum ipſum locum unde conſcenderam: cúmque intempeſta nox eſſet, manſiſſémque in uilla P. Valerij comitis, & familiaris mei, poſtridiéque apud eundem, uentum expectans manerem, &c.* his autem ipſis penè uerbis hoc in libro utitur cum eandem rem exponeret.

452 in fine. *Quod uerò ſine munuſculo ſcribis, &c.)* Credimus SINE MVNVSCVLO abundare, & ex inferiore loco huc importune tranſlatas ambas has dictiones: in quo etiam concordes Germanicos libros habemus: ut etiam in eo quòd O TITE pro OTIO ſcripſimus. nec tamen adhuc mihi penitus purgata recepta lectio uidetur: uereor autem ne diminuta, & manca ſit, quod corrigere non poſſumus. Vnum tamen præterea uolumus diligentem lectorem admonere, in noſtro illo probatiore codice uocem hanc, ADDIS, non legi, quod perturbatiorem adhuc intellectum facit, & niſi hoc culpa librarij acciderit, magis mutilum eſſe hunc locum arguit: hoc tamen non recepimus, contenti id admonuiſſe.

453 *Quanquam te nihil feſelliſſet: ueruntamen expecto, etcætera)* Veteres codices SED EXPECTO, habent, quam lectionem probauimus, ut VERVNTAMEN, eo quo ſuprà ſignificatu ſæpe à Cicerone accipi docuimus, hic etiam ſumptum ſit. oſtendimus autem id lib. XIIII. in eo loco, *Scis quàm diligam Siculos. & quàm illam clientelam honeſtam iudicem: multa illis Cæſar, neque me inuito,*

etſi

etſi Latinitas erat non ferenda: ueruntamen. Ecce autem Antonius, &c. Hic autem cum ſe gaudere dixiſſet illi ſuas literas antè à tabellario redditas, quàm à Quinto F. (illæ enim Atticum admonebant, ne crederet literis ſuis, quas Qu. puer ad eum allaturus erat, eas enim ſe arbitratu illius patriſque ſcripſiſſe: nec magnopere illis quæ pollicebatur puer, fidem habere) tantum tamen ſe dicit confidere prudentiæ Attici, ut ſi priores etiam illæ perueniſſent, non tamen id aliquid incommodi allaturum fuerit. quod pulchre ipſe animaduerſurus eſſet, cogitaturúſque ſe hoc petenti puero negare (quo minus ſcilicet illius probitatis ſponſor apud Atticum fieret) non potuiſſe: non tamen ut id ex animo, & quòd ita ſentiret ſcripſerit, ſe ſperare, unquam illum crediturum fuiſſe, quòd quàm malè de puero illo exiſtimaret, ſciret. Intulit autem VERUNTAMEN: quaſi diceret, Quanquam ſperem te non facilè decipi potuiſſe, tamen commodius fuit ita accidere, ut priores ſcilicet illæ redderentur, quæ totam rem aperirent: ita enim facilius cogitare poteris quid agendum ſit. reliqua ita perſpicua, ut nulla declaratione egeant.

Relinquimus enim pacem ut ad bellum reuertamur.) 453 Hæc pluribus modis uatem, diuiniúmque Ciceronem fuiſſe arguunt: nam & ita accidit ut ariolatus eſt: & crimini ipſi datum eſt ab inimicis eum Roma fugiſſe quòd tranquillum illum ſtatum ciuitatis ferre non poſſet: turbatis autem rebus, neglectis ſpecioſis illis cauſis, quæ tunc iactabat, libenter ad tumultum, & bellum aduolaſſe. Q. autem Fuſius Calenus apud Dionem, qui cuncta Ciceronis crimina aucupatur, in ea, quam contra ipſum orationem habet, dum Antonium tuetur, accuſationibúſque Ciceronis reſpondet, hoc etiam his uerbis ei exprobrat, ἢ οὐχ ὁρᾶτε ὅτι

καὶ μετὰ τὸν τοῦ καίσαρος θάνατον ὅτε μὲν τὰ πράγματα ὑμῶν δι' ἀντώνιον ἔτι μάλυσθ' (ὡς οὐδ' αὐτὸς ἀρνήσασθαι δύναται) κακῶς εἶχεν ἀπεδήμησε καὶ ἀλλότριον καὶ ἐπικίνδυνον ἑαυτῷ τὸν τῆς ὁμονοίας ἡμῶν βίον εἶναι νομίζων ἐπειδὴ δὲ τεταραγμένα αὖθις ἤσθετο μακρὰν χαίρειν τοῖς τε ὑκεῖ καὶ ταῖς ἀθήναις φράσας ἐπανῆλθεν.

454 *Etquid amas Deiotarum & non amas Eram.) Quia ueteres omnes, nouóſque codices concordare animaduerti, non uiſum eſt aliquid immutare, quamuis exiſtimem* HIERAM *potius legendum eſſe: ſic enim hunc appellat (ut arbitror) in oratione pro* Deiotaro*, in qua ſæpe eum nominat: ſuit enim is* Regi *amiciſſimus, eiúſque opera* Rex *in magnis rebus ſemper uſus eſt: quem etiam cum alijs ad Cæſarem pro ſalute ſua deprecanda miſit, cum apud eum abſens* Deiotarus *cauſam dixit. Verba Ciceronis in per oratione hæc ſunt, Corpora uerò ſua pro ſalute regum ſuorum hi legati tibi regij tradunt Hieras, & Bleſamius, & Antigonus, tibi, nobiſque omnibus iam diu noti: eádemque fide, & uirtute præditus Doryalus, qui nuper cum Hiera legatus eſt ad te miſſus cum regum amiciſſimi; tum tibi probati, ut ſpero.*

455 *Etſi cum proceſſerimus, exploratiora uidebuntur, & teſtibus utemur.) Hunc locum inquinatum eſſe omnes uidere poſſunt: quid enim nauigationi cum teſtibus? Veteres codices habent* TESTIS: *nos* TECTIS *caſtigauimus, ut de tectis nauibus intelligas: modice ut uides, & parcè à priſcæ lectionis ueſtigijs declinantes. quia tamen falli potuimus, antiquam ſcripturam teſtatam reliquimus.*

456 *Bruto cum ſpem inieciſſem de* ὑμοπλοίᾳ, *&c.) Antiqui libri,* SÆPE: *ubi excuſi (ſpem) habent: ueterem autem lectionem ſinceriorem iudicamus. Inijcere hic ſignificare uidetur*

uidetur inter loquendum, quædam breuiter proferre, quæ deſiderium noſtrum ſi acutè, ut dicta ſunt, accipiantur, indicent quemadmodum hunc uerbum uſurpat Trebonius *in epiſtola ad* Ciceronem, *ubi de* Cicerone *filio loquitur,* Qui *cum mihi in ſermone iniecißet ſe uelle* Aſiam *uiſere, non modo inuitatus, ſed etiam rogatus eſt à me, ut id potißimum nobis obtinentibus prouinciam, faceret.* Mira*tur igitur* Cicero, *cum ſæpe in ſermone* Bruto *iniecißet ſe cupere cum eo in* Græciam *nauigare, illum non cupide id arripuiſſe. nam ubi* ACCIPERE *antea legebatur,* ARRIPERE *emendauimus, autoritate ueterum codicum adducti, & uerbi huius elegantia, quod optime hic conuenit: nam & æquum cenſebat pro ſua dignitate ſe quæ ſua uoluntas eſſet, leniter admonere, &* Brutum *uix percepto eius ſenſu non modo id facile pati, ſed etiam libenter, & cupidè expetere debere, ſéque eius nauigationis ſocium offerre.* Sic *dictum eſt illud à* Chærea *in* Eunucho, Submonuit *me* Parmeno *ibi ſeruus, quod ego arripui.* Cicero *de* Orato. *lib.* II. *Magiſtrum autem, quem uellet eligeret: me quidem ſi audiret,* L. Craſſum: *quod iſte arripuit, & ita ſe facturum confirmauit.*

De legionibus ſtatuerunt ut quidam arbitrantur, &c.) 456
Corrupti *hac parte erant omnes formis excuſi libri: nos ingenuam, ut putamus, lectionem auxilio uetuſtorum codicum reſtituimus: nam* DE LEGIONIBVS *partem putamus eſſe ſuperioris clauſulæ: ut, & ibi, id eſt* Venuſiæ *expectem nuntium de legionibus, intelligamus: ſtatimque inferatur,* Si *aberunt ipſæ legiones (ut nonnullorum eſt opinio)* Hydruntem *ſcilicet proficiſcar: ſi neutrum erit* ἀσφαλὲς, *id eſt ſi nec* Hydruntem *petere, nec* Venuſiæ *manere periculo uacabit, eodem reuertar.* Legiones *autem*

Brundiſij, & circa ea loca adeſſe rumor increbuerat, quas omnino uitare propter quaſdam ſuſpiciones periculi uolebat Cicero, quemadmodum ex multis locis colligitur: ut ex hoc, qui non multo antè eſt, Iter illud Brundiſium, de quo dubitabam, ſublatum uidetur, legiones enim aduentare dicuntur. Quamuis autem aliquantulum contaminata ſit uetuſta etiam lectio, non tamen tales eam maculæ occuparunt, ut non facile elui poßint.

Ibidem. *Atque utinam te illis.) Illic, habent ueteres codices, quos ſecutus ſum: hæc enim recta eſt (ut opinor) lectio: ut illic, id eſt Athenis intelligas: ſpem enim ei proficiſcenti dederat Atticus, ſe ante, quàm illinc Cicero diſcederet, Athenas uenturum: nam prius inquit, Deinde tu iam, ut ſpero, & ut promittis, aderis; quod quidem ſi acciderit, omnia nobis erunt meliora. Et non multo antè: Mihique aut ſcribe, aut, quod multo malim, adfer ipſe.*

Ibidem *Cupidius ille meorum.) Legimus interrogantis geſtu,* CVPIDVS ILLE MEORVM? *Græcam autem uocem, quæ diu deſiderata eſt, Germani primi reſtituêre: eandem incorruptam habent noſtri antiquiores libri: quare non dubitandum quin recta hæc ſit lectio. ſignificatus eius planus eſt, & notißimus.*

451 *Ego adhuc uidebo, &c.) Poſtremam hanc uocem manu ſcripti codices paulò antiquiores non habent: & ſanè ſuppleta eſt ab his qui ſtructuram horum uerborum non percipiebant. Quodſi quæ κατὰ παρένθεσιν legenda ſunt, notes, nihil hac lectione clarius, & planius erit, intelligéſque dictionem illam* VIDEBO *non ſolum inanem, & ſuperuacaneam eſſe, uerum etiam omnem horum uerborum ſenſum conturbare.*

Ibidem *Sed putabam cum Rhegium ueniſſem, fore, ut ſi, &c.)*

Diu

Diu iacuit hæc ſententia, cum plura Græca uerba deſiderarentur, ſine quibus imperfecta erat: ea primi Germani reſtituêre ex ueteribus codicibus: eandem autem nos lectionem in noſtris exemplaribus reperimus: ſunt autem uerba Homeri *ex* Odyſſeæ III. *libro, à* Neſtore *pronuntiata cum* Telemacho *loquente,* ὀψὲ δὲ δὴ μετὰ νῶϊ κίε ξανθὸς μενέλαος, ἐν λέσβῳ δ᾽ ἔκιχε δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντας. *Eſt autem tam uarium* Homeri *poëma, quemadmodum omnes ſciunt, ut nihil ferè dici, excogitarique poßit, quod uerbis ipſius exprimere non facile ſit ei, qui in ipſius lectione attentè uerſatus ſit: olim autem* Romanis *hominibus, nedum* Græcis *tam familiare, & tritum, ut omnes eius ſententias memoria tenerent, & cum uſus illis erat in ſermone proferrent, & ad omnem ſuum ſenſum patefaciendum accommodarent: quod tam planum eſt, & unicuique notum, ut id confirmare non oporteat: ſiquidem in his epiſtolis, & alijs etiam ſuis libris* Cicero *crebrò tanquam prouerbia, & ſententias maxime ratas, teſtimonia eius adducit, quod à pleriſque alijs ſcriptoribus etiam uſurpatum eſt: ut* Suetonio: *qui* Homericis *uerſibus concepta mentis ſæpe exprompſiſſe* Romanos Cæſares *narrat. multis autem hoc locis facit, è quibus unum adducemus, qui deprauatus eſt, nec patiemur, quamuis nunc aliud agamus, eum diutius inquinatum manere: eſt autem in* Caligula, *cum inquit,* In*terdum cum* Capitolino Ioue *ſecreto fabulabatur, modo inſuſurrans, ac præbens inuicem aures, modo clarius, nec ſine iurgijs, nam uox comminantis audita eſt,* ἤ μ᾽ ἀνάειρε ἢ ἐγὼ σέ. *Sic enim legendum eſt: non ut in cunctis excuſis codicibus ſcriptum eſt,* εἰς αἶαν δαναῶν περῶσε. *Huius autem lectionis (ne aliquis hæc nos fingere fortaſſe exiſtimet) ea ueſtigia ſuperſunt in uetere codice, qui eſt in* Diui

Marci bibliotheca, ut qui diligẽter ea animaduerterit, queat hanc agnoſcere, & ex notis illis ingenuam eſſe iudicare. Sed ut omnis dubitatio tollatur, Dion de Caligula loquens, *eandẽque rem diligenter exponens, locum illum* Homeri *cum pronuntiaſſe tradit. hæc ipſius uerba ſunt,* ταῖς τε βρονταῖς ἐκμηχανῆς τινὸς ἀντεβρόντα καὶ ταῖς ἀστραπαῖς ἀντήστραπτε καὶ ὁπότε κεραυνὸς καταπέσοι λίθον ἀντηκόντιζεν ἐπιλέγων ἐφ᾽ ἑκάστω τὸ τοῦ ὁμήρου, ἤ μ᾽ ἀνάειρ᾽ ἢ ἐγὼ σέ. V*t autem eadem diligentia remedioque pluribus uulneribus medeamur, quamuis præter conſuetudinem noſtram longius euagemur, monemur corrigendum eſſe locum apud Senecam libro primo de Ira: ubi relicto inani ſpatio uerba eadem deſiderantur: ſic enim legi debet,* Eloquentur *aliquid, quod tu magni putes, ſicut* C. Cæſar, *qui iratus cœlo quòd obſtreperet pantomimis, quos imitabatur ſtudioſius, quàm ſpectabat, quódque comeſſatio ſua fulminibus terreretur prorſus parum certis: ad pugnam uocauit Iouem: & quidem ſine intermiſſione* Homericum *illum exclamans uerſum,* ἤ μ᾽ ἀνάειρ᾽ ἢ ἐγὼ σέ. *quanta dementia fuit? putauit aut ſibi noceri ne à Ioue quidem poſſe: aut ſe nocere etiam Ioui poſſe. ſunt autem* λ. ψ. *pronuntiata ab* Aiace Telamonis *filio cùm deſcendiſſet in certamen cum Vlyſſe, in ludis quos* Achilles *in* Patrocli *inferijs faciebat. Cum enim inter eos diu certatum eſſet: ad neutrúmque uictoria inclinaret, eáque res iam Achiuis tædium adferret, impatiens moræ Aiax, furoriſque plenus, ut id citò certamen finem haberet ita Vlyſſem allocutus eſt:* διογενὲς λαερτιάδη πολυμήχαν᾽ ὀδυσσεῦ ἤ μ᾽ ἀνάειρ᾽ ἢ ἐγὼ σέ τὰ δ᾽ αὖ διὶ πάντα μελήσει. E*ſſe autem hanc unum ex* Homeri *uerſibus, qui tanquam prouerbia in ore omnium uerſari ſoliti eſſent, declaratur etiam ex epiſtola quadam*

Philoſtrati,

Philoſtrati, in qua hæc uerba ſunt, εἰς δὲ θητείαν ὑπήχθη πικρὰν ἧς ἔργα θυραυλικὰ καὶ χαμαικοιτίαι καὶ ἡ πρὸς θάλπος καὶ χειμῶνα ἀντίταξις καὶ ἢ μ' ἀνάειρε ἢ ἐγώ σε.

Qui εὐθανασίαν *bene relinquis patriam*) Neſcio an in 459
his Attici uerbis mendum aliquod ineſſe dicam, ſiue potius ipſa ſcrupuli aliquantulum habere, quia totum locum non adducat Cicero: idque obſcuritatem hanc procreet. nam certè nonnihil ſubeſt, quod non parum moleſtum eſt, & ſententiam perturbat: nec enim mirum uideri deberet, ſi ex paucis uerbis ex aliqua epiſtola citatis, cum ea, quæ antecedebant, aut conſequebantur ignota ſint, integer ſenſus non colligeretur. Alij mendoſum locum prorſus eſſe putantes corrigere conati ſunt. Cum his igitur anguſtijs premeremur, tutius uiſum eſt antiquam lectionem reddere, & exſcribere. quare pro relinques, RELINQVE *legimus, ne à uetuſtorum codicum fide in re dubia diſcederemus. cum enim uulgata etiam lectio ſuſpecta ſit, & incerta, cur non ad illorum potius autoritatem confugiamus, quam recentem, & eam parum firmam lectionem tueamur? ſed aliud etiam in proximis uerbis Ciceronis diuerſum eſt ab impreßis in iiſdem codicibus, quod tamen omiſimus, ne ueterem quoque lectionem cogeremur corrigere: nam niſi eam adiuues, prorſus inepta eſt, & falſa. ubi enim* PROHIBEBAS *alij habent, in illis* IVBEBAS *eſt: quod ſi uelles è duabus poſteriorem negationem tollere, fortaſſe non male faceres. Eſt enim quando aliqua quempiam agere iubemus, hortamúrque, quæ non probamus: ſed illi, periculi, & incommodi alicuius uitandi cauſa, ut ea faciat, autores ſumus.*

Apud Heletem fretum) *Fluuium legendum eſt: cuius qui-* 460

dem lectionis non parua ueſtigia ſunt in probatiore noſtro exemplari. Heletem autem fluuium eſſe, notiſsimum eſt: cuius etiam in quadam ad Trebatium epiſtola his uerbis mentionem facit, Neque Heletem nobilem amnem deſeres.

Ibidem Deſperationis ac religionis reipub.) Non ipſi primi deprauatum hunc locum eſſe cenſuimus: ſiquidem aiunt Beroaldum doctum uirum RELICTIONIS REIP. ſolitum legere: nos magis uitium, & maculã aliquam ſubeſſe adfirmare audemus, quàm quomodo caſtigari, & elui poſſit proferre: tam nouum enim auribus meis hoc nomen eſt, ut id temerè recipere, & probare hæream. in antiquioribus exemplaribus eadem ferè lectio eſt, una tantum litera immutata: RELIGIONIS in illis legitur. non multum diſſimilis emẽdatio eſſet, ſi REIECTIONIS legeres: nec magis à priſca ſcriptura declinaretur, ſi quemadmodum Capeſſere remp. ita etiam Reijcere remp. Cicero aliàs dixiſſet, id eſt, abijcere curam reipub. & totum ſe ab eius adminiſtratione remouere. Videndum etiam accuratius, an in uerbo illo quod ſequitur FLVENTES, mendum ſit, ut puto: cogitandúmque attentius eſt an EVNTES caſtigari debeat. Hac quoque parte uetuſtiores codices nihilo recentibus excuſiſq; ſinceriores ſunt: quamuis ab illis deſtituti ſilere ſoleamus: tamen hic iterum quid in mentem incidiſſet, cùm hæc commentaremur, proferre non ueriti ſumus.

460 Prouides ſicui quid debetur) PROVIDE legi debere putaui, eſſéque hunc locum ex epiſtola Attici iiſdem uerbis repetitum. Quare maioribus eum literis, ut neminem amplius fallat, ſcripſi. Atticus enim erat, qui Ciceroni famam ſuam commendabat. cùm enim Romæ eſſet, quæ parandæ, conficiendæq; pecuniæ difficultas eſſet, uidebat: ut diligenter iubeat illum prouidere, ut cum dies pecuniæ ſoluendæ uene

dæ uenerit, ſit unde par pari reſpondeatur. Qui autē accuratius quæ inferuntur uerba attenderit, perſpiciet, ea quæ Attici eſſe dico, à Cicerone prolata eſſe non poſſe: maxime cum conſiderabit, uerbis etiam quibuſdam, nedum ſententiæ ipſi reſpondere: ut cum inquit, Vt quid poſſem prouidere, in mentem mihi non ueniret: *ita enim primo huius clauſulæ uerbo reſpondet.*

Piliam πειράζεσθαι παραλύσει) Nonnulli quamuis non *ſolum ueteſti, ſed etiam noui excuſiq; codices ita ſcriptum rectè haberent, hunc tamen locum deprauarunt: ex nomineque quod dandi caſu à priore uerbo regebatur, uerbum infiniti temporis effecerunt, ſtultißiméque* TENTARE DISSOLVERE, *interpretati ſunt, cum* πειράζεσθαι, *hic, quo ſignificatu ſæpe Latini elegantißimi autores (tentari) capiunt, acceptum ſit: hi ſunt* Lucretius, Horatius, Cicero *multis locis, necnon* Cæſar *lib.* III. *de bellis ciuilibus: qui ſic inquit,* Et grauis autumnus in Apulia, circunque Brundiſium ex ſaluberrimis Galliæ, & Hiſpaniæ regionibus omnem exercitum ualetudine tentauerat. *Sed & Græci quoq; eodem ſignificatu Græco hoc ipſo uerbo utuntur. Strabo. lib.* XVI. πειραζομένης δὲ τῆς στρατιᾶς ἐπιχωρίοις πάθεσιν, &c. 461

Quingentos denarios dat.) Melius, QVIGENOS, *ut habent manuſcripti codices. Quod autem hic Cicero denarios,* Dion *cum hanc rem lib.* XLIIII. *narraret, drachmas dixit: ita enim inquit,* ὁ καῖσαρ τοῦ ἀντωνίου δὲ ἐς τὸ βρεντήσιον πρὸς τοὺς στρατιώτας τοὺς ἐκ τῆς μακεδονίας περαιωθέντας ἀφορμήσαντος ἐκεῖσε μὲν ἑτέρους τινὰς μετὰ χρημάτων ὅπως σφᾶς σφετερίσωσι προαπέστειλεν, αὐτὸς δὲ μέχρι καμπανίας ἐλθὼν πλῆθος ἀνδρῶν ἐκ τῆς καπύης μάλισθ᾽ ἅτε καὶ παρὰ τοῦ πατρὸς Ibidem

αὐτοῦ ᾧ τιμωρεῖν ἔλεγε τήντε χώραν καὶ τὴν πόλιν εἰληφότων ἤθροισεν ὑπισχνεῖτο τε σφίσι πολλά καὶ ἔδωκεν εὐθὺς τότε κατὰ πεντακοσίας δραχμάς.

462 *Fugiam Romam, ne deſideremur*) *Non poſſum me continere quin ſuſpicionem meam narrem. ualde enim timeo ne in his uerbis aliquid mendi lateat, quam enim* FVGIAM ROMAM *uim habere poßit non uideo, aut qui locus fugæ Roma illi eſſe potuerit, præcipuè cum inferat, Ne deſideremur. quis enim ſic loqueretur, nedum Latini ſermonis parens potius quàm optimus autor? Eſt omnino neſcio quid quod me lædit, perturbátque: id autem magis cogitare, quàm exponere, & pronuntiare poſſum. In ueteribus codicibus parum omnino diſcriminis. ſed tamen nonnihil eſt:* FVGAM *enim, ubi reliqui* FVGIAM, *habent. id quamuis magis corruptum eſſe uideatur, tamen adnotare debui, ſicunde lux, quæ tenebras has pelleret, effulgere poſſet.*

Ibidem *Centurias Capuæ dinumerat*) *Longè diuerſius, & melius antiqui codices habent,* CENTVRIAT CAPVAE: DINVMERAT. *Centuriare enim eſt milites in centurias diuidere. diſtribuebat enim Campanos colonos in centurias: iiſq; pecunias dinumerabat. Hoc & alibi uerbo utitur, Ego cum homines in tribunali Aurelio palàm conſcribi, centuriarique uidiſſem, &c.*

Ibidem VI. *Arpinum ueni: ad* IIII. *in Sinueſſanum*) *Antiqua lectio ualde diuerſa, quàm tamen non recepimus, quia aliquantulum inquinata eſt: nec tamen eam penitus damnamus: nam utra ſincerior ſit, iudicari uix poteſt. Vocis illius* ARPINVM, *in ea ueſtigium nullum: ita enim eſt,* VI. VENI AD ME IN SINVESSANVM. *quod ſi pro ueni,* VENIT *legeretur, ut cum ſuperiore clauſu-*

la con

la connecti poſſet, de tabellarióque ſermo adhuc eſſet. fortaſſe non peccaretur. certe uetuſtiori ſcripturæ magis propinqua hæc caſtigatio eſſet, & fortaſſe ſententiæ non minus congruens.

Haſta ea ægre me tenui.) Nos aliter hunc locum legimus, 463
& niſi fallimur uerius, ut ſic caſtigaremus, inducti nõ paucis argumentis, & tamen non ſine ueterum librorum auxilio, qui etſi aliquãtulum hac parte corrupti ſunt, minus tamen ſunt, quàm cæteri inquinati. quomodo autem alij emendare conati ſint, qui uolẽt facile uidebunt: omnes enim hunc locum uitioſum eſſe exiſtimauerunt. Probat Attici iudicium de Sicca, pollicetúrque ſe non aliter, quàm ipſi uiſum ſit facturum: fatetur tamen, uix potuiſſe ſe continere, quin, dum Antonij uitam, moréſque perſtringeret, Siccam quoque accuſaret: putamus enim de oratione aliqua intelligere, quam in Antonium ſcripſerit: & quam poſtea in II. Philippicam iniecit: licet ne emanaret omni diligentia tunc cauerit: nanque in ea Antonio exprobrat quæ hic ſe in illum dicturum eſſe comminatur, ut cum inquit, Sed hoc idcirco commemoratum à te puto, ut te infimo ordini commendares, cum omnes recordarentur libertinum generum, & liberos tuos nepotes Q. Fadij libertini hominis fuiſſe. Quamuis in prænomine, quod uitio librariorũ potuit accidere, in alteru tro erratum ſit. Sed etiam in IIII. eandem rem, ut arbitror, etſi obſcurius, tangit, Quæ porrò amentiæ ſunt, cum dicere aliquid de uxorum ignobilitate cuius pater Numitoriam Fregellanam proditoris filiam habuerit uxorem, ipſe ex libertini filia ſuſceperit liberos?

Tantum ut ſciam παῖδες παίδων ſine ullo Lucullano, &c.) Pluribus maculis hic locus inquinatus erat, quas 463
quantum in nobis fuit, deleuimus, atque id antiquorum co-

dicum autoritate ſuffragante: παῖδες παίδων pro poſteris frequenter uſurpari ab optimis ſcriptoribus notiſſimum eſt: nam Plato plurimis locis eo prouerbio utitur, & Ariſtoteles primo libro πολιτικῶν. Originem autē duxiſſe ex Homeri hoc uerſu λ. γ. arbitramur, καὶ παῖδες παίδων τοίκε μετόπισθε γένονται. quem fortaſſe Virgilius interpretari uoluit, cum inquit, Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Lucilium autem in ſuis Satyris ſumma libertate nobiles etiam homines maledictis inſectatum eſſe quis neſcit? unde ab eo qui illum æmulatus eſt, dictum fuit, -ſecuit Lucilius urbem Te Lupe, te Muti, &c. Dicit igitur Cicero nihil opus fore ſtilo Lucilij, ut poſteri ſciant Antonium ex C. Fadij filia liberos ſuſcepiſſe: ſine eo enim orationem ſuam effecturam ut hoc futuris gentibus innoteſcat. Eadem forma dicendi utitur Varro in ſermonibus de agricultura, Nónne item L. Albutius homo ut ſcitis, adprime doctus, cuius Luciliano charactere ſunt libelli, dicebat, &c. In antiquioribus codicibus VALLO quoque legitur ut in impreſſis, quod ſolum mihi moleſtiam exhibet: reliqua noſtræ lectioni conueniunt. id nos quàm potuimus parciſſime caſtigauimus.

Ibidem Moriar niſi facere.) Locus uti uidetur, mancus, & deminutus. In ueteribus ſic legitur, MORIAR FACETE NISI. Ab ijs deſtitutus, quorum ope in dubijs rebus plurimum utor, quid faciam non habeo. optandum uidetur ut integriores aliqui codices repeririantur: aliter non uideo quomodo huiuſcemodi loca reſtitui poſſint.

Ibidem Εὔθεμοι μυρίοι.) Sincerior lectio eſt, quam ego ex antiquis exemplaribus hauſi, ita rectè in illis conſeruatam ut prorſus omni macula uacet. Eadem autem hæc ſententia eſt atque illa, quam lib. II. harum epiſtolarum Latinis uerbis

ſic

ſic exprimit de Catone loquens, qui mihi unus eſt pro centum milibus.

Quod uereris ne, &c.) Diu uox Græca hic deſiderata eſt, uacuáque illi ſedes relicta quo recipi poſſet, ſi quando inueniretur. Græci characteres, qui in antiquis libris reperiuntur, conturbati, & peruerſi ſunt. Eoſdem quos nos aut ualde ſimiles, ſuſpicor Germanos in ſuo antiquo codice habuiſſe ex his uocibus quas ſcripſerunt: nec tamen probo illorum caſtigationem· ſic enim legunt, δλιδῶς λέχος. Ipſe potius ἀδολέχος legi debere iudicaui: ita enim loquax, nugaxque appellatur. timebat enim Atticus, ne Ciceroni loquax uideretur quòd longiores epiſtolas ſcriberet: quod negat Cicero. Veruntamen quia ueterem ſcripturam aliquantulum deformatam emendare opus fuit, uolui illam, ut eſt in antiquioribus tradere: itaque cum fide eam deſcripſi, ut ſi forte in hoc deceptus eſſem, poſſet ab alijs doctioribus hic locus felicius corrigi: eſt autem hæc, ΔΙΔΟΕΛΕC.ΧΟC. *Quomodo à librarijs peccatum eſſe iudicarim, nunc omnes uidere poſſunt. Valde autem ſimilis eſt primæ literæ forma quartæ in antiquo noſtro exemplari: nec mirum in hoc Græcæ linguæ rudes librarios erraſſe: ſi enim quæ media latera ſecat, lineam, ad extremas ipſorum partes deduxeris, ſic'que latera ipſa coniunxeris, ex alpha triquetrum feceris, qua figura quarta apud Græcos litera notatur, ſi maiores literas quibus priſci illi uſi ſunt, quibúſque ſemper in antiquioribus Latinis libris Græcæ uoces ſcriptæ inueniuntur, conſideres.* Ibidem

Quo Rubriana potius, quàm quo Scipionis.) Locus ualde obſcurus, & (ut arbitror) deminutus: ſunt autem, niſi fallor, plures maculæ in his paucis uerſibus, quæ uix elui poſſunt ſine meliorum codicum auxilio: nam ubi paulò Ibidem

H 5 *pòſt*

poſt CONTRA CIVIS IN ACIE, *in antiquis exemplaribus* PER CONTRA *ſcriptum eſt: quod potius arguit laceros, & male habitos eſſe omnes hac parte libros, quàm ullam opem afferat, quo facilius uera lectio inueſtigari poßit. Non ueritus ſum hoc etiam notum facere, quamuis abſurdum, & manifeſtò deprauatum ſit: raro enim inueni in antiquiore, & probatiore illo huiuſcemodi labes lapſúſque quin aliquid in uulgari lectione uitij eo loco ſit: nam alioqui eſt etiam interrupta, & undequaque ſuſpecta recepta lectio.*

463 *O' Tite tibi prodeſſe lætor) Nihil diſcrepant ij, quos uidi antiqui codices ab excuſis, nec aliquid deſiderari arbitror, quanquam alij ante hæc uerba tres dictiones addiderint, ſic legentes, Librum illum meum ô Tite, &c. Integram igitur eſſe receptam lectionem puto: ſententiámque hanc ex ea elici non inelegantem, neque inſuauem: ut cum ab eo Atticus quæſiſſet qui eſſent illi qui tantopere Antonio familiares eſſent, his uerbis ipſi reſpondeat, O' Tite tibi prodeſſe lætor, id eſt magnam capio uoluptatem cum aliqua ratione tibi proſum, & uoluntati tuæ morem gero: ſtatímque exponat, quod Atticus ſcire cupiebat de Anagninis illis, de quibus etiam loquitur in* II. *Philippica his uerbis, Preſertim cum duos ſecum Anagninos haberet Muſtelam, & Laconem, quorum alter gladiatorum eſt princeps, alter poculorum.*

464 *Viſum eſt non ἀνοικεῖον) Sic legendum ſine dubio eſt. Olim hic etiam locus deminutus erat Grecæ uocis defectu: quam primi Germani reſtituerunt, & nos quoque in noſtro antiquiore libro inuenimus. οἰκεῖον proprium, accommodatúmque ſignificare nemini ignotum eſt, contrarium autem ἀνοικεῖον. quare hoc loco, Viſum eſt non ἀνοικεῖον, Viſum*

eſt

eſt accommodatum ſignificat, & maxime congruens. Ariſtoteles etiam libros de moribus ad Nicomachum filium miſit. Græca hac uoce utitur Plutarchus in commentario, quo Appollonium conſolatur de obitu filij, pro Incommodum, & importunum: ſic enim inquit, τότε μὲν οὖν ὑπὸ τὸν τῆς τελευτῆς καιρὸν ἐντυγχάνειν ἔστι καὶ παρακαλεῖν ἀνθρωπίνως φέρειν τὸ συμβεβηκὸς ἀνοικεῖον ἦν παρειμένῳ τότε τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν ὑπὸ τῆς παραλόγου συμφορᾶς.

De M. Cæcilio dilucide) Veteres codices DE MYRTILO: quod etiam Germani obſeruarunt. De hoc ipſo, ut puto, in antecedente libro agit, Sed perſcribe quæſo quæ cauſa ſit Myrtilo: pœnas quidem illum pependiſſe audiui, &c. nihil autem de eo amplius inueni. Ibidem.

Si Valerius Mitres ad me nomina gratioſorum miſerit) Ibidem
Sunt ſanè in hoc etiam nomine antiqui codices deminuti, ita tamen, ut non paruum ſinceræ lectionis ueſtigium retineant: ſic enim habent, IN TRES: quare (interpres) emendaui. De Valerio hoc interprete etiam primo libro harum epiſtolarum agit, De eo mihi Valerius interpres nuntiat, &c.

Méque Torquato, &c.) Hic locus deprauate in impreſſis legitur, ſed in manu ſcriptis non rectè, ita tamen ut ſi primam literam tantùm permutes, cum lectione quam in noſtro uides, eorum ſcriptura conueniat: nam Torquati ſecundo caſu in illis etiam eſt. mihi ſic caſtigare tutius uiſum eſt, quàm ut alij fecerunt, qui totis permutatis dictionibus ſententiam longe diuerſam excogitarunt, & ut arbitror non ualde hic accommodatam. 465

Bonam enim unde ἡρακλειδίῳ, &c.) Nos BONVM ANIMVM accedentibus noſtræ opinioni eruditis quibuſdam uiris emendauimus: nam quæ ſequuntur, ut inuenimus 465

in ant

in antiquis libris, ita ſcripſimus. appellat autem negotia ſalſa, plena ſalis & facetiarum.

466 *Ecce tibi altera, qua hortaris* παρ᾽ ἠνεμόεντα μίμαντα) *Primi Germani locum hunc reſtituerunt, cum antea inane ſpatium relictum in impreßis eſſet, ubi Græcæ uoces eſſe debebant. quo firmius autem credantur uera eſſe uerba quæ reſtituta ſunt, & huius loci legitima, teſtamur & nos ea in noſtro codice inueniri. Sumpta ſunt ex* Odyſſeæ *libro* III. *ubi à* Neſtore *pronunciantur cum* Telemacho *loquente. narrabat autem ille reditum* Græcorum *à* Troia. *Ea nunc* Cicero, *ut mos ipſi eſt, ad ſuam ſententiam accommodat, non ſeruans ordinem quo apud* Homerum *dicuntur, ſed ut commodum ſibi fuit pronuntians. uerba* Neſtoris *hæc ſunt,* ὀψὲ δὲ δὴ μετὰ νῶϊ κίε ξανθὸς μενέλαος. ἐν λέσβῳ δ᾽ ἔκιχε δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντας, ἢ καθύπερθε χίοιο νεοίμεθα παιπαλοέσσης. νήσου ἔπι ψυρίης αὐτὴν ἐπαρίςερ ἔχοντες, ἢ ὑπένερθε χίοιο παρ᾽ ἠνεμόεντα μίμαντα. *Deſcripſerat autem* Ciceroni Atticus *iter quod tenere debeat, cum* Romam *ueniret, ut pericula uitaret. Vbi autem in* Homero αὐτὴν *eſt, ipſe* Appiam *poſuit. quæ autem loca intelligat per ea nomina, difficile (ut arbitror) eſt ſcire.*

469 *Nos autem eius uoluntatem ante* Id. Decembr. *ſciemus, &c.) Antiqui codices uulgatis mendoſiores uidentur: cum tamen (quamuis aliquantulum contaminati ſint) ſinceræ lectionis ueſtigia non parua retineant:* PERSCIEMVS *enim habent, cum* PERSPICIEMVS *(niſi ſallor) legendum ſit. quod qui diligenter attenderit, facile animaduertet. Quod autem ſequitur,* IN CASCA: *male alij cum inſequenti clauſula coniungebant, cum huic hærere debeat. Nos inquit, uidebimus* Octauiani *uoluntatem in* Caſca, *id eſt in negotio* Caſcæ. *nam ſi* Caſcæ *fauiſſet, ut tribunat*

bunatum, quem à Cæſare dictatore habuerat, gereret, bene omnino de illo exiſtimari poſſe iudicabat, magnum enim eſſe putabat Cicero argumentum, ſignúmque præclari eius in remp. animi, ſi hoc feciſſet. nam paulò ſuprà dixit in hanc ſententiam, Certiſsimum eſſe uideo diſcrimen Caſcæ noſtri tribunatum. indignum autem uidebatur Cæſarianarum partium hominibus Caſcam honores illos gerere, quos ab eo obtinuerat, in quem poſtea tam ingratus, & crudelis fuiſſet. Exprobrauit autem hoc Antoninus in epiſtola, quam ſcripſit Hirtio, & Cæſari, quòd Caſcam ſcilicet Tribunatum gerere paßi eſſent.

Non potui ut conſueueram reſcribere) Antiqui hic codices CONSVERAM *habent: hoc enim uerbum non ſolum poëtæ, ſed etiam qui proſa oratione ſcripſerunt, ſæpe* κατὰ συγκοπὴν *pronuntiant: id ego non ſemel in manu ſcriptis libris obſeruaui. Sunt etiam proxima uerba parum purgata, & integra ut puto: ea multi multis modis conati ſunt emendare. ipſe uulgatam lectionem, quamuis ſuſpecta mihi ſit, retinui, eandem enim in manu ſcriptis inueni: quare non temerè reijciendam ſenſui.* 469

EX LIBRO QVI LVCVLLVS INSCRIBITVR.

MAGNVM *ingenium L. Luculli, &c.) Subtiliter, & eleganter diſputatum eſt à diſerto, & eloquente uiro in epiſtola quadam ſua, quomodo inſcribendi ſint libri Ciceronis, in quibus quæſtiones Academicæ explicantur. Quid autem ille poſtea de eo ſtatuerit,* Pag. 26.

omnes

omnes ſcire arbitror. ego tamen non ſtudio concertandi ductus, neque quo ab aliquo libenter diſſentiam, ſed ueri inueniendi cupiditate incenſus, non ueritus ſum ab illius iudicio leuiter declinare: itaque librum, quem ipſe primæ editionis ſecundum appellauit, Lucullum uocandum cenſui: me autem hoc non temerè feciſſe, nunc conabor oſtendere. Primùm non ſolum omnes manu ſcripti codices pro me ſunt, ſed etiam multi impreßi, in quibus Lucullus hic liber nominatur: eorum autem magni apud me ponderis ſemper autoritas fuit, non contemnendis præſertim rationibus comprobata. Præterea Cicero ipſe teſtatur ſe librum ſcripſiſſe Lucullum appellatum: cuius procemium laudes ipſius contineret: qui locus eum: cum ſtudioſe plures epiſtolarum libros ob hoc euoluiſſet, præterijt: nam ſi ab ipſo animaduerſus eſſet, perſpicuè uidiſſet hoc legitimum eſſe huius libri nomen, nec ei opus fuiſſet primam & ſecundam editionem excogitare: hæc enim Ciceronis uerba ſunt libro XIII. *ad Atticum, Torquatus Romæ eſt, iußit ut tibi daretur, Catulum & Lucullum (ut opinor) antea: his libris noua procemia ſunt addita, quibus eorum uterque laudatur. Quomodo autem uir aliquis magnificentius laudari poßit, quàm Lucullus his paucis paginis, exiſtimare non poſſum. Quod uerò Catulum & Lucullum dicit, ambos hos libros coniungens; Catulúmque ante Lucullum collocans, cognoſcitur ex multis locis ex hoc libro, quem Lucullum debere appellari adfirmamus, hunc poſteriorem ſermonem fuiſſe: alium autem, qui hunc præcederet priore die à Catulo in ſua uilla eſſe habitum, quem item Cicero literis mandauit, & Catulum (ut opinor) appellauit: interijt tamen ille, & grauiore fortunæ conditione uſus eſt, quàm germanus ſuus frater. Inſcripſiſſe autem multos libros Ciceronem*

more

more Platonis, & omnium ferè ueterum, nomine eorum qui in libris illis diſputabant, compertum omnes habere puto: nam omni ratione qua potuit, ſemper amicos ſibi homines, neceſſarióſque celebrare, & illuſtrare non deſtitit: quin & à mortuis etiam laudatis uiris, nec Romanis modo, ſed etiam Græcis, eos quandoque nominauit. nam Ciceronem teſtem citatum in Protagora memini me legiſſe. Plutarchus autem in uita Luculli apertius adhuc, manifeſtiúſque totam hanc rem docet: narrat enim eum ualde uetere Academia delectatum eſſe: ſummáque diligentia amicum ſibi, familiarémque feciſſe Antiochum illum Aſcalonitam, qui ualde ſcriptis Ciceronis celebratur: quem tunc ea ratio, & diſciplina acerrimum defenſorem & patronum habuerit, & à quo inſtructus Lucullus Ciceronis, ceterorúmque Philonis auditorum in diſputationibus impetus ſuſtinebat. Philo enim nouæ Academiæ amore tenebatur, quæ tunc maxime eius ingenio florebat. Ciceronem etiam pulcherrimum librum idem ſcripſiſſe tradit, qui has diſputationes complecteretur, in quo induxerit Lucullum ſuſcipientem defenſionem καταλήψεως, *quam ipſe perceptionem aut cognitionem uocat: quum ſibi contrarias partes impoſuiſſet, nomenque illi Lucullo eſſe apertiſſimè declarat. Eſſe autem hunc de quo diſputamus, librum, quem Plutarchus intelligit, dubitari non poteſt, niſi ab eo qui eum non legerit: multis enim & perſpicuis argumentis id manifeſtum eſt. Quintiliani quoque teſtimonium non mediocriter hanc rem confirmat: cuius in* III. *libro hæc ſunt uerba, Et M. Tullius non dubitauit aliquos ſuos libros iam editos, alijs poſtea ſcriptis ipſe damnare, ſicut Catulum, atque Lucullum, & hos ipſos, de quibus modò ſum locutus artis Rhetoricæ. Sperauit autem ſe Cicero duos hos poſſe extinguere & abolere.*

Quare

Quare cum illos antea Catuli & Luculli nomine inſcripſiſſet, poſteáque ad Varronem tranſtuliſſet, inquit, Catulo & Lucullo alibi reponemus. Videbatur enim ſibi illis iniuriam feciſſe, cum id quod iam eis tribuerat, quódque eorum quaſi iure factum erat, eripuiſſet. quamuis enim alij quoque in illis libris nobiliſsimi homines inducerentur, ut ipſe de Hortenſio teſtatur: hi tamen duo præcipuè in hoc nouo Ciceronis conſilio damnum faciebant, quibus deſponſi, & conſecrati libri ipſi erant, & à quibus denominabantur. ſed aut difficultate illos abolendi uictus eſt Cicero, aut non incommode quoque eos in uita poſſe uerſari cogitauit. quare nihil neceſſe fuit nouos libros ſcribere, quibus Catulum & Lucullum compenſaret, ſed illos potius concinnauit, ac quibus rebus potuit, expoliuit: nam noua illis proœmia adtexuit, quibus eorum uterque (ut ipſe inquit) laudaretur. Voluiſſe autem primo Ciceronem duos illos libros, quos non probabat, tollere, nemini dubium eſſe poteſt: nam ipſe ad Aticum ſic ſcripſit, Tu illam iacturam feres æquo animo, quòd illa, quæ habes de Academicis, fruſtra deſcripta ſunt. Cum ipſemet tamen non multò pòſt, mutato conſilio eoſdem illos nouis tantum proœmijs auctos, deſcribendos dare non dubitauerit: quod manifeſtum fit ipſius uerbis quæ ſuprà adduximus. Hæc omnis mea eſt de hac re opinio: magna autem laude, meò iudicio dignus eſt (quicunque ille fuit) qui tam eruditè, & bellè de his libris in epiſtola ſua diſputauit. is enim primus ſtudio, & diligentia ſua ordinem & tempora illorum aperuit, atque explicauit: cum antea omnes in turpi eius rei ignoratione uerſarentur. quòd ſi tria trium locupletiſſimorum teſtium dicta notaſſet, quæ à me recitata ſunt, & quæ perſpicuè docent quod in eius diſputatione deſiderari po

ri poterat, omnem ſanè huius rei ueritatem luculenter indagaſſet.

Parmenidem Zenonem:) Vetus lectio potius XENOPHANEM: ſed & hoc ipſo in libro cum ſermoni Luculli Cicero reſpondet, eoſdémque ueteres phyſicos, quos ille nominatim expoſuerat, appellat, poſt Parmenidem Xenophanem ponit. Parmenides, Xenophanes minus bonis quanquam uerſibus, ſed tamen illis uerſibus increpant eorum arrogantiam, quaſi irati: qui cum ſciri nihil poßit, audeant ſe ſcire dicere. Præterea ſcimus ex Laërtio in uita Pyrrhonis, qui hanc philoſophiam acerrime defenſitauit, & nouæ familiæ à ſe nomē impoſuit, ſolitos eius ſectæ æmulos Xenophanem Colophonium hunc in ſuis numerare, cum his uerbis certi aliquid homines ſcire poſſe negaſſet, καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔτις ἀνὴρ ἴδεν οὐδέ τις ἔσται εἰδώς. Sed illi etiam Zenonem Eleatem pro ſe ſtare affirmabāt. quid enim hic habere explorati potuit, cum motum ſuſtuliſſet? auditor autem fuerat Parmenidis hic Zenon. Quare ſi Colophonium intelligas, & non Citieum illum principem Stoicorum, cuius crebra eſt mentio, poteſt etiam uulgaris lectio defendi. Cicero itidem alibi in hoc libro Zenonem Parmenidi ſubiungit: ego tamen priſcam ſcripturam ſinceriorem iudicaui. 35

Quia nobiſmetipſis modo ceruleum uidebatur, mane flauum.) Nonnulli exiſtimauerunt in his uerbis mendū eſſe, quòd animaduertiſſent apud Non. Marcellum in dictione RAVVM, citari Ciceronis è libro quarto Academicorum locum qui eandem penitus ſententiam retinet, aliquantulum immutatis uerbis & maximè quòd ibi RAVVM pro CLAVVM ſumptum eſſet. maiorem enim fidem Nonio habendam eſſe cenſebant, qui ea parte uix deprauatus eſſe 75

I· poterat,

poterat, & qui falſò exemplum illud Ciceronis adpoſuiſſe exiſtimandus non eſt, quam contaminatis, & laceris Ciceronis exemplaribus: nemo tamen receptam Ciceronis lectionem aboleuit, quam ego quoque conſeruaui, quia in cunctis manu exaratis ita ſcriptum eſſe obſeruaueram. Vt tamen hunc ſcrupulum, qui multis moleſtus fuit, coner auellere, quid ſentiam de hac re exponam. Planum iam factum eſt his omnem Academicam quæſtionem Ciceronem libris ſuis explicaſſe, primo duobus, iterum quatuor libris de ea confectis: in quibus tamen eædem res, ſententiæq; tractarentur: ſed in poſterioribus, ut ipſe refert, breuius, melius, ſplendidius. Potuit igitur fieri, ut cùm idem locus in ambabus editionibus tractandus eſſet, aliquantulum uariatis uerbis expoſitus fuerit, & ut hic locus qui eſt in Lucullo, de quo diſſerimus, quemadmodum eſt in omnibus nouis, ueteribuſque codicibus, ita legi debeat, & Nonius eum citet, qui in illis, quos ad Varronem miſit, incluſus fuerit. nam ſi ulla fides haberi poteſt Marcelli ipſius uulgatis exemplaribus, in IIII. Academicorum exemplum, quod ipſe adducit, eſſe traditur. Sic puto defendi poſſe receptam in Lucullo lectionem, & teſtimonium Nonij non improbari.

89 *Sed ubi Socrates, ubi Ariſtoteles iſta tetigit:)* Nullo modo SOCRATES legi poteſt, aduerſatur enim ei, quod paulò ſuprà dixit, Nō quòd mihi diſpliceant, ſunt enim Socratica pleraque. Nihil autem Socratem ſcriptum reliquiſſe quis neſcit? Quare cū antiquis libris XENOCRATES legendum eſt: hi enim duo Platonicæ diſciplinæ uicarij extiterunt. Academici ab hoc, ab Ariſtotele Peripatetici cognominati ſunt. Aperit adhuc magis hoc, quod inquit, Hos enim quaſi eoſdem eſſe uultis: nā illos ex eodem fonte ortos leuiter inter ſe diſſentientes multi idem re ſentire exiſtimabant.

bant. Cicero in hoc libro de Platone loquens, Alter quia reliquit perfectiſsimam diſciplinam, Peripateticos, & Academicos nominibus differentes, re congruentes.

E LIBRIS DE FINIBVS BONORVM ET MALORVM.

Hæc uerba libri IIII. de finibus ſic leguntur in codi- 207
cibus ab Aſulano impreſsis, qui putantur cæteris emendatiores, Cúmq; duæ ſint artes, quibus perfecta ratio, & oratio compleatur, una inueniendi, altera diſſerendi, hanc poſteriorem & Stoici, & Peripatetici, priorem autē illi egregiè tradiderunt, Stoici omnino ne attigerunt quidem. cū in cunctis manuſcriptis & in reliquis ferè formis excuſis ubi illi habent STOICI OMNINO, &c. HI OMNINO legatur: quod ab illis factum arbitror qui libros eos correxerunt. Cum enim alibi neque apud Latinos, neq; apud Græcos fortaſſe autores hanc locutionem obſeruaſſent, & duriuſculam iudicaſſent, deprauatā eſſe exiſtimarunt, quod ſcilicet per ILLI, Peripateticos intellexerit: quæ dictio propinquior erat, & de quibus poſtremo locutus fuerat. per HI uerò Stoicos, quæ remotior. cum contrà plerunque fieri ſoleat. nam quin ita uerba illa intelligi debeant, dubium eſſe non poteſt. Quis enim neſcit Stoicos diſſerendi rationem, id eſt dialecticam diligenter perſecutos eſſe: inueniendi uerò artem, id eſt topicam totam reliquiſſe? docet hoc etiam Cicero in initio ſtatim Topicorum, ut alios nunc autores taceam. Ego cum rectam eſſe iudicem, antiquam lectionem in ſuum locum reuocaui. animaduerti enim ſæpe ſic luculentos ſcriptores dixiſſe, ut Ciceronem pro Roſcio Comœdo,

Quid eſt quòd negligenter ſcribamus aduerſaria? quid eſt quòd diligenter conficiamus tabulas? qua de cauſa? quia hæc ſunt menſtrua, illæ æternæ: hæc delentur ſtatim, illæ ſeruantur ſanctè: hæc parui temporis memoriã, illæ perpetuæ exiſtimationis fidem, & religionem amplectuntur: hæc ſunt deiecta, illæ in ordinem cõfectæ. Et Terentium Phormione, Quia non rete accipitri tenditur, neque miluio, Qui malè faciunt nobis: illis, qui nihil faciunt, tenditur. Quia enim in illis fructus eſt, in his opera luditur. Græcos uerò autores ſi diligenter attenderis, paßim inuenies ita eſſe locutos. duo nunc Ariſtotelis exempla proferam, quæ mihi notaui dum libros eius de anima quos Franciſcus Verinus doctißimus, & ſanctißimus ſenex interpretabatur, ſtudioſe audirem: libro ſecundo, ἔστι δὲ ὡς ἤδη λέγομεν ἐπιστήμονα τὸν ἔχοντα τὴν γραμματικὴν ἑκάτερος δὲ τούτων οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον δυνατός ἐστιν ἀλλ' ὁ μὲν ὅτι τὸ γένος τοιοῦτον καὶ ἡ ὕλη ὁ δὲ βουληθεὶς δυνατὸς θεωρεῖν ἂν μή τι κωλύσῃ. Et libro III. διατί γὰρ οὐκ ἕξει ἢ γὰρ τῇ ψυχῇ βέλτιον ἢ τῷ σώματι νῦν δὲ οὐδέτερον ἡ μὲν γὰρ οὐ μᾶλλον νοήσει, τὸ δὲ οὐδὲν ἔσται μᾶλλον δι' ἐκεῖνο.

263 Quem Tyberina decurſio feſto illo die tãto gaudio afficit, &c.) Meliores codices DISSENSIO, non DECVRSIO habent. Sed quid prodeſt hoc animaduertiſſe, cum locus ſit adhuc corruptißimus? Quare rectè fuit in Aſulana editione, ut deprauatus, & mancus, notula ſignatus. agitur autem de re (ut opinor) obſcura, & parum ab antiquis autoribus (quod ſciam) pertractata. Quid enim iuxta Tyberim, quod tantopere delectaret, gaudióque afficeret, gereretur, non mihi ualde compertum eſt. Declaratur autem uerbis Ciceronis magnas omnino corporis uoluptates eo loco capi ſolitas, & eas quidem certo quodam die, quem feſtum

ſtum ob eam rem agebant. Exiſtimo ſanè poſſe fieri ut aliquis qui maiore ſtudio, diligentiáque ritus, & mores antiquorum obſeruarit, aliquid quod hunc locum illuſtret, inuenerit, & hæc cauſa fuit cur adnotarem. propoſita enim hac quæſtione, aut qui hoc deprehenderit, alios docere animum inducet, aut aliquorum ingenia ad id inueſtigandum excitabuntur. Epigramma quoddam (ut quod ego hactenus indagaui, in medium proferam) ſatis argutum, & elegans, ſed parum integrum & purgatum Virgilij nomine legitur: in quo ſignificatur turpes quaſdam, & obſcœnas uoluptates propè Tyberim exerceri ſolitas eſſe, ut de eadem fortaſſe re hìc intelligi debeat, quod tamen non adfirmo: nihil enim mihi de hoc compertum eſt. uerſus eius epigrammatis in quibus de obſcœno hoc luſu mentio fit, hi ſunt,

Non me uocabis pulchra per Cotyttia
  Ad feriatos faſcinos:
Nec dein mouere lumbos in rotulam
  Prenſis uidebo altaribus
Flauum propè Tyberim, & olentis nauticum
  Vocare: ubi adpulſæ rates
Stant in uadis cœno retentæ ſordido,
  Macráque luctantes aqua.

Cotyttia autem ſacrificia fuiſſe à dea Cotye, quam Thraces præcipuè colebant, à Politiano quondam declaratum eſt, cui nocturnis peruigilationibus operabantur. Fuerunt autem ea ab Athenienſibus recepta: neſcio tamen an Romæ quoque coli, celebraríque ſint ſolita. Paulum autem Aemilium àb expeditione contra Perſen Macedonum regem redeuntem, Romam Tyberi intraſſe cum omni pompa, tanquam ſi triumphum ageret, diligenter docet Plutar-

chus extrema parte eius uitæ: quamuis locus ille mutilus, fractúſque ſit.

EX LIBRO PRIMO TVSCVL. QVAEST.

Pag. 286 Emori nolo, ſed me eſſe mortuum nihil æſtimo.) *Græcum uerſiculum* Epicharmi, *qui non ualde diſsimilem ſententiam habet, repperi. An autem ſit quem hic* Cicero *expreſsit, affirmare non audeo: nec tamen uehementer negauerim. is eſt apud* Sex. Empyricum *cap. quo differit* ὅτι τὸ περὶ τοὺς ποιητὰς καὶ συγγραφεῖς μέρος τῆς γραμματικῆς ἀσύστατόν ἐστιν. *eſt autem ſermo de* Epicuro: τὸ δὲ θάνατον ὅτι οὐδέν ἐστι πρὸς ἡμᾶς Ἐπίχαρμος αὐτῷ προσμεμήνυκεν εἰπών, ἀποθανεῖν ἢ τεθνᾶναι οὔ μοι διαφέρει. Poſterior *certè pars non potuit elegantius, aut fidelius reddi: priorum uerborum intellectus aliquantum à* Græca *ſententia diuerſus eſt.* Potuit *eam ſententiam* Cicero *magis amare, ut ſibi tunc aptiorem: nec enim tanta religione è* Græco *ille uertebat, quãta faciunt huius ætatis interpretes, qui ita ſententijs, & uerbis eius autoris, quem in* Latinum *conuertunt, addicti & conſecrati ſunt, ut tantulum ab illis declinare nefas eſſe putent. & fortaſſe rectè in multis autoribus: quamuis nõ in omnibus: nec enim omnia eodem modo tractari debent.*

289 Si aër eſt, fortaſſe diſsipabitur:) *Sermo eſt de animo, id eſt* περὶ ψυχῆς. *Exponit autem uarias diuerſorum opiniones de eius natura.* Quamuis *igitur ſententia eadem ſit: quia tamen alia ab hac recepta, uetuſta eſt lectio, uiſum eſt*

hoc

hoc non prӕterire. Pro AER *enim,* ANIMA *eſt in manu ſcriptis: quod ſanè ſincerum eſſe puto. animaduerti enim in laceris illis partibus quӕ reſtant libri de uniuerſitate, animam etiam pro aëre ſumptam eſſe: ſed hoc in antiquis exemplaribus perſpexi: nam in uulgaribus idem quod hic mendum inoleuerat. In illis autem ſic legitur, Quod tum eueniet, cum illa quӕ ex igni, aqua, anima, atque terra turbulenta, & rationis expertia inſederint, ratione depulerit. Capi autem ibi animam pro aëre dubium eſſe non poteſt, cum quatuor ea quӕ appellantur elementa nominentur: ſed ex Grӕco prӕcipuè codice manifeſtum fit, ubi illa eodem ordine exponuntur: & non multo infrà in iiſdem, Particulas ignis, & terrӕ, & aquӕ, & animӕ à mundo, quas rurſus redderent, mutuabantur. Cum autem Aer Grӕca uox ſit, quamuis uſu recepta pòſt fuerit à Latinis, uериſimile eſt ſuam etiam, & propriam quandam eos habuiſſe, qua illud elementum appellarent ante quàm hanc à Grӕcis mutuarentur. eam autem ego exiſtimo hanc fuiſſe, cuius fortaſſe uario multiplicique ſignificatu offenſi, Grӕca uti maluerunt. Quamuis autem omnibus notum eſſe poſſit (aërem) Grӕcum nomen eſſe, ut tamen certius hoc ſit, docet Cicero libro ſecundo de Natura deorum his uerbis, Principio enim terra ſita in media parte mundi, circunfuſa undique eſt hac animali, ſpirabilique natura cui nomen eſt aer. Grӕcum illud quidem, ſed receptum tamen uſu à noſtris: tritum eſt enim pro Latino. Item in particula primi libri quӕ reſtat librorum Academicorum ad Varronem. Itaque aer quoq; (utitur enim pro Latino) ignis, aqua, & terra prima. Adeo autem iam tunc inualuit Grӕcum huius elementi nomen, ut ſӕpius Grӕco, quàm Latino Romani uterentur: nunc autem Latinum adeò antiquatum eſt,*

& inuſitatum, ut ferè ab omnibus, ut ignotum repudie=tur, & deleatur. Animum autem ſæpius, quàm animam τὴν ψυχὴν *appellari à Cicerone compertum eſt: & ſic in antiquis exemplaribus locus ille in* I I I I. *de natu=ra* Deorum *legitur,* At *enim quærit apud* Xenophon=*tem* Socrates *unde animum arripuerit, ſi nullus fuerit in mundo.*

313 Eius autem, quem dixi Egeſiæ liber eſt ἀποκαρτερῶντα-τος: (Vetuſta lectio ἀποκαρτερῶν quam genuinam eſſe pu=to. nam etiam interpretatio Ciceronis ipſi egregie reſpon=det, quæ nullo modo (niſi fallor) alteri lectioni accommo=dari poteſt. Is eſt enim ἀποκαρτερῶν, qui à cibo abſtinet, & per inediam uitam finit. Plut. in Pericle, καὶ μέν τοιγε λέγουσιν τὸν ἀναξαγόραν αὐτὸν ἀσχολουμένου περικλέους κεῖσθαι συγκεκαλυμμένον ἤδη γηραιὸν ἀποκαρτεροῦντα. Idem Symp. 856. διὸ καὶ πολὺν ζῶσιν χρόνον ἔνιοι τῶν ἀποκαρτερούντων ἂν ὕδωρ μόνον λαμβάνωσιν. Collima=chi autem epigramma de quo paulò ſuprà loquitur, eſt apud Hammonium in commentarijs in libellum Porphyrij. In=quit enim, κλεόμβροτος γάρ τις ὀνόματι ἐγκύψας τῷ τοῦ πλάτωνος φαίδωνι καὶ ὅτι μὲν δεῖ τὸν φιλόσοφον θάνα-τον μελετᾶν γνοὺς: ὅτῳ δὲ τρόπῳ δεῖ μὴ γνούς, ἀνελ=θὼν ἐπὶ τείχους ἑαυτὸν κατεκρήμνισε: τούτου μαρτύριον ὃ εἰς αὐτὸ τὸ ἀμβράκιον τὸν μειράκιον ἐκθέμενος ἐπίγραμ-μα ποιητὴς φησὶ γάρ,

Εἴπας ἥλιε χαῖρε κλεόμβροτος ἀμβρακιώτης,
Ηλλατ᾽ ἀφ᾽ ὑψηλοῦ τείχεος εἰς ἀΐδου
Αξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου κακὸν, ἀλλὰ πλάτωνος
Εν τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ᾽ ἀναλεξάμενος:

318 Qui cum coniectus in carcerem triginta iuſſu tyranno=rum, uenenum, ut ſitiens, obbibiſſet:) Cuncti ueteres co=

dices

dicès OBDVXISSET habent: quin & Germani ita quoque & ipſi adnotant, ut qui ex aliquo antiquo exemplari id hauſerint. Tanta eſt autem uarietas huius uerbi ſignificatorum, ut mirum etiam uideri non debeat, hìc pro (celeriter abſorpſiſſet) ut puto, poſitum eſſe. cur enim credendum facile ſit omnibus libris idem mendum inſediſſe? alijs autem fortaſſe locis eandem uim habere uerbum id inuenietur. nam libro XVI. ad Atticum, neſcio quid ſimile omnino ſonat, cum inquit, VIII. Calend. igitur ad Sicam, ibi tanquam domi meæ ſcilicet: itaque obduxi poſterum diem. Tantoperè enim ſe ibi delectatum eſſe, & tam commodè dicit manſiſſe, ut poſterum etiam diem penè contra uoluntatem ſuam ibi conſumpſerit. omnino exiſtimo locum ita legi debere, & hanc rectam eſſe lectionem: olet enim ea quiddam ſincerum prorſus, & elegans, quamuis apertè uim & rationem eius explanare non poßim. Hic autem miſerabilis Theramenis exitus accuratè narratur à Xenophonte libro II. de rebus Græcorum, nam & ille hominem admiratur, qui tam forti, & læto animo de uita diſceſſerit, ut iocari etiam in extremo ſpiritu potuerit. Quare non inutile eſſe arbitror cum eundem locum ambo hi præclarißimi autores diligenter pertractent, uerba hic Xenophontis apponere, que ſunt hæc, καὶ ἐπεί γε ἀποθνήσκειν ἀναγκαζόμενος τὸ κώνειον ἔπιεν τὸ λειπόμενον ἔφασαν ἀποκοτταβίσαντα εἰπεῖν αὐτὸν, Κριτίᾳ τοῦτ' ἔστω τῷ καλῷ καὶ τοῦτο μὲν οὐκ ἀγνοῶ ὅτι ταῦτα ἀποφθέγματα οὐκ ἀξιόλογα, ἐκεῖνο δὲ κρίνω τοῦ ἀνδρὸς ἀγαστὸν τὸ τοῦ θανάτου παρεστηκότος μήτε τὸ φρόνιμον μήτε τὸ παιγνιῶδες ἀπολιπεῖν ἐκ τῆς ψυχῆς. Quod autem Græci uno uerbo comprehendunt τῷ ἀποκοτταβίζειν ſcilicet (nam propter hoc etiam non incommodum

fuiſſe puto hos locos contuliſſe) Cicero ipſe coactus eſt plu=ribus uerbis exprimere. Erat *autem luſus quidam in con=uiuijs Græcorum, quem* κότταβον *appellant talis, Col=locabant uas in medio, & reliquum uini quod erat in po=culo cum biberant, ita in illud proijciebant, ut magnum ſonum ederet.* Pleni *ſunt Græcorum libri huius nominis, & moris.* Athenæus *libro* x. δειπνοσοφιστῶν *à* Siculis *hoc genus luſus fluxiſſe tradit: inquit enim,* ἦσαν καὶ τῶν δὲ ἀκράτων ἐπιχύσεις, ὥς φησι Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ μέθης, οὐ παλαιαί, ἀλλ᾽ ἦν ἀπ᾽ ἀρχῆς τὸ μὲν σπένδειν ἀποδεδομένον τοῖς θεοῖς, ὁ δὲ κότταβος τοῖς ἐρωμένοις: ἐχρῶντο γὰρ ἐπιμελῶς τῷ κοτταβίζειν ὄντος τοῦ παιγνίου σικελικοῦ καθάπερ καὶ ὁ ἀνακρέων ὁ τήιος πεποίηκε σικελικὸν κότταβον ἀγκύλῃ παιζών. ἀγκύλην *autem pocu=li genus fuiſſe ad hunc luſum exercendum accommodatum do=cet* Heſychius, *qui etiam exponit quanta induſtria, & ar=tificio id facerent: inquit enim,* Qui *cottauos eijciebant, dextram manum curuabant, in orbem ipſam quammaxime fieri poterat decenter formantes: ob hoc tanquam ob præ=claram, & honeſtam quampiam rem ſibi placentes.* Liba=*bant igitur à primo hoc merum pueris quos amabant: un=de* Theramenes *(ut opinor) inquit,* Pulchro *hoc* Critiæ *propino. nam* Athenæus *citat etiam eo loco* Pindarum, *qui* ἀγάθωνι καὶ καλῷ κότταβον *dicit: quamuis* Cicero *uidetur aliter hunc locum intellexiſſe, cum morem eum exponens dicat,* Græci *enim in conuiuijs ſolent nominare cui pocu=lum tradituri ſint.* Sed *ſi attentè conſideres* Xenophon=*tis, &* Pindari *uerba, & primum ortum huius luſus à* Theo=*phraſto traditum, non inelegantius fortaſſe putabis allu=ſiſſe* Theramenem *ad antiquam conſuetudinem amoribus, & delicijs ſuis hoc merum libandi. Cur enim &* Thera=

menes

menes ipſe & Pindarus καλῷ *addidiſſent, niſi hoc innuere uoluiſſent?*

Dic hoſpes ſpartæ, &c.) Græcos Simonidis uerſus quos 328
Cicero ſic interpretatus eſt, legimus in oratione quadam Lycurgi aduerſus Leocratem. ſunt autem hi,

ὦ ξεῖν᾽ ἄγγειλον λακεδαιμονίοις ὅτι τῇδε
κείμεθα τοῖς κείνων πειθόμενοι νομίμοις.

Sed & in uolumine epigrammatum ſunt, quamuis paululum immutati, in uerbis quæ ſequuntur, Quid ille dux Leonidas dicit? Vereor ne mendum ſit: nam manuſcripti codices LEONIDAS *non habent, ſed pro illa uocem parum ſinceram (ut arbitror)* SEMIDEA *ſcilicet, è qua ſanè ego nihil elicere ulla ratione potui quod hîc accommodatum uideretur: nec tamen occulere uolui hanc omnium quos uidi paulò antiquiorum librorum, licet inquinatam lectionem. nam & per ſe recepta uerba, non parum mihi ſuſpecta ſunt. ſi enim proprium nomen ponere uoluiſſet, non dixiſſet (ut opinor)* ILLE DVX. *cum autem ſic loquatur, uidetur potius illum deſcribere, & innuere uoluiſſe, quàm nominare. quare adpoſitum potuit tertium illud nomen eſſe, quo certius Leonidas ſignificaretur: ſæpe enim claras, & illuſtres perſonas ſic innuit Cicero. Non poterat autem obſcurum eſſe, quem intelligeret ex eius dicto, quod ſibiungit à plurimis autoribus celebrato, in quibus Plutarchus ſic illud exponit in libello quo Spartanorum apophthegmata complexus eſt,* τοῖς δὲ στρατιώταις παρήγγειλεν ἀριστοποιεῖσθαι, ὡς ἐν ἅδου δειπνοποιησομένους. *Eſt omnino quiddam quod fortaſſe exprimere neſcio, quod me ualde dubitare facit, ne locus contaminatus ſit, cui accedit ueterum librorum fides non parui apud me ponderis. Sæpe enim & illi quamuis deprauati ſint, quum ualde diſſonant*

ſonant ab impreßis, argumento eſſe poſſunt, uitium aliquod ſubeſſe in uulgata lectione, quamuis ea plana prima ſpecie uideatur. An meritò hæc ſuſpicio mihi orta ſit eruditiores cenſebunt.

325 Nam nos decebat, &c.) *Quia Cteſiphontes fabula Euripidis, & multæ aliæ eiuſdem ita ſapientis poëtæ ut ſcenicus Philoſophus uulgò appellatus ſit, uetuſtate & hominum negligentia perijt, non iniucundum fore arbitror, ſi Græcos eius uerſus quibus hanc ſententiam expreßit, adpoſuero, inuentos à me apud Sex. Empyricum, lib. III. cap.* τίς ἐστιν ἡ λεγομένη τέχνη περὶ βίον. *ſic enim inquit,* ἔνιοι γὰρ καὶ βέλτιον εἶναι τὸ ἀποθανεῖν τοῦ ζῆν ἡμᾶς ὑπολαμβάνουσιν: ὁ γοῦν εὐριπίδης φησὶν.

Ἀλλ' ἐχρῆν ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
Τὸν φύντα θρηνεῖν, εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά:
Τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ κακῶν πεπαυμένον
Χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

Fabulam autem de Sileno capto à Mida Rege Ariſtoteles multis uerbis expoſuit, in libro cum titulus erat Eudemus, uel de animo, quem totum locum Plutarchus accepit, in conſolatione ad Apollonium: poſtremam tantum hic eius partem adfigam. nam & ualde hic apta & egregiè ab eo narrata eſt, τοῦτο μὲν ἐκείνῳ τῷ μίδᾳ λέγουσι δήπου μιδὰ τὴν ἧτταν ὡς ἔλαβε τὸν σειληνὸν διερωτῶντι, καὶ πυνθανομένῳ τίποτ' ἐστὶ τὸ βέτιον τοῖς ἀνθρώποις καὶ τί τὸ πάντων αἱρετώτατον, τὸ μὲν πρῶτον οὐδὲν ἐθέλειν εἰπεῖν ἀλλὰ σιωπᾶν ἀρρήτως: ἐπειδὴ δέποτε μόλις πᾶσαν μηχανὴν μηχανώμενος προσηγάγετο φθέγξασθαί τι πρὸς αὐτὸν οὕτως ἀναγκαζόμενον εἰπεῖν: δαίμονος ἐπιπόνου καὶ τύχης χαλεπῆς ἐφήμερον σπέρμα, τί με βιάζεσθε λέγειν ἃ ὑμῖν ἄμεινον μὴ γνῶναι, μετ' ἀγνοίας

ιας γὰρ τῶν οἰκείων κακῶν ἀλυπότατος ὁ βίος ἀνθρώποις ἢ πάμπαν οὐκ ἔστι γενέσθαι τὸ πάντων ἄριστον, οὐδὲ μεταςχεῖν τῆς τοῦ βελτίστου φύσεως ἄριστον γὰρ πᾶσι καὶ πάσαις τὸ μὴ γενέσθαι τὸ μέντοι μετὰ τοῦτο καὶ τὸ πρῶτον τῶν ἄλλων ἀνυστὸν δεύτερον δὲ γενομένους ἀποθανεῖν ὡς τάχιστα. Sed & conſequentem fabulam de Eliſio Terineo (à patria autem ita ille appellatus eſt: nam Terina urbs fuit in agro Crotonienſi) in eodem commentario Plutarchus prolixe narrat. Quare ne longior ſim eam omittam. poteſt, qui diligentius ipſam explicatam uidere uult, ibi eam legere. tres tantum uerſiculos, quos Cicero & ipſe uerſibus reddit, adponam: etſi mendoſiores ſunt (niſi fallor) in excuſis Plutarchi codicibus. Sunt autem hi,

ἦρου νήπιε ἠλύσιε φρένας ἀνδρῶν
Εὐθύνοος κεῖται μοιριδίῳ θανάτῳ,
οὐκ ἦν γὰρ ζώειν καλὸν αὐτῷ οὔτε γονεῦσιν.

Exiſtimo autem LETO *ſine diphthongo in ipſorum interpretatione ſcribi debere, ut (Potitur leto) mortuus eſt, ſignificet. Munere autem fatorum: quia mors illa fatalis fuerit, & non præter naturam, præterque fatum, quemadmodum ille ſuſpicabatur. nam ſic expreßiſſe Ciceronem credendum eſt uerba hæc poſterioris uerſus, κεῖται μοιριδίῳ θανάτῳ.*

EX LIBRO SECVNDO.

Nam cum ex renibus laboraret) Sermo eſt de Dionyſio 353
illo quem Græci appellarunt μετατιθέμενον, tanquam transfugam quòd Stoicos deſeruiſſet, & ad Cyrenaicos ſe tranſtuliſſet. Cauſam ei fuiſſe huius inconſtantiæ Cicero hic tradit morbum renum, diſſentiens & à ſeipſo, & à Diogene Laërtio: nam & ipſe in ultima parte quinti libri de finib. ſic ſcribit, Nobis Heracleotes ille Dionyſius flagitio

gitioſe deſciuiſſe uidetur à Stoicis propter oculorum dolorem. Et Laërtius in uita Zenonis, cum eius auditores recenſeret, inquit, διονύσιος ὁ μεταθέμενος εἰς τὴν ἡδονὴν διὰ γὰρ σφοδρὰν ὀφθαλμίαν ὤκνησεν ἔτι λέγειν τὸν πόνον ἀδιάφορον οὗτος ἦν ἡρακλεώτης. Nec non in uita Erilli idem confirmauit, διονύσιος δὲ ὁ μεταθέμενος τέλος εἶπεν τὴν ἡδονὴν διὰ περίστασιν ὀφθαλμίας, Quòd autem Cicero uariè de eodem tradiderit, accidere potuit quia fortaſſe alij etiam Græci autores, aliter de eo locuti ſint: uel fuit μνημονικὸν ἁμάρτημα. cuiuſmodi errores & parui omnino momenti ſunt, & ab eo qui multa ſcribat, ægrè uitari poſſunt.

361 Nec abſurde Crantor ille, &c.) Verba Græca Crantoris ex aureolo illo (ut puto) libello de luctu inueni apud Plutarchum in commentario quod ſcripſit ad Apollonium, conſolans illum de acerbo obitu filij. quæ adducere operæ pretium mihi uiſum eſt: ſunt enim & polita, & diſerta, & noſtram lectionem corroborant, quæ una & eadem eſt atque Aſulana: ab eo enim quicunque ille fuit, qui hos libros caſtigauit, locus hic reſtitutus eſt, cum in alijs omnibus flagitioſe deprauatus antea legeretur: etſi uereor adhuc ne aliquid mendi reſtet ea parte, NE EGROTVS SIM, INQVIT, SED SI FVERIM SENSVS ADSIT: ſed quod magis uerba contaminet, quàm ſententiam immutet. Nam ſic potius legitur in antiquis exemplaribus, NE EGROTASSIM, SIN QVID FVERIT, SENSVS ADSIT. Hæc autem lectio magis congruit Græcis uerbis, ut uidebis, & cum paulò ſuprà INQVIT dixiſſet: quid attinuit hic iterum inutiliter repetere? Græca uerba hæc ſunt: μὴ γὰρ νοσοῖμεν φησὶν ὁ ἀκαδημαϊκὸς κράντωρ· νοσήσασι δὲ παρείη τις αἴσθησις,

εἴτ' οὖν τέμνοιτό τι τῶν ἡμετέρων εἴτ' ἀποσπῷτο. τὸ γὰρ ἀνώδυνον τοῦτο οὐκ ἄνευ μεγάλων ἐγγίνεται μισθῶν τῷ ἀνθρώπῳ, τεθηριῶσθαι γὰρ εἰκὸς, ἐκεῖ μὲν σῶμα τοιοῦτον, ἐνταῦθα δὲ ψυχήν. Eundem finem habent utræque citationes, non idem tamen principium. primam enim ſententiam omiſit Plutarchus quæ à Cicerone poſita eſt, uel potius ſex uerſus ſuprà, cum nondum Crantoris mentionē feciſſet, collocauit. Exiſtimo enim eius illa uerba eſſe quæ Plutarchus ut ſua protulit, id eſt non citato autoris nomine, quæ tamen facile cuius eſſent cognoſci poterant. In manibus enim omniū erat mirabiliter probatus libellus ille, quemadmodum narrat etiam Laërtius in eius uita, his uerbis, θαυμάζεται δὲ αὐτοῦ μάλιστα βιβλίον περὶ πένθους. Intelligo autem hæc, οὐ γὰρ ἔγωγε συμφέρομαι τοῖς τὴν ἄγριον ὑμνοῦσιν καὶ σκληρὰν ἀπάθειαν ἔξω καὶ τοῦ δυνατοῦ, καὶ τοῦ συμφέροντος οὖσαν. Quis enim non uideat uerba hæc Ciceronis? Minime aſſentior his qui iſtā neſcio quam indolentiam magnopere laudant, quæ nec poteſt eſſe ulla, nec debet de ſuperioribus Græcis expreſſa eſſe: nec enim fidelius aut elegantius eorum ſententia reddi potuit. Quamuis autem Plutarchus μὴ νοσεῖ μὲν φησὶν dixit. ego autem ſuprà cenſuerim illud INQVIT illinc tollendum eſſe (in Latina dico interpretatione) non aduerſatur id opinioni meæ, cum illic omnino poni debuerit, ubi autoritas Crantoris adducebatur. Quare cum Plutarchus eo loco teſtimonium Crantoris produxerit, rectè ibi collocauit. Cicero uerò qui à ſuperiore ſententia initium fecerat, debuit, ubi uerba eius recitare incæpit, illic ſolum ponere.

Nam qui hæc audita à docto meminiſſem uiro.) Græ- 369
cos Euripidis uerſus quos hic Cicero elegantiſſime interpretatur, repperi apud Plutarchum in conſolatione ad

Apol

Apollonium: eos hic apponere uolui. nec enim in his, quæ reſtant eius poëtæ fabulis, memini hos unquam legiſſe: & ualde utile eſſe puto, huiuſcemodi loca à Cicerone conuerſa, cum Græcis conferre. Digni autem ſunt illi qui à prudentiſsimis, & clariſsimis autoribus uehementer laudentur, & ad uitam inſtituendam adducantur. tam ſapiens enim eſt eorum ſententia, ut meritò iudicet Cicero illos Euripidem protuliſſe ex Anaxagoræ opinione & mente. Sic Plutarchus, καλῶς γὰρ ὁ παρὰ τῷ Εὐριπίδῃ Θησεὺς παρασκευάζειν φαίνεται πρὸς τὰ τοιαῦτα· ἐκεῖνος γάρ φησιν,

ἐγὼ δὲ παρὰ σοφοῦ τινος μαθὼν
εἰς φροντίδας, εἰς συμφορὰς ἐβαλλόμην,
φυγάς τ' ἐμαυτῷ προσθεὶς πάτρας ἐμᾶς,
θανάτους τ' ἀώρους, καὶ κακῶν ἄλλας ὁδοὺς,
ἵν' ἔτι πάσχοιν, ὧν ἐδόξαζον φρενὶ
μή μοι νεαρὸν προσπεσὸν μᾶλλον δάκῃ.

372 Solent enim iſti negare, nos intelligere quid dicat Epicurus. Hoc dicit, & hoc ille Græculus me audiente Athenis ſenex Zeno iſtorum acutiſsimus, &c.) Poſſum falli: quid tamen ſentiam de hoc loco, reticere nolo. Ego puto in dictione illa GRÆCVLVS uitium eſſe, atque id quidem non paruum, nec quod facilè tolli queat. non enim illum contemnit, & irridet, ut ob id Græculum appellet, quem acutiſsimum eſſe tradit, & cuius autoritatem adducit, ut planum faciat ſe optimè ex eius uerbis & declaratione tenere quid ſentiat Epicurus de uoluptate. Multos uidi manu ſcriptos codices qui omnes hac parte inquinati ſunt: ſic enim ferè habent AGRICOLVS, quo nihil deprauatius prima ſpecie eſſe poſſe uidetur. Aliqui autem exiſtimarunt (ut opinio mea eſt) uocem illam corrigi poſſe

ſi ex

ſi ex ea (græculus) fieret (à quibus uehementer diſſentio) unde nunc in omnibus impreßis ita legitur. Quamuis non ualde eam probem, libet tamen ſuſpicionem quandam proferre, Vidēdum eſt an ACROCHOLVS *potius legi debeat. ita enim appellatur homo iracundior, & qui propter paruam offenſam in iram commouetur, & denique præter alios eſt Oxycholus, & aſperioris naturæ. Verbum hoc apud Græcos frequens eſt, & notißimum. Ariſtophanes in equitibus,* νῶν γὰρ ἔστι δεσπότης ἄγροικος ὀργὴν κυαμοτρὼξ ἀκρόχολος. *Fecerunt me hoc ſuſpicari, uerba quæ ſtatim infert,* CONTENDERE ET MAGNA VOCE DICERE SOLEBAT. *Hoc enim ſignū eſt talis ingenij, in diſputationibus uehementer iraſci, & clamores tollere. Sed & Cicero in primo de legibus, de Attico loquens, qui ei rationi deditus erat, & iſtorum familiarißimus, Atqui cauendum eſt: ſolent enim, id quod uirorum bonorum eſt, admodum iraſci. Cum tamen non facile ſoleat uti Cicero in Latino ſermone uerbis Græcis, non poſſum ualde hanc emendationem probare. Quod potui ad hunc locum adiuuandum, in medium protuli: ſiquis acutiora excogitarit: ſiue in uulgari & receptā lectione tuenda, ſiue in meliore reſtituenda, is ea reliquos docere animum inducat.*

Αὐλῶν *hortabere ut audiat uoces potius quàm Plato-* 374
nis?) Sic habent Veneti codices: Germanici HYDRAVLORVM. *Antiquiores quoſcunque uidi* HYDRAVLEOS *retinent: quam puto multo ſinceriorem eſſe lectionem. nomen autem hoc eſt nobilißimi inſtrumenti muſici, cuius Cteſibius Alexandrinus repertor fuiſſe traditur: ita appellati, quòd eius fiſtulæ ab aqua flatum acciperent. nam in aquam ima parte uerſæ erant, qua commota, & pertur-*

bata ab adoleſcentulo quopiam, in illa ſpiritus effundebatur, qui ſua uiſsimum ſonum reddebat. Deſcribitur hoc accuratiſsimè à Vitruuio, & omnino ualde ſimile fuiſſe perſpicitur ei, quod nunc nos communi omnium muſicorum inſtrumentorum genere, uulgò Organũ appellamus, niſi quòd in noſtro nullus aquæ eſt uſus. Athenæus libro quarto δειπνοσοφιςῶν, *diligenter & ipſe de eo agit, & ſuauem, iucundúmque admodum ſonum edere tradit. Adducit præterea Ariſtoclis ex libro* περὶ χορῶν *diſputationem quandam, inter quæ referri debeat inſtrumentum hoc: inter eáne, quæ muſici appellabant* ἐμπνευςὰ, *an inter ea quæ* ἐντατὰ *dicebantur. Nam quia ex utroque genere conſtare uidebatur, de hoc magna quæſtio erat: docet autem ibi ille eius formam, & nonnulla alia, quæ qui ſcire uolet, apud eum poterit legere.*

375 *Pſaltriam adducamus, cedrum incendamus:) Aliter habent ueteres libri, nec manu ſcripti tantùm, ſed etiam primarum impreſsionum.* HEDYCHRVM *enim, non* CEDRVM *retinent, quæ uox cum aliquanto ignotior ſit, ſublata fuit culpa, ut puto, eorum qui cuncta in quæ non paſsim incidunt, deprauata eſſe cenſent. Cum enim nõ multo antè legiſſent, Incẽdes odores, & ſertis redimiri iubebis. & lib. etiam* V. *Aderant unguenta, coronæ, incendebantur odores: ſic ſemper crediderunt eſſe legendum, cum uериſimile ſit aliquando etiam Ciceronem orationem uariare uoluiſſe. Non poſſum autem cogitare, quomodo hoc nomen in antiquioribus omnibus exemplaribus integrum inueniatur, & unde huc obrepſerit, niſi legitimum ſit huius loci. non enim eſt uulgi uerbum, ut facile credi debeat huc ab aliquo inculcatum, ſed & Græcum, & elegans. Solum non parum ſcrupuli adfert, quòd inter unguenta potius*

quàm

quàm odoramenta Hedychrum à medicis recenſetur: unde ita appellatum uolunt quòd gratam aſpectu, ſuauémque & nitidam cutem redderet, ac bonitatem coloris præſtaret.

Nec ſiletur illud potentiſsimi Regis Anapæſtum, qui laudat ſenem, & fortunatum eſſe dicit, &c.) Intelligit Agamemnonem. *Eſt autem hoc carmen apud* Euripidem Iphigenia in Aulide. *Cum enim ſenex* Agamemnoni *fideliſsimus uidiſſet illum ſilente nocte ſolum ambulantem extra tentorium, miratur rei nouitatem, & hortatur ut intra tectum ſe referat, cui ſic* Agamemnon *reſpondet,* ζηλῶ σε γέρων ζηλῶ δ' ἀνδρῶν ὃς ἀκίνδυνον βίον ἐξεπέρασ' ἀγνὼς ἀκλεής· τοὺς δ' ἐντιμοὺς μᾶλλον ζηλῶ, *quem locum hic* Cicero *eleganter expreſsit.* ζηλῶ *autem quomodo reddat (quod uerbum non facilè poteſt uno* Latino *uerbo exprimi) planum eſt:* ζηλῶ σε *enim (niſi fallor) eſt,* Qui tu es, ego eſſe uelim, *& beatum te iudico, qui in iſta conditione uitæ ſis.* Ita *etiam reſpondet nutrix* Medeæ *apud eundem poëtam pedagogo, cum ille oſtendiſſet ſe putare infortunia* Medeæ *terminum iam habere: ſic enim inquit,* ζηλῶ σ' ἐν ἀρχῇ πῆμα, κοὐδέπω μεσοῖ, *id eſt,* Quàm uellem in ea qua tu es *huius rei ignoratione uerſari: & fortunatum te iudico, qui hæc mala neſcias.* Eſt *autem familiariſsimus modus dicendi, ut nos etiam conſueuimus dicere,* O te beatum, qui ita *ſentias.* Euripidis *ſenarios qui paulò pòſt ſunt à* Cicerone *Latini facti, citat* Plutarchus *in conſolatione ad* Apollonium, *eorúmque ſententiam laudat,* οὐ φαύλως γὰρ ἂν δόξειεν ὁ παρὰ τῷ ποιητῇ ἀμφιάρεως παραμυθεῖσθαι τὴν ἀρχεμόρου μητέρα δυσχεραίνουσαν ὅτι νήπιος ὢν ὁ παῖς καὶ ἄγαν ἄωρος ἐτελεύτησε φησὶ γὰρ οὕτως, ἔφυ μὲν οὐδεὶς ὅστις οὐ πονεῖ βροτῶν καὶ θάπτει τέκνα χἄτερος αὖ κτᾶται νέα αὐτός τε θνήσκει καὶ τάδ' ἄχθονται βροτοὶ εἰς

γῆν φέροντες γῆν ἀναγκαίως δ' ἔχει βίον θερίζειν ὥστε κάρπιμον στάχυν καὶ τὸ μὲν εἶναι τὸν δὲ μή. τί ταῦτα δεῖ στένειν ἅπερ δεῖ κατὰ φύσιν διεκπερᾶν; δεινὸν γὰρ οὐδὲν τῶν ἀναγκαίων βροτοῖς. *tres autem poſtremos uerſiculos non interpretatur Cicero.*

E LIBRO QVARTO.

398 Voluptati maleuolentia lætans malo alieno:) *Sic in omnibus priſcis nouiſque quæ uidi exemplaribus.* Non. *tamen Marcellus pro(lætans,) lactans legit, cum uerbum lactare(quod ei eſt inducere uel mulcere, uel decipere) exponeret, hunc locum adducens.* Nec *tamen contemnenda eſt recepta lectio: nam cùm ex opinione Stoicorum Cicero loquatur, qui quatuor genera perturbationum eſſe dicerent, his nominibus ab ipſis appellata,* λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν, ἡδονήν. *(ipſe quomodo nominet planum eſt) & ſingulis generibus partes plures ſubijcerent: ut alias nũc omittam,* ἡδονῇ, *id eſt uoluptati(quamuis quandoque lætitiam Cicero interpretur) ſubijciebant* κήλησιν, ἐπιχαιρεκακίαν, τέρψιν, διάχυσιν, *ut docet Laërtius in uita Zenonis.* Po*tuit igitur reddere, uerbum è uerbo ducens,* ἐπιχαιρεκακίαν, *maleuolentiam lætantem malo alieno.* Nec *tamen lectionem Marcelli propter eius autoritatem improbo: quamuis uereor ne multis locis deprauatum ſit exẽplar quod in manibus omnium eſt: ita enim legit & exponit nonnullos locos Ciceronis, ut uix uideantur illo modo poſſe intelligi, niſi omnia mendorum: & peruerſionum plena ſunt.*

399 Diligentia libido rerum ipſarum eſt:) V*idetur omnino* INDIGENTIA *legendum eſſe. Cum enim partes libidinis expoſuiſſet, iram, excandeſcentiam, odium, inimicitiam*

tiam, indigentiam, deſiderium: alio etiam pacto eoſdem) Stoicos inquam) has res diſtinguere dicit, ut neceſſe ſit res ſuprà explicatas iterum tractare. Dixerat autem Indigentiam eſſe libidinem inexplebilem: reddiderátque Indigētiam (niſi fallor) quam illi appellabant σπάνιν: *ſicq́; definiebant autore Laertio,* σπάνις ἐστὶν ἐπιθυμία τις ἐν ἀποτεύξει καὶ οἷον κεχωρισμένη ἐκ τοῦ πράγματος τεταγμένη δὲ διακενῆς ἐπ' αὐτὸ καὶ σπωμένη. *Quare ex hac ipſius etiam Græca definitione mihi uidetur ſic, ut emendauimus, omnino locus ille legi debere. quem enim ſenſum hic* DILIGENTIA *habere poterat?*

E LIBRO QVINTO.

Vitam regit fortuna non ſapientia:) Græcum uerſum qui hanc ſententiam continet, & quem Theophraſtus mirificè laudabat, uideor mihi reperiſſe. hunc enim eſſe puto, τύχη τὰ θνητὰ πράγματ' οὐκ εὐβουλία: *aduerſus quem Plutarchus grauiſsimus autor, accuratè commētarium ſcripſit. propoſito enim illo ſummo ſtudio, eius ſententiam refellere conatur, Eſt etiam inter ſenarios eos uariorum poëtarum, quos Menander neſcio quis, collegiſſe uidetur ad humanam uitam inſtituendam, quòd præcepta, & officia quædam tradant hominibus non inutilia. nunc autem quia pueris eos more quodā legunt magiſtri, à reliquis negliguntur. Theophraſtum in Calliſthene adducit Alexander Aphrodiſienſis in fine poſterioris libri de anima. inquit enim* φανερῶς γὰρ ὁ Θεόφραστος δείκνυσι ταὐτὸν ὂν τὸ καθ' εἱμαρμένην τῷ κατὰ φύσιν ἐν τῷ Καλλισθένει. *Verba etiam Græca Metrodori, quæ Cicero non longè ab hoc loco ſic interpretatus eſt, Occupaui te fortuna, atque cepi, omnes adi-* 435

tus tuos intercluſi, ut ad me aſpirare non poßis, adducit Plutarchus in commentario de tranquillitate animi, quamuis autorem celet. Nam & ipſe quemadmodum Cicero ſententiam probat: dolet tamen ut ſuſpicari licet, ab eo dictam, quem non amabat. Sunt autem hæc, προκατείλημμαί σε ὦ τύχη καὶ πᾶσαν τὴν σὴν ἀφῄρημαι παρείσδυσιν.

439 Neque enim lætabitur unquam) Initium eſt hoc duorum ſenariorum, quos ut facilius animaduerti & diſtingui poſſint, ſeparatim imprimendos curauimus. Fuit enim hæc ſententia uetus (nam ut prouerbium ferebatur) quam Plato hic adduxit, & numeris comprehēſa erat: ideóque Cicero etiam totidem uerſiculis eam expreßit. παροιμίαν autem Cicero Præceptum interpretatus eſt: ſic enim eſt apud Platonem: πείσεται τῇ παροιμίᾳ, οὔτε γὰρ χαίρων οὔτε λυπούμενος ἄγαν φανήσεται διὰ τὸ αὑτῷ πεποιθέναι. Sed ne·que in Græco Platonis codice diſtincti ſunt, aut aliqua nota indicati: numeris tantùm & in Græco & in Latino ſermone uerſus eſſe, qui præceptum illud continebant, declarabatur.

443 Et ea quæ Euryclia laudat, Vlyßi pedes abluens:) In cunctis manu ſcriptis codicibus, & in nonnullis etiam impreßis, ANTICILIA legitur. Sic autem appellabatur Vlyßis mater: ſed ea nuſquam neque apud Homerum, neque alium ullum poëtam (quod ſciam) inducitur filij pedes abluere. Quare aut erratum hoc fuit librariorum aut μνημονικὸν ἁμάρτημα Ciceronis, cuiuſmodi quædam alia ab alijs animaduerſa ſunt. Huiuſcemodi erratum eſt in Plinij libro x. cap. XVI. ſiue illud memoriæ lapſu ab autore commiſſum ſit, ſeu poſtea librariorum imperitia ortum, quod potius puto: nam uetuſtos uidi codices qui rectam lectionem retinebant: nunc tamen (quod miror) etiam qui creduntur

caſtigatiores,

caſtigatiores, id mendum habent. Hæc illius uerba, Nota *etiam* Homero *fuit*, Trogete *uocatur, ab alijs* Thyă. Hanc *igitur inter odores uri tradit in delicijs* Circes, *quam deam uolebat intelligi, magno errore eorum, qui odoramenta in eo uocabulo accipiunt, cum præſertim eodem uerſu cedrum, laricémque unà tradat, in quo manifeſtum eſt de arboribus tantùm locutum.* Locus *autem* Homeri, *quem* Plinius *intelligit, eſt in libro quinto* Odyſſeæ. Sic *enim inquit,* πῦρ μὲν ἐπ' ἐσχαρόφιν μέγα καίετο τηλόσε δ' ὀδμὴ: κέδρου τε εὐκεάτοιο θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει, καιομένων. (Calypſonis) *igitur, non* (circes) *legendum, ibi enim de ea ſermo eſt: id autem tam manifeſtum, ut amplius declarare non oporteat.* Quod *autem* Plinius *argumentatur eſſe* Homero (Thyon) *arborem, non odoramentum, quia eodem uerſu cedrum laricémque unà tradat, explicare me non poſſe fateor. nec enim (ut patet) eo uerſu, aut alio qui circa ſit, mentio ulla fit de* Larice. Locum *autem illum in eo* poëta, *corruptum eſſe non facile mihi perſuadeo.* Sitne *igitur in hoc etiam* Plinij *memoria culpanda, aut potius de librariorum negligentia querendum, apud me conſtituere non poſſum.* Euryclia *autem (ut ad* Ciceronem *redeam) quemadmodum nunc legitur, nomen eſt* Vlyßis *nutricis, quæ in* XIX. *libro* Odyſſeæ, *iuſſu* Penelopes, *eius pedes abluit, quo in miniſterio illum ex cicatrice agnouit.* Verum *ea nullibi hæc in eo laudat, quæ* Cicero *hîc dicit ipſam laudare. quare credendum eſt hoc ipſum ab alio poëta accepiſſe, qui hoc traderet.* Nec *enim hic* Homeri *ulla mentio, quamuis plerunque* Cicero *ſoleat, cum huiuſcemodi res tractat ex* Homeri *poemate accipere, & ut ab illo narratæ ſunt, exponere.*

Conſilijs noſtris laus eſt, &c.) Epaminondas Thebanus 444

non ſolum belli artibus clarus, ſed etiam in liberalibus ſtudijs & philoſophia excellens, elegos quoſdam uerſus ſcripſit, quibus res à ſe geſtas celebrabat, qui poſtea in baſi ſtatuæ quæ ei erecta eſt, inſculpti ſunt. Primus erat, ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτα μὲν ἐκείρατο δόξαν, quem hic Cicero fideliter in Latinum conuertit. Græcus eſt apud Plutarchum in commentario, cui titulus eſt, Quòd nemo poteſt iucunde uiuere ſequens præcepta Epicuri. Inquit enim, εἰ δ' οὖν ταῦτα φήσει τις εὐφροσύνας καὶ χαράς, σκόπει τὰς ὑπερβολὰς τῶν ἡδονῶν: ἐκείνων ἡμετέραις βουλαῖς, &c. Pauſanias in Bœoticis non hunc ſolum adducit, ſed tres deinceps alios. Cum enim multa de fortitudine & clementia eius locutus eſſet, ſic infert, τῷ δὲ ἀνδριάντι τοῦ ἐπαμινώνδου καὶ ἐλεγεῖα ἔπεστιν ἄλλα τε ἐς αὐτὸν λέγοντα καὶ ὅτι μεσσήνης γένοιτο οἰκιστὴς καὶ τοῖς ἕλλησιν ὑπάρξαι ἐλευθερίαν δ' αὐτοῦ καὶ οὕτως ἔχει τὰ ἐλεγεῖα.

Υμετέραις βουλαῖς Σπάρτα μὲν ἐκείρατο δόξαν,
Μεσσήνη δ' ἱερὰ τέκνα χρόνῳ δέχεται
Θῆβαι δ' ὅπλοισι μεγάλη πόλις ἐστεφάνωται
Αὐτόνομος δ' ἑλλὰς πᾶσ' ἐν ἐλευθερίᾳ.

450 Tardis enim mentibus uirtus non facile committitur:) Manu ſcripti codices (ut arbitror) melius, & elegantius habent, pro COMMITTITVR, COMMITTATVR. id eſt tardorum ingeniorum raro uirtus comes eſt, atque ea ſectatur. Vtitur alibi etiam Cicero hoc modo dicendi: ſed ut omnis ſcrupulus tollatur, adducemus locum in hoc ipſo libro ex Platone expreſſum, ex quo quam uim hoc uerbum hic etiam habeat, facile perſpici poterit. inquit enim, Cæteráque quæ comitantur huic uitæ. cum hæc ſint uerba Platonis in epiſtola ad Dionis propinquos quæ ille interpretatur, καὶ ὅσα τούτων ξυνέπεται τῶν βίων.

Quare

Quare exiſtimare poſſumus hunc locum deprauatum fuiſſe ab aliquo, qui cum ſinceræ lectionis intellectum non percepiſſet, falsò illam uitioſam putauit.

Nemo de nobis unus excellat, &c.) Græca uerba quæ 463
Heraclitus pronuntiauit, recitat Strabo lib. XIIII. Cum enim Epheſios claros uiros numeraret, inquit, καὶ τῶν παλαιῶν ἡράκλειτός τε ὁ σκοτεινὸς καλούμενος, καὶ ἑρμόδωρος περὶ οὗ ὁ αὐτὸς οὗτος φησίν: ἄξιον ἐφεσίοις ἡβηδὸν ἀπάγξασθαι οἵτινες ἑρμόδωρον ἄνδρα ἑαυτῶν ὀνήιστον ἐξέβαλον φάντες, ἡμέων οὐδεὶς ὀνήιστος ἔστω εἰδέ μή, ἄλλῃ τω καὶ μετ' ἄλλων. Eadem ferè leguntur in uita Heracliti apud Laërtium. Similem ſententiam uulgò traditur apud nos, per præconem pronuntiare ſolitos Nurſinos, rudem admodum gentem, cum ſuum Senatum cogunt. Iubent enim omnes literis excultos & ſapientia præſtantes uiros Curia exire. Nec tamen aliunde tantum aduerſus illos odium oritur, niſi quòd iis ſuſpecta ſunt meliora ingenia, & libero homine dignæ artes: timent enim ſtultè quidem, ſed tamen timent ne ornata eorum oratione & prudenti, de recta, & utili ſententia ſæpe deducantur. Exercent hi (ut qui magis corporis, quàm ingenij uiribus ualent) in urbibus Italiæ artem quam olim in Græcia Aegyptij, ferendorum ſcilicet onerum: quod genus hominum Græci ἀχθοφόρους appellabant. nam Ariſtophanes cum immodicum pondus, & quod nullis penè uiribus ſuſtineri poſſet oſtendere uellet, Ne centum quidem Aegyptij ferrent, inquit.

Aſclepiadem ferunt non ignobilem, nec exercitum philoſophum) Mirum profectò eſt tam turpe mendum tanto tempore hunc locum fœdaſſe, & à nullo animaduerſum & ſublatum fuiſſe. Nam præterquàm quod nullam hoc autore dignam ſententiam ea uerba præ ſe ferebant, nomen illud — 465. in fi. & in prin. ſeq.

INEXERCITVS *pro Imperitus uix capi poſſe puto. Frequens autem eſt eo ſignificatu quo* Vergilius *dixit*, Nate Iliacis exercite fatis. *Manu ſcripti etiam libri, ab hac tam rudi lectione diſſentiebant, quamuis & ipſos nonnihil uitij occupauerat. id tamen facile corrigi potuit ab eo qui diligenter & attentè locum conſideraſſet. Nonnulli enim eorum habent* NEC EXERCITVM, *(metricum) alij uerò (hæreticum) quare emendaui ut uides, parua mutatione facta,* ERETICVM. *fuerunt enim philoſophi, qui* Ereti*ci, ſiue* Eretriaci *(quod tamen idem eſt) appellati ſint, de quibus* Cicero *multis locis egit, ſed in* III. *de* Oratore *his uerbis,* Fuerunt etiam alia genera philoſophorum, qui ſe omnes ferè Socraticos eſſe dicebãt, Eretricorum, Erilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum, &c. *Aſclepiadem autem hunc eius ſectæ fuiſſe docet* Laërtius *in uita* Phædonis, *his uerbis:* καὶ τρίτοι ἀπ' αὐτοῦ οἱ περὶ μενέδημον τὸν ἐρετρίεα καὶ ἀσκληπιάδην τὸν φλιάσιον μετάγοντες ἀπὸ στίλπωνος καὶ ἕως μὲν τούτων, ἠλιακοὶ προσηγορεύοντο, ἀπὸ δὲ μενεδήμου, ἐρετριακοί.

E LIBRO PRIMO DE NATVRA DEORVM.

Pag. 9. in fine. Tanquam modo ex deorum concilio, & ex Epicuri intermundijs deſcendiſſet.) *Hæc ſanè recta eſt lectio: de ea igitur ſiluiſſem, niſi uidiſſem in multis codicibus* INTERNVNCIIS *mendosè legi, nec ijs tantum impreßis, uerum etiam quibuſdam manu ſcriptis & antiquioribus: quare eijcienda penitus & conuincenda falſa illa fuit. Vtitur & alibi* Cicero *hac uoce, interpretatúrque ipſa* μεταχόσμια, *ut*

opinor: quod uerbum erat Epicuri, *& eorum qui innumerabiles mundos eſſe dicebant. ſic enim appellabant ſpatia & interualla, quæ inter mundos illos inania relicta erant.* Epicurus *ipſe in epiſtola quam ad* Pythoclem περὶ τῶν μετεώρων *ſcripſit, accuratè hoc nomen expoſuit* ὅτι δὲ καὶ τοιοῦτοι κόσμοι τὸ πλῆθος ἔστι καταλαβεῖν, καὶ ὅ τι καὶ ὁ τοιοῦτος δύναται κόσμος γίνεσθαι καὶ ἐν κόσμῳ καὶ ἐν μετακοσμίῳ ὃ λέγομεν μεταξὺ κόσμων διάστημα. ἐν πολυκένῳ τόπῳ καὶ οὐκ ἐν μεγάλῳ εἰλικρινεῖ κενῷ, &c. *ponit autem ipſam* Laërtius *in eius uita, cum doceret uellet, quæ ipſius opinio & ſententia de rebus ſublimibus fuiſſet. Quomodo autem melius* Diogenes *potuit rationem illam & decreta explicare, quàm autoris ipſius uerbis ac commentarijs? quod ſanè ſtudioſè ille fecit, ut qui ab ea ratione quantum ſuſpicari licet, non ualde abhorrebat.*

Orphicum carmen Pythagorici *ferunt cuiuſdam fuiſſe cerdonis:) Poſtrema hæc dictio in manu ſcriptis inquinatior eſt: habent enim meliores* CERCONIS. *Alij autem adhuc deprauatius. Legi apud Suidam in dictione* ὀρφεὺς, *cum de his uerſibus loqueretur, hæc uerba,* λέγονται δὲ εἶναι θεογνίτου τοῦ πενταλοῦ: οἱ δὲ κέρκωπος τοῦ πυθαγορείου. *Quare & ex antiquis ueſtigijs & ex Græcorum teſtimonio* CERCOPIS, *non* CERDONIS, *puto eſſe legendum.* 41

E LIBRO SECVNDO.

Quæ tum eſt aquilonalis, tum auſtralis:) Inueni *in cunctis manu ſcriptis libris, quorum duo erant antiquiſſimi & mihi ualde probati,* AQVILENTA *pro* AQVILONALIS. *Animaduerti etiam Germanos, quòd ſic fortaſſe & ipſi in aliquo exemplari legiſſent, eandem uocem in margine ſui codicis adnotaſſe. nec tamen eam recepi: non enim* 65

alibi

alibi apud hunc autorem repperi. Scio recentiorum pleroſque eam uſurpaſſe eruditos uiros: ut non temerè eos id feciſſe exiſtimandum ſit. Cicero (Aquilonius) alibi dixit. Quid de hoc loco conſtituendum ſit nondum planè perſpexi. uix puto poſſe omnes codices antiquos in eodem errore uerſari.

83 *Cedit equi partis properans ſubiungere cetis*) Antiqui *quidam libri* CHELIS *non* CETIS *habent: quod rectum eſſe puto. nam & Arati uerſus, quem interpretatur, ita habet,* ἱππουραῖα δ' ὑπὸ σφίσι χηλαὶ ἔχουσιν. Et *ſanè non pauca menda de his carminibus ex* Arato *conuerſis ſuſtulimus: nec tamen neceſſe eſſe duxi nunc omnia repetere. nam quædam certiora & illuſtriora ſunt quàm ut oporteat illa aut confirmare ullis autoritatibus, aut magis declarare.*

93 *Vomitione canis purgare aluos ibes Aegyptiæ curant*) *Hic locus deprauatus mihi uiſus eſt: neque enim ullam certam ſtructuram, aut ſententiam horum uerborum eſſe puto, & in ueteribus etiam exemplaribus non parum ab hac diuerſam lectionem inueni: quamuis neque in illis etiam, ea integra & ſincera ſit: talis eſt tamen, ut indicio eſſe poßit in hoc loco uitium ſubeſſe, & peruerſionem aliquam.* Duo *ſunt remedia quæ medici è beluis (ut ferunt) didicêre, & utraque ad corpora purganda accommodata: unum ſcilicet uomitus, quod à canibus, cum eos herbula quadam perpurgari conſpexiſſent, acceperunt: alterum clyſter, ab* Ibi *Aegyptia uidentes eam marina aqua per inferiores partes ſe abluere.* Exponebat *igitur ea nunc Cicero: ſed in hac, quam habemus, ſcriptura, confuſa ſunt, & perturbata omnia: itaque rectius eſſe putaui hunc locum quemadmodum in priſcis libris eſt, deſcribere. cum tamen corruptum eſſe conſtet, ad eum notam quæ mendum indicet, adpoſui.* Plut. *in comment*

mentario, quo diſputat, utra ſint animantia prudentiora, terrenáne, an aquatilia, utranque hiſtoriam tradit his uerbis, κύνες δὲ πόᾳ τινὶ καθαίροντες ἑαυτοὺς χολεριῶντας. *Et pauló infrá,* τῆς τε ὕβεως τὸν ὑποκλυσμὸν ἄλμῃ καθαιρομένης αἰγύπτιοι συνιδεῖν καὶ μιμήσασθαι φασίν.

E LIBRO TERTIO.

Dioſcuri etiam apud Graios multis modis nominantur. 128
Primi tres qui appellantur anactes Athenis) Emendaui ANACES: *hoc enim eſt uerum Dioſcurorum nomen: unde* ἀνακεῖον *illorum templum dicebatur. Traduntur multæ rationes & cauſæ à Græcis autoribus huius appellationis, uel à uerbo* ἀνάσσω, *uel ab aduerbio* ἀνακῶς, *id eſt humaniter & diligenter, quòd ſe ita geſſerunt erga Athenienſes: magnis enim copijs in urbe exiſtentibus, ſua intereſſe illi arbitrati ſunt, ne quiſquam omnino ciuis iniuriam à militibus pateretur, atque id ſummo ſtudio procurauerunt. Vel ab* ἄνω καὶ ἑκὰς, *quòd cuſtodiunt nauigantes cum ſint ſtellæ, & ſupra nos ſtent: nam duo hæc aduerbia componentes,* ἀνακῶς *Athenienſes ſolebant dicere. Et has, & alias etiam huius nominis deriuationes exponit Plutarchus in uita Theſei: ſic enim inquit:* καὶ τιμὰς ἰσοθέους ἔσχον ἄνακες προσαγορευθέντες ἢ διὰ τὰς γενομένας ἀνοχὰς ἢ διὰ τὴν ἐπιμέλειαν καὶ κηδεμονίαν τοῦ μηδένα κακῶς στρατείας τοσαύτης ἔνδον οὔσης: ἀνακῶς γὰρ ἔχειν τοὺς ἐπιμελουμένους ἢ φυλάττοντας ὁτιοῦν καὶ τοὺς βασιλεῖς ἴσως ἄνακτας διὰ τοῦτο καλοῦσιν εἰσὶ δὲ οἱ λέγοντες διὰ τὴν τῶν ἀστέρων ἐπιφάνειαν ἄνακας ὀνομάζεσθαι τὸ γὰρ ἄνω τοὺς ἀττικοὺς ἀνεκὰς ὀνομάζειν καὶ ἀνέκαθεν τὸ ἄνωθεν. *Anactes generale nomen erat omnium Regum, ut nonnulli putant (in quibus etiam Plutarchus eſt) ab eodem aduerbio,*

bio, quo Anſeres, deducto nomine, quòd cuſtodirent ſumma cura & diligentia ſalutem eorum quibus præeſſent.

E LIBRO PRIMO DE DIVINATIONE.

Pag. 151. *Quis eſt qui ranunculos hoc uidere ſuſpicari poßit? ſed ineſt mirè & ranunculis natura quædam, &c.)* Antiquiora *exemplaria diſcrepant ab hac lectione: ſunt tamen & ipſa non parum inquinata. nam in peruulgatis quoque uereor ne ſit mendum: præter enim quàm quòd ualde diuerſam habent lectionem ab antiqua, quod ſemper mihi ſuſpectum eſt, quia ſine cauſa hoc accidere non arbitror: eam etiam quam habent, per ſe parùm ſinceram iudico. Quid enim* MIRE *ibi faciat, & quam uim habeat hoc loco id aduerbium non uideo: omnino neque plana, neque elegans mihi ſtructura uidetur.* Cum *quid dubitem potius, quàm quid ſentiam expoſuerim, uolo nunc ueterem ſcripturam notam facere, quæ eſt hæc,* SED INEST IN RIVIS ET RANVNCVLIS, *&c.* Vt *poßint eruditiores an meritò ſuſpectum hunc locum habeam, uidere, & unde tanta orta ſit de hoc loco inter antiquos, & nouos codices diſſenſio, cogitare.* Diligentius *igitur conſiderandum an & ex antiquis ueſtigijs, & ex Græco uerſu Arati rectè poßit* IN GYRINIS *emendari. nam Gyrinos & Græci, & Latini appellant ranarum partus.* Plin. *lib.* IX. *cap.* II. Pariunt *minimas carnes, nigras, quas Gyrinos uocant, oculis tantum & cauda inſignes: mox pedes figurantur, cauda ſundente ſe in poſteriores.* Et *Aratus in Phænomenis,* ἢ μαλ-

λον δειλαὶ γενεαὶ ὕδροισιν ὄνειαρ αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυείνων. Cuius etiam interpres de illis ſic loquitur, γυεῖνοι δὲ λέγονται οἱ ἀδιάπλαστοι βάτραχοι τουτέστι τὰ γεννήματα τῶν βατράχων ἀδιάπλαστα γὰρ τίκτονται καὶ ἄποδα ἐπὶ τὴν ἀρχήν. Receptam lectionem conſeruaui: ortam autem mihi ſuſpicionem quamuis leuem, & fortaſſe inanem, aperire non malum duxi: cauſas etiam quæ me ad hoc impulerint ſuprà expoſui.

Materia deinde quid iuuaret, niſi confectionis eius fabricam haberemus?) Meliores libri CONFECTIONIS habent, quemadmodum etiam libro ſecundo de Natura deorum, Arborum autem confectione omnique materia & culta & ſilueſtri partim ad calefaciendum corpus igni adhibita, & ad mitigandum cibum utimur, &c. Eſt autem uarius & multiplex huius uerbi uſus apud optimos autores, quemadmodum omnibus notum eſt. Emendauimus etiam, quod nunc mihi ex proxima allegatione ſuccurrit, eorundem librorum autoritate moti in ſecundo libro huius operis, MITIFICATO CIBO, ubi antea MODIFICATO legebatur: uides enim ex hoc loco etiam Mitigare cibum, concoquere ſignificare. 190

E LIBRO SECVNDO.

L. quidem Tarutius Firmanus familiaris noſter in primis Chaldaicis literis eruditus:) Veteres libri, CHALDAICIS RATIONIBVS habent: quod recepi. liber etiam Democriti phyſici, χαλδαϊκὸς λόγος inſcriptus erat, ut tradit Diogenes Laërtius in uita ipſius. 235

E LIBRO DE FATO.

Cognouimus ex antiquis exemplaribus hunc librum, 255
quemad

quemadmodum multis ſui partibus uetuſtate lacer, & mutilus eſt, ita etiam principio carere: quod ex peruulgatis quoque libris, ſi diligenter prima eius uerba conſiderata eſſent, animaduerti potuit. quamuis nonnulli, ut hoc uitium tegerent, pro ILLI, GRÆCI *ſcripſiſſent. quæ uox manifeſto docet de Græcis ſuprà etiam mentionem eſſe factam: ſed non eſſe hoc ſatis idoneum, & concinnum libri initium multis modis perſpici poteſt. Scripſit etiam Plutarchus librum* περὶ εἱμαρμένης *qui non diſsimilem fortunam ſortitus eſt. nam & ipſe ex maiore ſui parte periit. Alexander autem Aphrodiſienſis meliore fato librum de fato ſcripſit: nanque integer ille, & incorruptus in uita permanſit. In hoc quædam caſtigauimus ope meliorum codicum: ſed unum non parui omnino momenti (ut opinamur)* PERCEPTA *ſcilicet multis locis, ubi* PRAECEPTA *antea ſcriptum erat: ita enim* θεορήματα *Cicero interpretatur, doctè ſanè, & eleganter. nam* θεορήματα *quamuis & ipſa protendantur, tamen cognita iam, & ſpectata ſunt. unde ſolent Mathematici in fine eorum demonſtrationis ſemper dicere,* QVOD OPORTVIT OSTENDISSE: *cũ problematibus explicatis ſubiiciat,* QVOD OPORTVIT FECISSE: *& in hoc maxime differant theōremata à problematibus, quòd in theorematibus ratio tantùm reddi debeat cur ita ſit, cum ſint illa iam percepta, & ſpectata: in illis autem fabricandæ ſint deſcriptiones: ſed hæ non ſunt huius temporis quæſtiones. qui tamen hæc ſcire cupit, Proclum Licium adeat diligentiſsimum Euclidis interpretem: hæc enim ille copioſè, & eruditè tractat. Quomodo autem præcepta* θεωρήματα *reddi potuerint, neſcio: ſed hoc tam multis locis in priſcis exemplaribus nomen eſt ſemper rectè ſcriptum, præterquam quòd*

egre

egregium ſignificatũ habet, ut uix credi poßit erratum eſſe librarij, ſed (ut arbitror) nouitas huius uocis, & rei, rationiſque ipſius ignoratio induxit aliquẽ recentiorum, ut eam deleret, & hanc, quæ in omnibus nunc impreßis inoleuerat, reponeret.

E LIBRIS DE LEGIBVS.

Libros de Legibus dici non poteſt quàm laceros, & corruptos habeamus: nec tamẽ deſtiti, ueteribus quibuſdam codicibus comparatis, uidere an poſſem aliquibus illorum uulneribus meo labore, & diligentia mederi: quid præſtiterim, eruditiores iudicabunt. non enim mihi uideor penitus omnem operam perdidiſſe, neque etiam multum (ut uerum fatear) perfeciſſe. quædam eorum, quæ mihi uiſus ſum correxiſſe nunc recenſebo: nonnulla ut certa, & plana omittam.

Nec uerò ferent ſi audierint te primum capitulum optimum prodidiſſe) Sunt ſanè inquinatiores & antiqui libri hac parte. ea tamen eſt in illis ſcriptura, ut tutò corrigi poſſe putem, CAPVT LIBRI OPTIMI. *Intelligit autem, niſi fallor, librum* Epicuri, *qui continebat appellatas ab ipſo* κυρίας δόξας, *id eſt ſententias maxime ratas, ut* Cicero *interpretatur: nam multis locis de illis mentionem facit.* Primum *eius libri caput erat hoc. cuius ſententiã nunc* Cicero *breuiter exponit,* τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει οὔτε ἄλλῳ παρέχει ὥστε οὔτε ὀργαῖς οὔτε χάρισι συνέχεται· ἐν ἀσθενεῖ γὰρ πᾶν τὸ τοιοῦτον. *Alibi autem diligentißime his uerbis interpretatur,* Quod æternum, beatúmque ſit, id nec habere ipſum nego- Pag. 291

tij quicquam, nec exhibere alteri: itaque neque ira, neq; gratia teneri: quòd quæ talia eſſent, imbecilla eſſent omnia. Colligitur hoc ex Laërtio, qui ſuum librum, uitámque Epicuri his maxime ratis ſententijs claudit: inquit enim, καὶ φέρε οὖν δὴ νῦν τὸν κολοφῶνα, ὡς ἂν εἴποι τὶς, τοῦ παντὸς συγγράμματος καὶ τοῦ βίου τοῦ φιλοσόφου τὰς κυρίας αὐτοῦ δόξας παραθέμενοι καὶ ταύταις τὸ πᾶν σύγγραμμα κατακλείσαντες τέλει χρησάμενοι τῇ τῆς εὐδαιμονίας ἀρχῇ. Et primam hanc ſententiam ponit. (Caput) hoc ſignificatu alibi à Cicerone uſurpatum eſt, ut in Lucullo, Ita nobis tacentibus ex uno Epicuri capite, altero ueſtro, perceptio, & comprehenſio tollitur. Prodere autem caput (ut opinor) dixit quemadmodum in eodem ipſo libro, Prodere decretum, Sapientiæ uerò, quid futurum eſt? quæ neque de ſe ipſa dubitare debet, neque de ſuis decretis, quæ philoſophi appellãt δόγματα, quorum nullum ſine ſcelere prodi poteſt: cum enim decretum proditur, lex ueri, rectique proditur.

295 Vnde etiam illa Pythagorea uox τὰ τῶν φίλων κοινὰ) Græcas has uoces nulli manu ſcripti codices retinent: duo autem qui ſunt in Diui Marci bibliotheca ſatis antiqui, unus Latinis, alter Longobardicis literis exaratus, illarum loco habent hæc uerba, DE AMICITIA LOCVS. quam adnotatiunculam quandam fuiſſe in margine ab aliquo collocatam, credimus: poſtea autem ab imperitis librarijs in ordinem uerborum Ciceronis importunè tranſlatam. Græca tamen uerba ubi inuenimus, reliquimus: quãuis certi non ſimus an illa ſint quæ Cicero intelligit. acutioribus igitur ingenijs hoc iudicandum relinquemus: utranque tamen Pythagoræ fuiſſe ſententiam, & ab illo primum pronuntiatam, à Laërtio in eius uita didicimus, qui Timæum

hoc

hoc tradere his uerbis adfirmat, εἶπε τε πρῶτος ὥς φησι τίμαιος κοινὰ τὰ φίλων εἶναι, καὶ φιλίαν ἰσότητα.

E LIBRO SECVNDO.

Diuiniſsima autem dona habes, & formæ, &c.) Sic non pauci impreſſorum codicum habent. in alijs autẽ (qui melio-res putantur) adhuc deprauatius eſt, DONA HABENT ET FORMAE. *Legendum eſt ex* Platone, *unde totus hic locus ſumptus eſt*, AVES ET FORMAE. *Quare prior lectio ueræ propinquior, abundante ferè tantum in ea, aſpiratione: nam* B *pro* V *frequenter capiebatur. Hæc ſunt uerba* Platonis *in libro* XII. *de legibus, quæ* Cicero *elegantiſsimè interpretatur* : γῆ μὲν οὖν ἑστία τε οἰκήσεως ἱερὰ πᾶσι πάντων Θεῶν : μηδεὶς οὖν δευτέρως ἱερὰ καθιερούτω θεοῖς. χρυσὸς δὲ καὶ ἄργυρος ἐν ἄλλαις πόλεσιν ἰδίᾳ τε καὶ ἐν ἱεροῖς ἐστὶν ἐπίφθονον κτῆμα, ἐλέφας δὲ ἀπολελοιπότος ψυχὴν σώματος οὐκ εὐχερὲς ἀνάθημα. σίδηρος δὲ καὶ χαλκὸς πολέμων ὄργανα, ξύλου δὲ μονόξηλον ὅτι ἂν ἐθέλῃ τὶς ἀναλιθέτω καὶ λίθου ὡσαύτως πρὸς τὰ κοινὰ ἱερά, ὑφὴν δὲ μὴ πλέον ἔργον γυναικὸς μιᾶς ἔμμηνον : χρώματα δὲ λευκὰ πρέπον ἂν θεοῖς εἴη καὶ ἄλλοθι καὶ ἐν ὑφῇ βάμματα δὲ μὴ προσφέρειν ἀλλ' ἢ πρὸς τὰ πολέμου κοσμήματα Θειότατα δὲ δῶρα ὄρνιθές τε καὶ ἀγάλματα ὅσαπερ ἂν ἐν μιᾷ ζωγράφος ἡμέρᾳ εἷς ἀποτελῇ. καὶ τἄλλα ἔστω κατὰ τὰ τοιαῦτα ἀναθήματα μεμιγμένα. 329

E LIBRO TERTIO.

Cenſores populi, ciuitatis ſoboles, familias, pecuniáſque cenſento) Veteres libri, POPVLI AEVITATES SOBOLES, *&c. Sed neque hic tantum, ſed alijs etiam lo-* 342

cis in hac lege hoc nomen reſtituimus, cum ſemper in eundem errorem incidiſſet librarius: ut paulò pòſt, Exin *pecunias, æuitates, ordines partiunto: cum antea* CIVITATIS *eſſet.* AEuitas *autem pro æuo in uſu fuit apud antiquos, autore* Non. Marcello *de proprietate uerborum, qui etiam adducit* Varronis Tithono *uel* περὶ γήρως, *hunc locum,* Qua *uoluntatem æuitatis extima attigit metā æuitas. Studioſe autē in hac lege deſcribenda* Cicero *priſca uerba ſectatur.*

347 *Mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorū, otióq; non modo in ſolem, atque pulverem, ſed in ipſum diſcrimē, aciémque produxit) Antiqua exemplaria quadam parte horum uerborum ualde deformata ſunt & corrupta, ibi ſcilicet,* OTIO *q;: ſic enim habent,* EX VMBRACVLIS ERVDITORVM QVAE HODIEq; NON MODO, *&c. quibus uerbis nihil inquinatius dici, aut cogitari poteſt: & tamen cum tantopere recepta lectio à uetere diſſentiat, dubitandum eſt an in noua inſit uitium, & an ſuppoſita ſit ab aliquo, ne locus hic tam turpiter fœdatus appareret, cum antiquam ſe poſſe corrigere ille deſperaſſet: quod mihi etiam accidit, nihil enim unquam ſinceri elicere potui ex tam peruerſa lectione: nec tamen committendum fuit, ut hæc quamuis perturbata ueſtigia delerentur: ſi forte ab aliquo illis ducibus poſſet quandoque genuina lectio indagari: & ob hanc cauſam ipſa teſtata hîc eſſe uolui. nam receptam lectionem non uariaui, quamuis aliquantulum ob hoc mihi ſuſpecta eſſet. Locus eſt in* Bruto, *ubi eadem ferè de* Phalereo *pronuntiat, & parum omnino mutatis uerbis: nec tamen hoc quoque auxilio potui ueram & legitimam lectionem excogitare, ita enim de illo loquitur,* Phalereus *enim ſucceſſit eis ſenibus adoleſcens, eruditiſſimus*

mus ille quidem horum omnium, ſed non tam armis inſtitutus quàm palæſtra: itaque delectabat magis Athenienſes, quàm inflammabat. proceſſerat enim in ſolem, & puluerem, non ut è militari tabernaculo, ſed ut è Theophraſti *doctiſſimi hominis umbraculis.* Alter *autem (non tamē huic tam ſimilis) lòcus eſt in epiſtola ad* Brutum, *quæ ante* παράδοξα *legitur, qui uidetur communem lectionem adiuuare,* Ego *uerò illa ipſa, quæ uix in gymnaſijs & in otio* Stoici *probant, ludens conieci in communes locos: quare in ea fortaſſe acquieſcendum.*

E LIBRO DE VNIVERSITATE.

Omnis *enim orbis eorum quaſi facilitatis inflexione uertebatur)* Minus *corrupta eſt antiqua lectio, quāuis nonnihil maculæ etiam in ipſa inſederit.* VERTEBAT *autem ea habet, non* VERTEBATVR, *quod rectum eſt. nam uoces illæ* OMNIS ORBIS *accuſandi caſu, multitudinis numero, non nominandi capi debent.* Omnis *igitur error & macula reſtat in dictione illa* FACILITATIS, *quæ deprauatiſſima eſt. ſinceræ uocis, quæ meo iudicio ibi eſſe debet. conſeruata ſunt quædam parua omnino ueſtigia in priſcis exemplaribus: ſic enim eſt in illis* FELICITATE. *quare & ex ijs & ex* Græco *codice, unde ueritas huius rei exculpi melius poteſt, iudicaui* HELICAE *eſſe legendum, ut quod erat in* Platone ἕλικα, *id eſt* κατ' ἕλικα, Cicero *helicæ inflexione dixerit. totus locus hic eſt,* πάντας γὰρ τοὺς κύκλους αὐτῆς στρέφουσα ἕλικα, *&c.* Quam *ſit autem lacer, & diuulſus hic liber, nihil atti-* Pag. 370

 net

net dicere: unuſquiſque hoc & ex Græco codice & ex peruulgata eius interpretatione facilè uidere poteſt. ego ſanè quantum diligentia & ſtudio meo potui, conatus ſum non paruas maculas, quæ eam partem quæ remanſit, occupauerant, eluere: membra illa, quæ ab ipſo temporis iniuria abla ta erant, ei reſtituere non potui.

372 *Alterum quod antè mouit, in quam partem à conuerſione eiuſdem & ſimilis pelleretur) Quàm deprauatus antea eſſet hic locus, facile cognoſci poteſt: nam in eo nec uerborum ſtructura, nec ſententia ulla idonea inueniebatur. Acciderat autem hoc incommodum, ut arbitror, imperitia librariorum qui priſcæ ſcripturæ rationem non tenebant: nam in antiquioribus, niſi ab hoc fallare, omnia ſe rectè habent. ſic enim eſt in illis,* ALTERVM QVOD IN ANTIQVAM PARTEM A CONVERSIONE, *&c. Non ſemel autem in his caſtigationibus admonuimus in ueteribus libris ſæpe* C *pro* QV, *& è contrario* QV *pro* C *inueniri: cuius rei quamuis paruæ, ignoratio ſæpe magnas peperit deprauationes. hinc ortum arbitramur ut aliqui* QVOTIDIE *ſcribant, alij* COTIDIE. *& ne longiores in re perſpicua ſimus, in multis hoc nominibus accidit. Quãquam nemini dubium eſſe iam poterat quin hæc ſincera eſſet lectio, tamen ut res planior, manifeſtiórque adhuc ſit, adponemus Græca Platonis uerba, quæ omnem omnibus ſcrupulum eximant. Sunt autem hæc, ut perfectam, & abſolutam ſententiam adducamus,* κινήσεις δὲ δύο προσῆψεν ἑκάστῳ, τὴν μὲν ἐν ταὐτῷ κατὰ ταὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν ἀεὶ τὰ αὐτὰ ἑαυτῷ διανοουμένῳ, τὴν δὲ εἰς τὸ πρόσθεν ὑπὸ τῆς ταὐτοῦ καὶ ὁμοίου περιφορᾶς κρατούμενον. *Quod igitur Plato dixit,* εἰς τὸ πρόσθεν, *Cicero uertit, in anticam partem. quemadmodum autem Poſticum*

ſticum dicitur quod eſt poſt nos, ita Anticum quod eſt ante nos. declarat hoc Sex. Pompeius accuratiſſimè, & M. etiam Varro.

E LIBRO PRIMO

DE OFFICIIS.

Ea negare interdum, & non ſeruare ſit iuſtum) Omnes Pag. 14.
antiquiores libri pro NEGARE, MIGRARE *habent: quàm rectam eſſe lectionem cenſeo, ut (migrare) hic agendi uim & ſignificatum habeat, poſitúmque ſit pro tranſgredi, & tranſilire: quemadmodum etiam idem uerbum uſurpauit in* III. *libro de finibus, cũ inquit,* Quoniámq; *ea natura eſſet hominis, ut cum genere humano quaſi ciuile ius intercederet, qui id conſeruaret, eum iuſtum: qui migraret, iniuſtum fore. Sic autem legitur in peruulgatis etiam codicibus: quamuis nonnulli deprauare eum quoque locum tentauerint, eandem pro illa uocem, quæ huc etiam irrepſerat, reſtituentes.* Quare *puto, cum alibi etiam inueniatur Cicero ſic locutus, hic omnino, ut eſt in priſcis exemplaribus,* MIGRARE, *non* NEGARE *legendum eſſe.*

Qui uoce freti ſunt Epigonos, *Medeámque.)* Vetuſta 43
lectio, quam probo, MEDVMQVE *habet: ita enim appellata eſt* Pacuuij *tragœdia.* Nonnulli, *qui hoc ignoraſſent, hac exploſa, & deleta uoce* MEDEAM *repoſuerunt, cum ſcirent maxime Medeæ caſus, immanitatémque eius aduerſus filios in theatris agitatam eſſe: nec cogitaſſent fieri poſſe etiam ut aliqua tragœdia Medi, eius filij nomine ſcripta fuerit.* Non. Marcellus *in dictione* ILICO *adducit* Pacuuium *in* Medo. Iohannes *autem* Pierius *& probus,*

& eruditus uir, ac ſuprà omnes in literis accuratus in ſuis in I I I. AEneidos caſtigationibus adducit Fl. Soſipatri grammatici locum, ubi mentionem ille facit huius tragœdiæ his uerbis, Pacuuius in Medo cum oſtenderet à Medo Medeæ filio matrem quæri, ait, Te ſol inuoco, ut mihi poteſtatem duis inquirendi mei parentis. Quare teſtimonio & autoritate priſcorum codicum, ita cenſeo eſſe legendum.

E LIBELLO
DE AMICITIA.

Pag. 155 Partim fugiendas eſſe nimias amicitias, &c.) Noui hanc quæſtionem diligentiſſime à Philoſophis quibuſdã eſſe tractatam, qui omnino πολυφιλίαν damnarunt, & multis de cauſis fugiendam eſſe exiſtimauerunt: ſed tamen Euripides in Hippolyto coronato ita acutè & eleganter hanc ſententiam perſequitur, ut putem illinc Ciceronem hunc locum accepiſſe: ita enim ibi loquitur Phædræ nutrix:

Χρῆν γὰρ μετρίας εἰς ἀλλήλους
Φιλίας θνητοὺς ἀνακίρνασθαι:
Καὶ μὴ πρὸς ἄκρον μυελὸν ψυχῆς:
Εὔλυτα δ' εἶναι στέργηθρα φρενῶν
Ἀπό τ' ὤσασθαι καὶ ξυντεῖναι:
Τὸ δ' ὑπὲρ δισσῶν μίαν ὠδίνειν
Ψυχὰν χαλεπὸν βάρος: ὡς κἀγὼ
Τῆς δ' ὑπὲρ ἀλγῶ
Βιότου δ' ἀτρεκεῖς ἐπιτηδεύσεις
Φασὶ σφάλλειν πλέον ἢ τέρπειν
Τῇ τ' ὑγείᾳ μᾶλλον πολεμεῖν
Οὕτω τὸ λίαν γ' ἧσσον ἐπαινῶ

Τῦ μηδὲν ἄξιον
Καὶ συμφήσουσι σοφοί μοι.
Emēdauimus ſanè non pauca & in hoc libello & in Catone etiam maiore: quæ quia ſatis firma & plana arbitrati ſumus, nunc retractare neceſſarium eſſe non exiſtimauimus.

IN PARADOXIS.

Quam delicatas aliorum pateras.) Veteres omnes libri FILICATAS. itaque & ipſe ſic ſcripſi. Sex. Pompeij ſunt uerba, Filicata patera dicta, quòd ad filicis herbæ ſpeciem ſit cælata. Pag. 211 in fine.

Sed dementem & inſanum rebus addicam neceſſarijs.) 220
Inquinatus adeo eſt hic locus, ut quemadmodum corrigi poſſit non uiderim. Optimus omnium quos tractaui codicum, ita habet, ſed mendoſè ut opinor & ipſe, Ego uerò te non ſtultum, ut ſæpe: non improbum, ut ſemper: ſed dementem rebus ad uictum neceſſarijs. eſſe inuictus poteſt ſapientis animus magnitudine conſilij, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ, &c. Quare receptam lectionem ſua ſede non moui, & tamen ueterem ſcripturam, qualis qualis eſt, teſtatam relinquere uolui.

Serui atrienſes ac tu pari ſtultitia.) Vetus lectio ATRIENSES AC TOPIARII STVLTITIÆ SVÆ, quam & recepi, & ſinceram iudico: nihil autem peruulgata dici poteſt deprauatius. Multitudo ſeruorum, quam antiqui poſsidebant, facultatem illis dabat, ut unicuique officio & miniſterio ſuos, & peculiares ſeruos imponerent: eóſque appellarent à negotio illo, quod eorum curæ commiſſum & traditum erat. Quare opulenti illi & beati, quibus uiridaria erant, ſeruos qui opera topiaria facerent, habe- Ibidem

bant. In Pandectis de instruc. uel instrum. leg. L. instrumento fundi. §. Conſeruandi, Qualia ſunt dolia, licet defoſſa non ſint, & cupæ quibuſdam in regionibus accedunt instrumento: ſi uilla cultior eſt, etiam atrienſes, ſcoparij: ſi etiam uiridaria, topiarij: ſi fundus, ſaltus, paſtionéſque habet, greges pecorum, paſtores ſaltuarij. Cicero etiam lib. III. *epiſtolarum ad Q. Fratrem eandem hanc rem ſignificauit, quamuis non tam apertè: inquit enim, Vt denique illi palliati topiariam facere uideantur, & ederam uendere. Niſi fallor, huic loco reddita ſua integritas eſt: quæ autem prius erat lectio, & falſa & rudis admodum erat, ſententia nunc & plana, & elegans.*

Non negligentia, aut laboris fuga commiſſum eſt, humaniſſime lector, quòd in omnibus his, qui oratorem inſtituunt libris, pauca admodum à me caſtigata ſunt. Cùm enim uetera exemplaria ſummo ſtudio ac diligentia non mea ſolum, ſed etiam amicorum perquiſita, nullibi inuenta fuerint, quid in hac facere aut præſtare potui? Benedictus Lampridius, qui me ſingulari quadam naturæ ſuæ bonitate, non meis ullis meritis incredibiliter amat, me mihi non defuiſſe grauiſſimus teſtis erit, qui & ipſe ut deſiderio meo ſatisfaceret plures bibliothecas excuſſit, ac per alios etiam huic negotio aptos homines (floret enim ille amicitia illuſtrium, ac doctorum uirorum) plura loca, ubi aliquid reperiri poſſe ſperabat, diligenter perſcrutatus eſt: nec tamen aliquid, quod mediocrem opem ullam adferret, inuenire potuit. Quin etiam cum ſuperiore anno Benedictus Varicenſius eruditiſſimus, ac mihi amiciſſimus iuuenis, officij cuiuſdam gratia ſe Patauium contuliſſet, de hac ipſa re, mandato meo egit cum ſummo Oratore, omnibúſque doctrinis exculto uiro Lazaro Bonamico, renuntiauitque mihi poſtea di

ea dixiſſe illum ualde aſſeueranter, non eſſe in hoc ullo pacto elaborandum: nullum enim tota Italia exemplar eorum librorum extare, quod ab excuſis magnopere diſcreparet, ſéque antea illos ipſos omnibus locis diu multúmque fruſtra perquiſiuiſſe. Ioannes autem Gaddius, qui cunctis egregijs rebus pro ſumma ſua elegantia ſplendoréque abundat, trium de Oratore librorum bina exemplaria manuſcripta mihi Romæ ualde amanter miſit, ut eſt natura munificus ac liberalis: illic autem ea laudari audieram, ob eámque cauſam ipſum popoſceram, quæ tamen nihilo uulgatis à me diligenter tractata meliora inuenta ſunt. Quomodo autem ſe res habeat, quòd nullum horum librorum ſatis uetuſtum exemplar inuenitur, ipſi tamen minus quàm cæteri Ciceronis libri (quantum iudicari poteſt) corrupti ſunt, affirmare non audeo. quid tamen ſuſpicer, proferre non alienum puto. Opinor omnes & formis excuſos, & manu ſcriptos codices quos nunc habemus, ab uno fluxiſſe, qui multos ab hinc annos Laude Pompeij (quemadmodum plures eius temporis autores tradunt) inuentus eſt: inter quos Blondus Forliuienſis libro IIII. Romæ inſtauratæ quomodo id acciderit, diligenter narrat. rectum autem eſſe puto, cum huius rei cognitio multum hic apta ſit, & ſcriptor ille non ualde celebris, ipſius uerba adponere, Vbi id maxime adiumentum ſtudijs eloquentiæ attulit, quòd repertus Laude à ſummo uiro Gerardo Landriano tunc ibi epiſcopo multis maximiſque in ruderibus codex Ciceronis peruetuſtus, & cuius literas uetuſtiores pauciſsimi ſcirent legere, ad eius perueniens manus, interitum euaſit. Continebat is codex præter Rhetoricorum nouos & ueteres qui habebantur, tres quoque de Oratore integerrimos, Brutum de Oratoribus claris, & oratorem ad Brutum M. Tullij Ciceronis, unde libe

liberatus eſt bonus ipſe uir Gaſparinus ingenti quem aſſum pſerat, labore, ſupplendi quoad poterat librorum de Oratore defectus, ſicut diu antea in Quintiliani inſtitutionibus multo labore ſuppleuerat. Et cum nullus Mediolani eſſet repertus, qui eius uetuſti codicis literam ſciret legere, Coſmus quidam egregij ingenij Cremonenſis III. de Oratore libros primus tranſcripſit, multiplicatáque inde exempla omnem Italiam deſideratiſsimo codice repleuerunt. Nos uerò cum publicis patriæ tractandis negotijs adoleſcentes Mediolanum adiſſemus, Brutum de Claris Oratoribus primi omnium mirabili ardore ac celeritate tranſcripſimus, ex quo primum Veronam Guarrino, pòſt Leonardo Iuſtiniano Venetias miſſo, omnis Italia exemplis pariter eſt repleta. Quod etiam eo libentius feci, ut uideant omnes id de quo ſæpius queſti ſumus uerum eſſe, quomodo ſcilicet ſuperiores illi librorum correctores, in hac prouincia ſe gerere ſoliti ſint: quemadmodúmque conſueuerint totas quandoque ſententias & integra etiam loca, nedum ſingula uerba, ſicubi res exigere uideretur, de ſuo addere, cognoſcántque eorum temporum atque hominum errorem qui rectum putarent ſcripta antiquorum uetuſtate dilapſa, & fracta à nouis ingenijs ſuppleri & reſtitui: nec mirentur me quandoque uerba quædam parum illuſtria non reperta in priſcis exemplaribus ſuſpecta habuiſſe, & à iunioribus his ſuppoſita eſſe exiſtimaſſe. Quòd autem nonnulli libri certis quibuſdam locis cuncti inquinati & manci ſint, ne id quoque debet mirum uideri; cum eorum exemplaria quandoque ſingularia extiterint: ut quod uitium in ipſis forte fuerit, neceſſariò etiam in ea, quæ inde deſcripta ſunt, manauerit: eò autem rem deductam eſſe atque ita morti propinquos quandoque optimos autores fuiſſe, ut ſi unum exemplar

emplar (quod fortunæ potius beneficio, quàm hominum diligentia conſeruatum eſt) perijſſet, nullum eorum ueſtigium permanſurum fuerit, & teſtimonio Blondi in his ipſis, & alijs quibuſdam antiquorum uoluminibus, & aliorum etiam fideliſsimorum ſcriptorum manifeſtum omnibus eſſe debet. Quare ſi cogitarimus nos in maximo periculo quondam fuiſſe, ne funditus his egregijs monimentis orbaremur: non male omnino nobiſcum actum putabimus, quòd ea, quamuis deminuta & manca habemus.

E LIBRO QVARTO RHETORIC. AD HERENNIVM.

Non *tam cito Sariſſæ Græcia potitæ ſunt. Aut idem* Gallos *ſignificans, dicat,* Nec *tam facile* ex Italia *armatura tranſalpina depulſa eſt.)* Vetuſta *lectio* MATERIS TRANSALPINA, *quam rectam eſſe puto. Eſt enim Materis telum quo utebantur Galli.* Non. *Marcellus de genere armorum hæc duo loca Siſennæ citat, in quibus huius teli mentio eſt, Siſenna hiſtoriarum lib.* III. *Gallia materibus, Sueui lanceis configunt.* Idem *lib.* IIII. *Alij materibus aut lanceis tamen medium perturbant agmen. Per hoc autem telum, Gallos intelligi uult, quorum peculiare erat, ut per Sariſſas ſuas, Macedonas. Quia ignotius inuentúque rarius erat hoc uerbum, ideo hinc deletum fuiſſe puto: quod etiam ei contigerat in* VII. *libro hiſtoriarum* T. *Liuij ubi prælium cum Gallis factum narratur. ſic enim legi debet,* Stetitque *ſuppreſſo impetu* Romanus: *& quia iterum feſſis ſubeunda dimicatio erat, & quòd* COS. *dum inter* Pag. 103. in fine.

inter primores incautus agitat, læuo humeri mat̃eri propè traiecto, ceſſerat parumper ex acie. Non MACHERA, *ut in cunctis impreßis libris olim erat. Germani autem nuper eum locum reſtituerunt, qui* T. *Liuij libros, quos temporis uetuſtas & hominum incuria non abſumpſit, ſumma cura, & diligentia emendatos ediderunt: uidi etiam priſcum* Liuij *exemplar quod eam uocem incorruptam retinebat.*

E LIBRO PRIMO
DE ORATORE.

Pag. 392. *Pæanem aut Munionem citarimus.) Nemini hic dubium eſſe poteſt, quin de pedibus intelligat: qui tamen pes Munio ſit, ſanè mihi ignotum eſt. Audiui à ſtudioſo & fide digno uiro codicem inueniri non planè nouum, nec malum, in quo* MVNYCHIONEM *legatur. omnes tamen quos ego uidi, manu ſcripti, receptam lectionem habent. Munychionem menſis nomen fuiſſe notiſſimum eſt. apud nullos autem inuenire potui ex his, qui de pedibus & numeris agunt, hoc nomen: tractaui autem non paucos, & maxime* Ephæſtionem*, qui libellum de metris ſcripſit. Varijs ſanè hi nominibus appellabantur, ut notum unicuique eſt, & ualde inter ſe diuerſis, ut non abſurdum ſit credere quempiam etiam munychionem appellatum. Munychiam etiam uocatum eſſe à Municho quodam colle prope* Athenas *in peninſulæ ſpeciem, qui tris illos portus continebat, traditum eſt ab autoribus: in quo etiam erat* Dianæ *templum Munychiæ cognominatæ. Nihil habeo, quo poßim caſtigationem hanc confirmare: & uulgatam lectionem falſam & inanem puto. quare ſatis ſtudioſis ſit, me hoc tradidiſſe quod*

etiam

etiam ab alio accepi: ipſi uerò dent operam, ut aliquid certius inueſtigent.

E LIBRO SECVNDO.

Feriunt enim aures hominum, cum illa quæ iucunda & grata, tum etiam illa quæ mirabilia ſunt, in uirtute laudari.) *Niſi ualde fallor, non paruum uitium eſt in his uerbis, nec tamen id auſus ſum corrigere: ueritus receptam lectionem ſine teſtimonio ueterum codicum condemnare, in eiuſque locum meo ingenio excogitatam ponere. quod igitur de hac re meum iudicium ſemper fuerit, nunc exponam. Arbitror pro* FERIVNT, *legendum eſſe* FERVNT, *dictionémque illam* AVRES *primo multitudinis caſu capi debere: tertiam uerò ab ipſa* ILLA *ſcilicet, quarto, contrà, ac antea neceſſe erat facere: nec aliter rectam ullam ſtructuram eſſe puto, aut ſententiam horum uerborum: ut dicat magis eſſe accommodatas laudationibus, iucundáſque auditu primas illas uirtutes: nec tamen omittendam eſſe explicationem earum quæ magis in animis eorum qui audiunt, admirationem procreant, quàm iucunditatem. facilè enim patiuntur aures hominum cùm prima illa, quæ iucunda & grata, tum ſecunda etiam, quæ admirabilia ſunt, in uirtute laudari. Res nunc tam manifeſta eſt, ut non opus eſſe putem eam alijs argumentis, quæ ſanè non deeſſent, confirmare.* Pag. 492

E BRVTO.

Eiſque noſmetipſi ad rerum naturalium memoriam comprehendendam impulſi, atque incenſi ſumus) *Credimus* Pag. 570

uocem illam NATVRALIVM *uacare, nec ullo pacto ibi ſtare poſſe, ut intelligat* Atticus *(is enim eſt qui loquitur) librum quem ſcripſit de antiquitate: dicátque ſe libris* Ciceronis *de rep. excitatum, & impulſum fuiſſe ad illius libri confectionem, cuius* Cicero *multis locis mentionem fecit, ut paulò antè cum* Brutum *ſic loquentem inducit,* Nempe *cum dicis, inquit, quo iſte omnem rerum memoriam breuiter, & ut mihi quidem uiſum eſt, perdiligenter, complexus eſt.* Sed *etiam* Cornelius Nepos *in eius uita his uerbis,* Moris *etiam maiorum ſummus imitator fuit, antiquitatiſque amator: quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo uolumine expoſuerit, quo magiſtratus ornauit, &c.* Complexus *igitur eſt hiſtoriam, & memoriam temporum* Atticus *ſuo libro, non rerum naturalium ſcientiam.* Quomodo *autem rectè appellari poßit memoria rerum naturalium non uideo, cum eodem modo ſemper illæ ſe habeant, & nunquam ceſſent rurſus gigni, & interimi. memoria uerò de illis rebus dicatur, quas ex hiſtoria factas ſcimus.*

383. *in fi.* *Ludis luctatijs.) Liber quem habui manu eruditi & perdiligentis uiri* Nicolai Nicoli *ſcriptus, pro* LVCTATIIS, IVENTATIS *habet: quæ lectio oculos mihi aperuit ad ſinceram lectionem indagandam, in quo ſanè parum laboraui.* Obſeruaueram *enim multis in locis (ut aliàs teſtatus ſum) in dictionibus quæ per duo* V. *nunc ſcribuntur: alterum in priſcis exemplaribus ſuppreſſum eſſe, quemadmodum (iuare) pro (iuuare) ut uocis huius affinis exemplum adferam. nam in alijs etiam eadem macula inſedit.* Eſt *in* III. *libro* Taciti *hic locus, qui ab eo, qui hoc obſeruaſſet, facile corrigi potuit,* Fruſtra *uulgatum dictitans, non licere* Dialibus *egredi* Italia, *neque aliud iuſſumquàm* Martialium Quirinaliúmque *flaminum*

num

num. IVS SVVM *enim pro* IVSSVM *legendum eſt.* (*Iuuentatis*)*igitur ſtatim ſuſpicatus ſum eſſe legendum.* Iu*uentatem autem deam eius ætatis,non* Iuuentutem *dici iam antea mihi cognitum erat,quemadmodum etiam emendaueram libro primo de* Natura Deorum *in illo loco*,At poëtæ *quidem nectar,ambroſiam,epulas comparant,& aut* Iu*uentatem,aut* G*anymedem pocula miniſtrãtem.* Exemplum *mihi ſolum ex uetere memoria,quod rem cõfirmaret & pateſaceret.ſtatim non occurrebat:cætera,quantum coniecturis credi poteſt,non deerant.* Quare *cum alijs de cauſis* Ro*mam ad* Marcellum *Ceruinum ſcriberem.iuuenem doctrina, ingenio,& humanitate clarum,uiſum eſt illum de hac mea opinione certiorem facere,ſimúlque quid ſentiret de hac re, ipſum interrogare.* Ille *autem mihi reſpondit ſibi hanc caſtigationem ualde probari, & quo certior ea haberetur, protulit locum hunc* T. Liuij *è lib.* XXXVI. *qui omnem rem declarat.* Item Iuuentatis *ædem in Circo Maximo* C. Licinius Lucullus Duûmuir *dedicauit:uouerat eam* XVI. *annis antè* M. Liuius COS. *quo die Aſdrubalem,exercitúmque eius cecidit:idem Cenſor eam faciendam locauit.* De *hac igitur uoce amplius non eſt dubitandum,uulgatáque lectio explodenda,ut falſa,& inepta.* Reſtat *ſolum accuratè conſiderare,quòd* Cicero *dicit ludos illos uouiſſe* Liuium Senenſi *prælio,an in eo nomine* SENENSI *ſit adhuc mendum,ut puto,legíque debeat* SENONENSI, *una ſyllaba aucta dictione,quam incuria fortaſſe librarius omiſit. cùm enim Aſdrubal cum exercitu cæſus ſit iuxta* Metau*rum amnem à Senonibus Gallis,qui eam regionem iam antea occuparant,à ſeq; nominauerant,potuit id prælium* Se*nonenſe Cicero appellare.nam* Senogallia *urbs in uicinis locis ſita, ab illis etiam condita,& ſic uocata fuit.*

587 *Quòd is dicẽdo ornatior, acriórque eſſet.) Nonnulli pro* ORNARIOR *legunt* FORTIOR, *quos planè non reprehendo. Idem codex & ipſe hac parte inquinatus eſt: ſic enim habet,* AD H ORTOR ACRIORQVE. *Eſt autem ſignum, quod ſupra eam uocem eſt in eo libro, more Græco nota aſpirationis. Priſtina lectio, quæ* ORNATIOR *habebat, nullo modo mihi placet: quæ poſtea reſtituta eſt, multo melior uidetur, nec tamen ueſtigijs quæ reſtant ſinceræ & ueræ ſcripturæ reſpondet. nihil ego autem ex illis, quod magis quadraret, elicere potui, & tamen teſtata relinquere ea uolui.*

588 *Scriptores illos male multatos exiſſe cum Galba.) Codex ille Nicolai, de quo ſuprà locutus ſum,* MVLCATOS *habet, quam lectionem ualde probo. Hoc uerbo uſus eſt Tacitus. Et Terentius etiam Eunucho, Male mulcabo ipſam. item Adelphis, Ipſum dominum, atque omnem familiã mulcauit uſque ad mortem. ſed alios etiam optimos autores frequenter id uſurpaſſe arbitror. ſed quia aliquanto ignotius, & obſcurius erat, à recentioribus illud correctoribus ſublatum (ut opinor) fuit, & pro illo,* MVLCTATVM *repoſitum. Quis enim uerbum in ſermone pronuntiare uereatur, quo Terentius Latini ſermonis candidiſsimus autor uſus ſit? Hoc quod ego ſuſpicor ueriſimile eſſe iudicari poteſt, quòd in uulgatis codicibus nuſquam legitur: debere autẽ in locis quos ſuprà adduximus eſſe, ex priſcis exemplaribus cognoſcitur. Nam quòd in Taciti impreſsis etiam exemplaribus ita legatur, factum eſt ſtudio & diligentia Beroaldi illius, qui priores quinque libros ex ueterrimo eo codice qui tunc è tenebris erutus erat, deſcripſit, & edidit: nondum enim in manus uenerat eorum qui huiuſcemodi loca contaminare ſolent. Quare quantum coniectura iudicari poteſt,*

ri poteſt, exiſtimo illum etiam locum Ciceronis in lib. VI. in Verrem ita legi debere, Clamor à uigilibus fanique cuſtodibus tollitur, qui primo cum obſiſtere, ac defendere conarentur, malè mulcati clauis, ac fuſtibus depelluntur. Non MVLTATI, ut in omnibus eſt impreſſus: & omnino niſi fallor, non eſt hoc uerbum ex illis, quæ propter uetuſtatem à pleriſque repudiabantur, & iam obſoleta erant. Potius puto ipſi uicinitatem literarum, quam habet cum alio uerbo MVLTO obſuiſſe. Cũ enim multi quàm diuerſam uerba hæc uim habeant, ignorarent, confuderunt, è duobúſque unum fecerunt. Paulò ſuprà, locus eſt meo iudicio deprauatus: quare notam ad eum adpoſui: & hoc rectius eſſe putaui, quàm quemadmodum alij fecerunt emendare.

Quo magis expurgandus eſt ſermo, & adhibenda quàm obtruſa ratio quæ mutari non poteſt.) Vereor ne in his uerbis aliqua inſit macula: nam & per ſe illa mihi non parum ſuſpecta ſunt, & in illo ſatis probato codice diuerſam, quamuis perturbatam lectionem, inueni, eam hic adponam: ET ADHIBENDA QVANTVM OBRVSSA RATIO, &c. Signata autem erat ea uox ut deprauata in uetere illo nota quadam, qua qui librum eum deſcripſit, mendoſa loca indicare conſueuerat. 636

EX ORATORE.

Itaque ſe purgans iocatur Demoſthenes, negat in eo poſitas eſſe fortunas Græciæ, in hoc in eum, huc an illuc manum porrexerit.) Non paruum mendum in priore dicto eſt. Quis enim ullum idoneum ſenſum ex tam pertubata lectione elicere queat? Eandem tamen ſcripturam in melioribus manuſcriptis inueni: nonnulli autem eruditi uiri, ex Græ- Pag. 670

cis(ut arbitror) Demoſthenis uerbis, non incommode hunc locum ſic reſtituerunt, NEGAT IN EO POSITAS ESSE FORTVNAS GRAECIAE, HOC AN ILLVD, HVC AN ILLVC MANVM PORREXERIT. *Omnino ſi ita legas, ſententia integra eſt: mihi tamen tutius uiſum eſt, antiqua lectione conſeruata, locum ut uitioſum, nota qua ſoleo, indicare: ut inſtitutum meum ſeruem non temerè priſcam ſcripturam peruertendi: nimis enim id lubricum, & periculoſum puto. diſcedit enim ſatis liberè à priſcis ueſtigijs ille caſtigator: nam ſententia Demoſthenis ex eius uerbis præclarè intelligi poteſt, ſi quis eam quærit: potius deſiderandum erat uidere quibus uerbis eam Cicero expreßiſſet.*

EX TOPICIS.

Pag. 279 *Additur etiam deſcriptio quam Græci* καταγραφὴν *uocant.) Vetuſta lectio, quam probo,* χαρακτῆρα *retinet. Sic etiam illam appellauit in Oratore, cum dixit, Sed iam ipſa forma. reſtat &* χαρακτὴρ *ille qui dicitur, qui qualis eſſe debeat, ex ipſis quæ ſuprà dicta ſunt, intelligi poteſt. Et libro* II. *epiſtolarum ad Q. Fratrem, Dic mihi uerum, num aut res eum, aut,* χαρακτὴρ *non delectat? nihil eſt quod uereare.*

AD LECTOREM.

HAEC ſunt quæ in meis caſtigationibus mihi aliqua explicatione egere uiſa ſunt: reliqua uerò haud his ſanè pauciora, per ſe patebunt, ac niſi fallor, eruditis probabuntur. Hæc autem ipſa penè, ut nunc edidi, olim in marginibus mei libri cum attentius illum legerem, adnotaram. Cùm enim nunc longius mihi tempus dari non poſſe ſcirem, quomodo ſatis ſpatij habuiſſem ad tot Ciceronis uolumina relegenda, nedum accuratè cõſiderãda? Accedebat eò, quòd alijs poſtea literis deditus, hæc ex animo dimiſeram: ut ſatius fuiſſe putarim ad eas me cogitationes & iudicia referre, quæ tunc, cum hæc acriore ſtudio & diligentia pertractabam, de his locis feceram, quàm nunc poſt tot annos penè in his ſtudijs nouus, aliquid non ſatis maturè cogitatum adferre. Eo autem ſermone hæc expoſui qui mihi ex ore fluxit, quod quidem facilè me omnibus probaturum puto. Nihil enim minus mihi elaborandum eſſe exiſtimaui, quàm quibus uerbis hæc enarrarẽ, dummodo illis quod uellem, complecterer: quæ tantiſper in uita permanſura putarim (atque ita uelim) donec fidem meam liberauerint, ac (ſi modo id facere potuerint) lectionem à me inductam comprobarint. Nec enim ullam ea reconditam eruditionem continent, aut alia quapiam re commendantur ut ualde amari, caráque haberi debeant, ob idque etiam cum ſuum munus peregerint, longius detineri. Propter hoc autẽ ſcripta ſunt, quia neminem uolui in hoc meo negotio falli, qui aut nimis crederet, aut magis quàm oporteat, cõtra ueritatem pugnax eſſet. & hæc cauſa fuit, quòd ſemper teſtimonia ueterum codicum produxi, exemplaque caſtigationes confirma-

re uiderentur protuli, atque omnes denique rationes & argumenta in medium attuli, ut aut illis crederetur, aut qui eis non moueretur, miniméque ea digna exiſtimaret quibus fides haberetur, poſſet aliam quæ magis idonea uiſa eſſet, lectionem ſequi. Nonnulla ſanè ex his, ac multa fortaſſe ab alijs quoque animaduerſa eſſe potuiſſe non nego: nec enim occultis quibuſdam auxilijs uſus ſum, ſed uetera exemplaria quæ mihi præcipuè adiumento fuerunt, ſemper omnibus in promptu fuere. Quædam enim eorum ſunt in nobili illa & nunquam ſatis laudata Mediceæ familiæ bibliotheca, quam ampliſſimi illi ac ſapientiſſimi uiri Coſmus & Laurentius Medices, plurimis è Græciæ ruinis Italiæq; latebris, non ſine ingenti labore & ſumptu erutis libris, confecerunt: quæ etſi nondum explicata eſt, ſtudioſorum tamen commodis priuatim ſeruit. Reliqua uerò in Diui Marci altera non minus priſcis uoluminibus referta, quæ omnibus omni tempore patet: uno tantùm ex priuata domo uſi ſumus: quod tamẽ & ipſum eruditiſſimi & accuratiſſimi quidam uiri habuerunt, quantúmque ſibi commodum fuit tractauerunt. Cæteris uerò quæ in huiuſcemodi negotio neceſſaria ſunt, quemlibet paratiorem eſſe puto. Vtinam autem qui ea quæ me prætererunt, præſtantibus ſuis ingenijs inueſtigarint (ſi ulli ſunt, quemadmodum ego ſuſpicor) uelint ea cæteris impertire: ſic enim ſuus huic ſcriptori ſplendor quandoque reddetur, & cùm à multis nunc cupidè legatur, maiore adhuc uoluptate in eo undique purgato & nitido, ſtudioſi omnes commorabuntur. Nam ego tantum abeſt ut offendar ſi aliquis plura & meliora attulerit, & me quoque ubi opus fuerit, refellerit: ut tum denique labores quos in hac re ſuſcepi, largè compenſatos putem: ſi quemadmodum ego nonnullos ſtudio & opera mea ex erroribus in

*quibus erant eripui: ſic ipſe in quibus deceptus ſim, quæq́; non uiderim: amicè & beneuolè docear. ſcire enim cupio: nec res ulla eſt, in qua ſi iuuer, tantopere gaudeam. In collatione autem ueterum librorum uſus ualde ſum fideli diligentique Ludouici Bonaccurſij opera, eruditi ſanè iuuenis, & in arte grammatica, quam publicè hic Flor*ẽ*tiæ maxima cum laude profitetur, acutiſſimi. Cum igitur ipſum huius mei negotij ſocium habuerim nec inſuauem nec inertem, multáque ille, ut mihi inſeruiret, incommoda in hoc perpeſſus ſit, meas partes eſſe exiſtimaui, hoc teſtimonio ſtudium, operámque eius commendare, ut ſi qua ipſi laude ex noſtro hoc labore digni ſumus, ipſe quoque debitam ſibi inde partem auferat.*

ATTENDE *autem Lector an poſteriores noſtræ cogitationes duobus tribúſue in locis ſapientiores ſint: nam tales illæ eſſe uetere prouerbio dicebantur.*

*Libro epiſt. ad Quintum Metellum pagina 138: Confectas & conſolidatas, &c. Nuper cum Mediceum codic*ẽ *accuratius ſuper hac caſtigatione conſulerem (nunquam enim mihi illa penitus ſatisfecit) cognoui ueterem ſcripturam me fefelliſſe. Quare cum ea tantum nixus (conſolutas) legerim, & ipſa quoque titubet, diligentius eſſe puto totam rem conſiderandam, & fortaſſe ad priorem lectionem redeundum. Antiquam hic ponemus, quæ ſanè ualde manca & incerta eſt: nam & copula deeſt, quæ uidetur tamen eſſe neceſſaria,* RATIONES CONFECTAS CONSOLATAS DEPONEREMVS.

*Libro ſecundo ad Qu. Fratrem, pagina 575. Erant omnia iam formis excuſa, cum incidi in locum quendam ex epiſtola ad Varronem, de quo non incommodum eſſe puto hic agere. n*ō *diſsimilem autem ille huic uim ſignificatúmque*

(ut opinor) habet: uerba quidem certè eadem utriuſque ſunt, NVNC QVVM CONFECTA SVNT OMNIA, DVBITANDVM NON EST QVIN EQVIS VIRIS. ita enim ſcriptum eſt in antiquis libris, quamuis excuſi fermè omnes priorē uocem corruptam habeant: nonnulli autem, neque hi peiores, ſinceram ſanè eam, ſed poſteriorem immutatam, deprauatam dicere non audeo. Arbitror autem ſic ut in illis eſt cōformatam eſſe dictionem illam ab aliquo, cui Eraſmi caſtigatio ualde probaretur. Cùm tamen omnes codices antea ambobus in locis eandem lectionē retinerent: conſiderandum eſt diligentius, an EQVIS VIRIS potuerit eſſe prouerbium: quod & ipſum ſummo ſtudio & omni apparatu ſignificarit. non enim uideo cur tam facilè duobus locis VIRIS, in VELIS conuerti debeat. Quod ſi ingenuè quod quiſque ſentit, liberè proferre debet, admoneo eruditum lectorē ut accuratè uideat: an eodem hoc prouerbio fuerit in VIII. Philippica Cicero uſus, cum idem ſignificare uellet: quod in cunctis tamen excuſis libris eo etiā loco corruptum, & inquinatum ſit (adeo omnia mendorum plena ſunt) ac pro VIRIBVS, legendum ſit VIRIS, qua in uoce uitium manere ſuſpicor. ita autem illi habent, Putabam fore ut omnes inflammati odio, excitati dolore, armis, equis, uiribus D. Bruto ſubueniremus. Quod ſi cui (quia eius ratio obſcura eſt, nec facilè explicari poteſt, quomodo equi & uiri coniuncti ſint) hoc prouerbium parum certum eſt, ſciat is me quoque nihil de eo compertum habere: nolem tamen ueterem ſcripturam commutaſſe. quod ſi tunc hæc animaduertiſſem, profectò non feciſſem. Nihil autem difficilius eſſe puto, quàm uelle obſcuriorum quorundam prouerbiorum originem aperire: nam multa antiquorum truncata adducuntur, &

causam

cauſam, ortúmque etiam noſtra tempeſtate, noua quædam ſæpe eum habent, quem ægrè poßit aliquis omni ſtudio inueſtigare. Quod ſi neceſſe eſt QVADRIGIS POETICIS inferioribus uerbis adnectere, cogitandum eſt an hoc prius prouerbio uſus fuerit in epiſtola ſua Quintus: cui parti literarum ob hanc cauſam Marcus etiam ipſe ſuperiore illo prouerbio reſpondere uoluerit: nam habere hæc uerba, de quibus nunc agimus, prouerbij uim, notius clariúſque eſt quàm ut declarari debeat.

Lib. I. Tuſcul. Pag. 318. Ad confirmandam caſtigationem illam primi libri Tuſculanarum Pag. 318. quam ego nimis fortaſſe lentè ac faſtidioſe probaui, ualent hæc duo optimorum autorum exempla, qui & ipſi eo uerbo eodem ſignificatu uſi ſunt. Horatius lib. primo odarum, Hic innocentis pocula Leſbij Duces ſub umbra. Plautus Amphitryone. Mer. Cadus erat uini, inde impleui cirneam. SOS. ingreſſu'ſt iam. Mer. eam ego ut matre fuerat natum, uini eduxi meri.

INDEX EXPLICATIONVM PETRI VICTORII.

A

ABeſſe propius ab aliquo loco 181
Academici 498
Accenſi 28
Accipere 391
Accipere aliquem uehementer 346
Achilli genitiuus 314
Ακοπία 159
Ἄκρατον 144
Acroama 459
Ακροματικὰ Ciceronis 460
Acrocolus 512
Actium 180
Actinæ legiones 294
Ad Atticũ epiſtolæ uerius familiares poſſe appellari 8
Αδελφὸν 226
Adhibere 123
Adhibere fidem in aliquo negotio 299.& ſeq.
Adhibere in conſilium 469
Aditus 214
Adiuiſti pro adiuuiſti 52
Adlegati 410
Αδολέσχος 489
Ad Opis 270
Ad Pollucis 270.& ſeq.
Aduerſarium pro Aduerſariorum 311
AEgypta libertus 391
AErarium clauſum 341
AEuitas 531 Aër 502
Affici beneficijs 78
Agamemno 423
Αγκύλη 506
Agere nobilem 80
A.lex 273
Alabandeis 240
Αλαλύκτημαι 319
Ἄλη 339
Αλίμενα 329
Aliqui pro aliquis 82
Αλλὰ 217 Αλλὰ δὴ ibi.
Amafinius 155
Ἄμεμπτα 279
Amores 269
Amphorûm 133
An.pro annis 415
Anabatæ 64
Αναβολὴ 188
Anaces 524. in fine
Anactes ibidem

Αναστρέφειν

Ανατρέφειν 267
Αναχεῖον 525
Anemurium 133
Anima, pro aëre 502
Animus ibidem
Anticlia 518
Anticus 534
Antiochus Aſcalonita 406
Antiochinas, pro Antiochia nas 96
Antipho ὀνδροκείτης 112
Antiquorũ hominum eſſe 333
Antiſthenis uolumina 342
Antonij leones 361
Aonia 264
Apiſci pro adipiſci 35.412
Αποκαρτερῶν 503
Αποκοτταβίζειν 505
Αποσιώπησις 129
Απότευγμα facere 106
Απότόμως 355
Appellare 410
Appiani 27
Appius Claudius 277
Appij Pulchri liber de augurali diſciplina 347
Arripere 479
Αρχαῖοι rudes 333
Αρχαῖον 343
Αρχιμήδιον 468
Aſpiratio omiſſa 59
Αχημονέστερος 133
At pro Ad 52
At tem. pro Ad tempus 69
Ατταραξία 153
Athenodorus Cordylion 30
Athenodorus Sandon, qui & Cananita, Cæſaris Auguſti præceptor 30
Ατείψ 404
Attributi 410
Αχθόφορος 521

B

B pro V in antiquis ſcripturis 30.43.223.435
Βακήλοι 65
Baro 111
Battuere 108
Bauli 80
Bembi indoles 35
Ben. pro beneuolentia 415
Beneficẽtia Ciceroni quid 12
Brinnius 402
Brundiſium 455
Budæus 44 Burſa 268

C

C pro Q. 13.180.312.474
CCCIↃↃↃ ∞ 169
Caput 529
Cæcilius Baſſus 429
Cæſaris origo 86

Calidus

Caliduſ pro calliduſ 447
Carefacit 163
Καρποὶ 190
Caßiope 156
Καλάκειαις 336
Catonini 73
Catonium ibidem
Catulus Ciceronis 494
Κάτω 73
Celſi locus 178
Κενόσπουδος 152
Centuriare 486
Κέπφος 413
Κέρας 263
Cerellia Ciceronis amica 142
Cerificare 210
Cernere hæreditatem 372
Cetero qui 96.264
Κνεάζειν 211
Chilo 59
Chryſippus 412
Cicero quando Græcis uocibus utatur 426
Cicero raro integra prouerbia citat 106
Cilo 59
Citheris 463
Clauis anni ſignabantur olim 256
Clides inſulæ 132
Cluatius 385
Clyſter 524
Coad pro Quoad 474
Comedim 105
Comenſis cæſus à Marcello 252
Commiſſatores 193
Commodum 72
Comparare inter ſe 16
Confectio 526
Confieri 313
Conteſtatæ lites 32
Conuenientia 129
Conuerto, paßiuè 309
Copia 311
Copioſa à frumento 311
Coronis 297. in fine
Coſmus Cremonenſis 539
Coſmus Medices 551
COSS. quandoque omiſſum breuitatis cauſa 415
Cotidie 534
Κότλαβος 505
Cotye 501
Cotyttia ibidem
Credere 37
Cretio 372
Κρομμύου ἄκρα 133
Cteſibus Alexandrinus 513
Cuicuimodi 221
Currens 305

Αναστρέφειν 267
Αναχεῖον 525
Anemurium 133
Anima, pro aëre 502
Animus ibidem
Anticlia 518
Anticus 534
Antiochus Aſcalonita 406
Antiochinas, pro Antiochianas 96
Antipho ὀνειροκρίτης 112
Antiquorū hominum eſſe 333
Antiſthenis uolumina 342
Antonij leones 361
Aonia 264
Apiſci pro adipiſci 35.412
Αποκαρτερῶν 503
Αποκοτταβίζειν 505
Αποσιώπησις 129
Απότευγμα facere 106
Αποτόμως 355
Appellare 410
Appiani 27
Appius Claudius 277
Appij Pulchri liber de augurali diſciplina 347
Arripere 479
Αρχαῖοι rudes 333
Αρχαῖον 343
Αρχιμήδιον 468
Aſpiratio omiſſa 59
Ασχημονέστερος 133
At pro Ad 52
At tem. pro Ad tempus 69
Αταραξία 153
Athenodorus Cordylion 30
Athenodorus Sandon, qui & Cananita, Cæſaris Augusti præceptor 30
Ατείψ 404
Attributi 410
Αχθόφορος 521

B

B pro V in antiquis ſcripturis 30.43.223.435
Βακῆλοι 65
Baro 111
Battuere 108
Bauli 80
Bembi indoles 35
Ben. pro beneuolentia 415
Beneficētia Ciceroni quid 12
Brinnius 402
Brundiſium 455
Budæus 44 Burſa 268

C

C pro Q. 13.180.312.474
CCCIƆƆƆ ∞ 169
Caput 529
Cæcilius Baſſus 429
Cæſaris origo 86

Calidus

Calidus pro callidus 447
Carefacit 163
Καρποὶ 190
Caßiope 156
Καλάκεισις 336
Catonini 73
Catonium *ibidem*
Catulus Ciceronis 494
Κάτω 73
Celſi locus 178
Κενόσπουδος 152
Centuriare 486
Κέπφος 413
Κέρας 263
Cerellia Ciceronis amica 142
Cerificare 210
Cernere hæreditatem 372
Cetero qui 96.264
Κνεκάζειν 211
Chilo 59
Chryſippus 412
Cicero quando Græcis uoci=bus utatur 426
Cicero raro integra prouer=bia citat 106
Cilo 59
Citheris 463
Clauis anni ſignabantur o=lim 256
Clides inſulæ 132
Cluatius 385
Clyſter 524
Coad pro Quoad 474
Comedim 105
Comenſis cæſus à Marcello 252
Commiſſatores 193
Commodum 72
Comparare inter ſe 16
Confectio 526
Confieri 313
Conteſtatæ lites 32
Conuenientia 129
Conuerto, paßiuè 309
Copia 311
Copioſa à frumento 311
Coronis 297. *in fine*
Coſmus Cremonenſis 539
Coſmus Medices 551
COSS. *quandoque omiſſum breuitatis cauſa* 415
Cotidie 534
Κότταβος 505
Cotye 501
Cotyttia *ibidem*
Credere 37
Cretio 372
Κρομμύου ἄκρα 133
Cteſibus Alexandrinus 513
Cuicuimodi 221
Currens 305

Curius 302
Cyrus architectus 203.233
Κωμικὸς μάρτυς 24

D

D *Decimus* 450
Decimus ibidem
Decreram 219
Decreſſem ibidem
Dei bonei 124
Deliciæ 269
Demetrius Pompeij lib. 234
Demiurgus Turpilij 107
Denarius idem quod drachma 485
Depſere 108
Δίψεως 109
Depugnare 55
Derra 245
Derris ibidem
Derthoma 125
Dertona ibidem
Deſcribere pecuniâs 128
Deſcrucior 428
Deſcuſſare 161
Deſyderare 312
Deuerſorium 428
Deum aliquem facere 313
Διάληψις 284
Diana Munychia 542
Διαφόρεσις 159
Dibaphos 208
Diem dicendi eximere 165
Dilargiri 243
Dilaudare ibidem
Dilectus, pro delectus 428
Diodotus philoſophus 93
Dionyſius grammaticus 282
Dioſcuri 584
Dipla 297
Diuendere 243
Domus Ciceronis ubi 224
Ducere aquam 416
Ducere comitia 239
Ducere familiam 416
Ducere flumen 416
Dyme 471
Dymæi ibidem
Δυσσέβεια 353

E

E *pro I in ueteribus ſcriptoribus* 56
E *in* F *mutatum* 475
Εκβαίνειν 80. *Ecce* 432
Effligere 337 Εγκήραμα 389
Ei pro ſibi 390
Em ſine aſpiratione 136
Εμβειθὴς 377
Εμβαίνειν 80
Embeneticam facere ibi.
Ενδόμυχον 255
Enim poſt duas dict. 384
Επέχειν 277

Epict

Epictetus, Phrygia minor 32
Epicurus Gargettius 149
Epicurus parciſsimi uictus 75
Ἐπισημασία 193
Ἐπιχαιρεκακία 398
Ἐποχὴ 463 Heretrici 521
Eros 364. 387
Eſſe beneficio alicuius 78
Εὐγένεια 29
Εὐήθεις Græcis qui 333
Euryclia 518
Euripides ſcenicus philoſophus 507
Ex artis 104
Ex Apollodori 387
Excolere animum & ingenium diſciplinis 397
Expetitus 282
Exire 67. 95. 403
Exitus 214
Ἐξοχή 29
Exturbare 313
Ἡδονὴ 398
Ἦθος 360
Ἡμερόλεγδον 237
Ἡρακλείδιον 467

F

F, Filium ſignificat 156
Fabrius 387
Familia 61
Familiam ducere ibidem
Familiares Ciceronis epiſtolæ falſo hactenus nomine ita appellatæ 7
Fannius 379
Faſciculus 400
Fauificare 210
Fide, pro fidei 114
Filicata patera 537
Finis, incerti generis 117
Flocifacteon 195
Fœnerabantur Calendis Romani 380
Fretum Sicilienſe 345
Furia, appellatus Clodius 14

G

G pro C. apud ueteres librarios 258
Gaſparinus 539
Geminus 227
Gerardus Landrianus 539
Germanum 226
Germanorum exemplar epiſtolarum Ciceronis 34
Gladiatoribus 116
Γλίσχρως 473
Granius 99
Greceius 450
Γυμνασιώδη 184
Gyrini 526

H

H 363
Habere fidem 299
Haue 87
Hedychrum 514
Heletes 484
Helicon 264
Hephestionis locus emendatus 297
Hermodorus 408
Heroës 289
Hirrus 224. 69
Hirrus, billus 22
Hirrun 308
Hirtinus 294
Hirtinum pro hirtianum 96
Homeri locus 332
Homunicio 35
Homuniculi ibidem
Horatij locus 149
Hydraulos 513
Hyperatticus 443
Hyſterica 201

I

I pro E apud librarios 54
IↃↃ 293
IIII uiri 248
Iacere 294
Iens 471
Ilias malorum 306
Ille, ipſe 58 ille, ille 338
Illi, pro ibi 59
Illi, pro illic 331
Illim, pro illinc 373
Impetu, tertio caſu 115
Impotens ibidem
Inalpini 122
In amoribus, in delicijs 269
Inchoatum 409
Indices 244
Indigentia 516
In eis 335
Ineptus 272
Inermorum 122
In his 335
Inijcere 478 in fine
In Italiam uerſus 41
Inops ab amicis 311
Intercludi 146. & ſeq.
Inus finita, pro ianus 596
Iohannes Pierius 116. 535
Ioui ipſi iniquus 312
Iſtim, pro Iſtinc 57. 331
Iuare, pro Iuuare 544
Iulius menſis, prius Quintilis dictus 470
Iuuentas 544

L

L pro liberto 391
L. pro literis 371392
Lactare 515
Λάπισμα 328

Laurent

Laurentius Medices 551
Lecti 340
Legare à filio 423
Letum, pro morte 509
Lentulus Sura 80
Lex Fannia ſumptuaria 74
Λῆψις 284
Liberalitate frui 17
Libor 115
Librorum inſcriptiones ex nominibus interlocutorum 493
Limitare 30
Literæ Pompeij 298
Λογεῖον 51
Lotus 71
Lucceius 51
Luci primo 314
Luciſcit 241
Lucilij libertas in ſatyris 488
Lucretij locus 126.204
Lucullus Ciceronis liber 493
Ludis 116
Ludouicus Bonaccurſius 552
Lurtius 342
Lycoris 464

M

MAg. pro magiſtratibus 415
Μακροθυμία 327
Μακροψυχία ibidem
Maleæ, promontorium 40
Mancupia 390
Manum de tabula 73
Marinus 294
Mars communis 286
Marullus Byzantius 126
Materis 541
Mediceus codex 13.146
Medus 355
Melita 345
Meliuſcule 229
Μήλη 398
Μηλῶσαι ibidem
Menedemus 162
Μειακόμιοι 522
Meus 140
Migrare 534
Mijs pro meis 367
Millenarius numerus per notam hanc ∞ ſignificatur 160
Mittere 45.123
Μιτλω 436
Modo 91
Monetalis 557
Μόψου ἐςία 51
Μυστάζακτος 166
Mulnius pons 416
Munychio 542

Mutus à literis 311
Mylaſeis 140
Myrina 52

N

NE, pro ut 199
Ne, pro ut non ibidẽ
Neapolitanum 440
Neceſſ eſt. 282
Νεκυΐα 324.335
Neſides inſulæ 471
Νέυειν 297
Nicias grammaticus 282
Nilus 177
Nicaſio 380
Ninnius 366
Nitrum 85
Nominis mutatio in adoptione 220
Nonij locus 105.369
Nuda à magiſtratibus reſp. 311
Nunc ipſum 393

O

OBduco 504
Octius 396
Oenomatus Accij 100
Offendere apud aliquem 342
Οἱ νέως δέχεσθε 346
Οἰκεῖον 184.490
Omnia cuipiam eſſe cũ aliquo 135
Ὁμοπλοΐα 472
Ὁμοπλοΐαν facere ibidem
Ὠνὴ 257
Ὤνιον 284
ω millenarium numerum deſignat 160
Ὀπαδοὶ 105
Opere, aduerbium 234
Oppidorũ nominibus præpoſitia non addita 283
Oppidum pro oppidorũ 311
Ὁρμὴ 388
Oſaces 260
Ouia 287

P

PAltos 131
Παῖδες παίδων 487
Parare inter ſe 16
Parietinæ 33
Parion 140
Parochus 399
Παροίμια 518
Partiri 213
Πάταγος 216
Patræ 369
Pegaſus 177
Per, auget 90
Percepta 528
Περὶ δυνατῶν 227
Peripatetici 499
Per Locuſtæ 194

Per Varronis 194.388
Phemius 263
Philargyrus 334
Philo 495
Philogenes 284
Philotimus 274
Φιλένδοξος 404
Φιλόδημος 381
Φιλοθέωρος 66
Φιλοσόφως 406
Φιλοτέχνοι 419
Φλύαρος 152
Πῦνος 382.457
Piræus 282
Plebei, genitiuus à plebs 77
Plenum uini, non uino 451
Plinij locus 277.219.518
Plodere 420
Plodere uictoriæ ibidem
Φλυδονῶν 348
Politus homo 60
Ponere quempiam in gratia apud aliquem 448
Põtius Aqui. 119.440.*et ſe.*
Portenti ſimile 439
Poſticus 534
Præcipere 48
Prænomina nõ integra ſcribebant Romani 273
Præripi 334
Præſens 12
Præſtolari 212
Prima 331
Problemata 528
Πρόβλημα 467
Προκόπτειν 457
Prodere caput 529
Prodere decretum ibidem
Proſpectat mare animus 323
Prouerbia deminuta ac manca apud ciceronẽ 253.458
Ψικάς 207
Pudenter 288
Pyrrhon 277

Q

Q. QQ. 370.450
Q. pro C. in antiquioribus ſcripturis frequens. 13
Q. Quæ 168
Q. Quæſtor 415
Q. Quingena 169
Q. pro Quintus 354
Q. Mucius 270
Quæſticulus 102
Quatere 307
Quigenus 485
Quinquatrus 23
Quodcunque in ſolum uenit, effingere prouerb. 210
Quom pro cum in uetuſtioribus ſcripturis 474

Quotidie 534

R

Auduſculum 231
Reapſe 98
Receperis, pro reciperis 53
Receſſus 342
Reciperare 56
Remedia à beluis 524
Repræſentare 474
Repræſentare improbitatem ibidem.
Ῥηξίνως 430
Ῥηξίφλοια ibidem
Ῥηξίφρων ibidem
Ῥηξόφεμις ibidem
Rhinton comicus 197
Ridiculum de Nurſinis 521
Ringi 226
Roſia 238
Rupa, libertus Curionis 20
Ῥᾶπις 457

S

S, interit apud priſcos poëtas 424
Saliares cenæ 249
Salutariter 115
Sariſſæ 541
σκήψεις 383
Schola 287
Scidula 148
σκυλμὸς 236
Se, pro ipſum 269
Secutores 292
Seducere 442
Selicia 456
σεμνὸς 452
Senecæ locus 482
Senogallia 545
Seſtius, uix unquã per x. 52
Seſtulius 428
Sibi, pro ei 390
Siculus, uafer 166
Silanus 178
Simul pro ſimulac 56
Simiolus 45
Sittybæ 228
Solœciſmus à Grammaticis in quibuſdam Ciceronis locis animaduerſus 12
Soniuia, tripudia 55
σπάνις 516
Species 57
Spectare 220
Spectare, & expectare 248
Spectio 219.220
Specus 466
σπουδάζειν 152
ST, pro EST 14.43
Stabiæ 60
Stathius 377
Stillicidium 353
Stomachus 244

στραγγεία 353
Subſiſtere ſumptui 125
Suetonij locus 122.481
Summarium 339
Summùm, aduerbialiter 19
Supra promontoriū tranſmittere 39
Súſque déque 428
Suum illud 415
συμβαλλεσθαι 446
συμβεβηκότα 139
συμπάθεια 349
συμφορὰ 349
σὺν θεῷ λέγω 352
σύνναος 395

T

Taciti locus 544
Talis & tantus 141
Tantum quòd 71
Tardioris, accuſatiuus pluralis 334
ταυτόματον 188
Tem. pro tempore 415
Temporeis, ſecūdo caſu 124
Tenere lineam 232
Terentianus cod. Politiani 53
Terentij locus 62.78
τέτλα κύντερον 331
Themiſtocli, dādi caſus pro generandi 46
Themiſtocli, genitiuus 314
Theopompus 391
Theoremata 528
θεώρημα ibidem
Theramenis exitus 505
Tibulli locus 123
Timefactus 126
T. Ampius Balbus 308
T. Liuij locus 541
T. Pomponius, poſtea Q. Cæcilius appellatus 220
Topiarius 537
Tradere quempiā alicui 254
Traferre 49
Tralatum ibidem
τραχέως δέχεσθαι 346
Tumuli 379
Tuum 415

V

V pro B. in ſcripturis antiquis 30.43
Valerius interpres 491
Vectius 123
Venire ad uillam 363
Venuſia 144
Verum 381
Veruntamen 432.476
Videre 247.441
Vindullus 271
Viuere cum aliquo 238
Vlpiani locus 388

Vmmius 158
Vocales immutatæ 37
Vrinæ difficultas 353
Vt 246
Vt, pro ne 198. 371
Vtilitates 283
Vulgare, pro aduerbio 141
ὑπὲρ μαλέας 40
ὑπεραττικίζειν 443
ὑποθέσεις 173
ζηλῶ 541

FINIS.

VICTORIVS CAMPANO SAL.

Hviuſmodi eſt ſtudium illud, cui nos quatuor ab hinc annos operam dedimus, Franciſce Campane, ut finẽ nullum habeat, nec unquam ad certum aliquem terminum perduci poßit. Et ſi id antea non ignorabam, multo tamen certius cognoui ſtatim ut libri ipſi è manibus exierunt. Animaduerti enim quædam à me relicta eſſe, quæ ſi adnotaſſem, non ingrata ſtudioſis fuiſſent. Hoc au*tem facilius ſcire potui, quia ipſe perſpexi deſideria plurimorum, nec non quia ad me multæ multorum uoces ab amicis ſcriptæ ſunt: qui quamuis labores meos non inutiles putarent, hoc tamen, aut illud adiungi uoluiſſent. Cùm enim in primis laboraſſem, ut quæ à me immutata fuerant, conſtituerem: non pauci uoluiſſent etiam obſcuriores aliquos locos illuſtrari, quamuis ſcripturæ immutatio nulla facta eſſet. Statui igitur horum ſtudio quantum poſſem, ac cum primum poſſem, ſatisfacere: maximè cùm ex aßidua Ciceronis*

his lectione cognoſſem, non ſine cauſa id à me poſtulari, Quamuis autem mihi hoc perficiendi, totùmque præſtandi, facultatem deeſſe pulchrè intelligerem: ſi tamen huic ei diligenter ſtuduiſſem, ſperaui me, ſi non deſideria illorum extinguere, ſaltem lenire, & aliquantulũ mitigare poſſe. Huic igitur ſtudio intentus, ſeponebam cotidie aliquid, & eodem tempore omnibus Ciceronis libris opem aliquam adferebam: non enim uni, aut alteri tantum operi addictus eram, & in eo totas cogitationes meas conſumebã, intelligebámq; quanto diutius in hoc inſtituto meo perſeueraſſem, tanto plura, ac meliora à me inuentum iri. Verùm cùm ſemper in omni mea uita ſtatuerim, aliorũ potius amicorum, ac prudentium hominum de me iudicijs, quàm meis ſtare: cùm ſæpe ab amicis poſcerer, ut quæ ad eam diem animaduertiſſem, peruulgarem: non potui diutius has ipſorum flagitationes ſuſtinere, decreuíque cupiditati eorum morem gerere. Nactus autẽ tempus à cotidianis meis laboribus uacuum, quo etiam ab illis magis premebar, & ad hoc nunc agendum impellebar, accuratè Epiſtolas Ciceronis relegi: & quæcunq; iam in illis adnotaram, & nonnulla quoque, quæ nunc mihi ſuccurrerunt, collegi, ex iiſq; paruum quoddam uolumen con feci. Additus etiam eſt labor, nonnulla quæ olim à me animaduerſa erant confirmandi: quæ res maius uolumen ipſum effecit. nam ad me perlatus eſt liber, nuper Venetijs impreſſus, Epiſtolarum, quas familiares uocãt: in quo ſcholia quædam ſunt doctorum, & ingenioſorum uirorũ: quorum nonnulla contra me, ac iudicium meum ſtudioſè facta uidentur. Commodum igitur uiſum eſt, de illis rebus, in quibus reprehendebar, iterum diſſerere. Non minus enim utile eſſe puto, uetera con firmare, quàm noua contexere. Non quò ſententiam meam, ſi forte falſa eſt, tueri, ac pertinaciter defendere

Αναστρέφειν 267
Αναχεῖον 525
Anemurium 133
Anima, pro aëre 502
Animus ibidem
Anticlia 518
Anticus 534
Antiochus Aſcalonita 406
Antiochinas, pro Antiochia
nas 96
Antipho ὀνειροκρίτης 112
Antiquorũ hominum eſſe 333
Antiſthenis uolumina 342
Antonij leones 361
Aonia 264
Apiſci pro adipiſci 35.412
Αποκαρτερῶν 503
Αποκοτταβίζειν 505
Αποσιώπησις 129
Απότευγμα facere 106
Αποτόμως 355
Appellare 410
Appiani 27
Appius Claudius 277
Appij Pulchri liber de augurali diſciplina 347
Arripere 479
Αρχαῖοι rudes 333
Αρχαῖον 343
Αρχιμήδιον 468
Aſpiratio omiſſa 59
Ασχημονέστερος 133
At pro Ad 52
At tem. pro Ad tempus 69
Αταραξία 153
Athenodorus Cordylion 30
Athenodorus Sandon, qui & Cananita, Cæſaris Augusti præceptor 30
Ατείψ 404
Attributi 410
Αχθόφορος 521

B

B pro V in antiquis ſcripturis 30.43.223.435
Βαυκάλοι 65
Baro 111
Battuere 108
Bauli 80
Bembi indoles 35
Ben. pro beneuolentia 415
Beneficẽtia Ciceroni quid 12
Brinnius 402
Brundiſium 455
Budæus 44 Burſa 268

C

C pro Q. 13.180.312.474
CCCIƆƆƆ ∞ 169
Caput 529
Cæcilius Baſſus 429
Cæſaris origo 86

Calidus

Calidus pro callidus 447
Careſacit 163
Καρποὶ 190
Caßiope 156
Καλάκεισις 336
Catonini 73
Catonium ibidem
Catulus Ciceronis 494
Κάτω 73
Celſi locus 178
Κενόσπουδος 152
Centuriare 486
Κέπφος 413
Κέρας 263
Cerellia Ciceronis amica 142
Cerificare 210
Cernere hæreditatem 372
Cetero qui 96.264
Κνεκάζειν 211
Chilo 59
Chryſippus 412
Cicero quando Græcis uoci= bus utatur 426
Cicero raro integra prouer= bia citat 106
Cilo 59
Citheris 463
Clauis anni ſignabantur o= lim 256
Clides inſulæ 132
Cluatius 385
Clyſter 524
Coad pro Quoad 474
Comedim 105
Comenſis caſus à Marcello 252
Commiſſatores 193
Commodum 72
Comparare inter ſe 16
Confectio 526
Confieri 313
Conteſtatæ lites 32
Conuenientia 129
Conuerto, paßiuè 309
Copia 311
Copioſa à frumento 311
Coronis 297. *in fine*
Coſmus Cremonenſis 539
Coſmus Medices 551
COSS. *quandoque omiſſum breuitatis cauſa* 415
Cotidie 534
Κότταβος 505
Cotye 501
Cotyttia ibidem
Credere 37
Cretio 372
Κρομμύου ἄκρα 133
Cteſibus Alexandrinus 513
Cuicuimodi 221
Currens 305

Cur

Curius 302
Cyrus architectus 203.233
Κωμικὸς μάρτυς 24

D

DD 450
D Decimus ibidem
Decreram 219
Decreſſem ibidem
Dei bonei 124
Deliciæ 269
Demetrius Pompeij lib. 234
Demiurgus Turpilij 107
Denarius idem quod drachma 485
Depſere 108
Δέψεσθαι 109
Depugnare 55
Derra 245
Derris ibidem
Derthoma 125
Dertona ibidem
Deſcribere pecunias 128
Deſcrucior 428
Deſcuſſare 161
Deſyderare 312
Deuerſorium 428
Deum aliquem facere 313
Διάληψις 284
Diana Munychia 542
Διαφόρεσις 159
Dibaphos 208
Diem dicendi eximere 165
Dilargiri 243
Dilaudare ibidem
Dilectus, pro delectus 428
Diodotus philoſophus 93
Dionyſius grammaticus 282
Dioſcuri 584
Dipla 297
Diuendere 243
Domus Ciceronis ubi 224
Ducere aquam 416
Ducere comitia 239
Ducere familiam 416
Ducere flumen 416
Dyme 471
Dymæi ibidem
Δυσσέβεια 353

E

E pro I in ueteribus ſcriptoribus 56
E in F mutatum 475
Ἐκβαίνειν 80. Ecce 432
Effligere 337 Ἐγχείρημα 389
Ei pro ſibi 390
Em ſine aſpiratione 136
Ἐμβριθὴς 377
Ἐμβαίνειν 80
Embeneticam facere ibi.
Ἐνδόμυχον 255
Enim poſt duas dict. 384
Ἐπέχειν 277

Epict

Epictetus, Phrygia minor 32
Epicurus Gargettius 149
Epicurus parciſſimi uictus 75
Ἐπισημασία 193
Ἐπιχαιρεκακία 398
Ἐποχὴ 463 Heretrici 521
Eros 364. 387
Eſſe beneficio alicuius 78
Εὐγένεια 29
Εὐήθης Græcis qui 333
Euryclia 518
Euripides ſcenicus philoſophus 507
Ex artis 104
Ex Apollodori 387
Excolere animum & ingenium diſciplinis 397
Expetitus 282
Exire 87. 95. 403
Exitus 214
Ἐξοχή 29
Exturbare 313
Ἡδονὴ 398
Ἦθος 360
Ἡμερόλεγδον 237
Ἡρακλείδιον 467

F

F, Filium ſignificat 156
Fabcrius 387
Familia 61
Familiam ducere ibidem
Familiares Ciceronis epiſtolæ falſo hactenus nomine ita appellatæ 7
Fannius 379
Faſciculus 400
Fauificare 210
Fide, pro fidei 114
Filicata patera 537
Finis, incerti generis 117
Flocifacteon 195
Fœnerabantur Calendis Romani 380
Fretum Sicilienſe 345
Furia, appellatus Clodius 14

G

G pro C. apud ueteres librarios 258
Gaſparinus 539
Geminus 227
Gerardus Landrianus 539
Germanum 226
Germanorum exemplar epiſtolarum Ciceronis 34
Gladiatoribus 116
Γλίσχρως 473
Granius 99
Grecceius 450
Γυμνασιώδη 184
Gyrini 526

H

H 363
Habere fidem 299
Haue 87
Hedychrum 514
Heletes 484
Helicon 264
Hephæſtionis locus emendatus 297
Hermodorus 408
Heroës 289
Hirrus 224. 69
Hirrus, hillus 22
Hirrun 308
Hirtinus 294
Hirtinum pro hirtianum 96
Homeri locus 332
Homunicio 35
Homuniculi ibidem
Horatij locus 149
Hydraulos 513
Hyperatticus 443
Hyſterica 201

I

I pro E apud librarios 54
I ɔɔ 293
IIII uiri 248
Iacere 294
Iens 471
Ilias malorum 306
Ille, ipſe 58 ille, ille 338
Illi, pro ibi 59
Illi, pro illic 331
Illim, pro illinc 373
Impetu, tertio caſu 115
Impotens ibidem
Inalpini 122
In amoribus, in delicijs 269
Inchoatum 409
Indices 244
Indigentia 516
In eis 335
Ineptus 272
Inermorum 122
In his 335
Inijcere 478 in fine
In Italiam uerſus 41
Inops ab amicis 311
Intercludi 146. & ſeq.
Inus finita, pro ianus 596
Iohannes Pierius 116. 535
Ioui ipſi iniquus 312
Iſtim, pro Iſtinc 57. 331
Iuare, pro Iuuare 544
Iulius menſis, prius Quintilis dictus 470
Iuuentas 544

L

L pro liberto 391
L. pro literis 371 392
Lactare 515
Λάπισμα 318

Laurentius Medices 551
Lecti 340
Legare à filio 423
Letum,pro morte 509
Lentulus Sura 80
Lex Fannia ſumptuaria 74
Λῆψις 284
Liberalitate frui 17
Libor 125
Librorum inſcriptiones ex nominibus interlocutorum 493
Limitare 30
Literæ Pompeij 298
Λογεῖον 51
Lotus 71
Luceius 51
Luci primo 314
Luciſcit 241
Lucilij libertas in ſatyris 488
Lucretij locus 126.204
Lucullus Ciceronis liber 493
Ludis 116
Ludouicus Bonaccurſius 552
Lurtius 342
Lycoris 464

M

MAg.pro magiſtratibus 415
Μακροθυμία 327
Μακροψυχία *ibidem*
Maleæ,promontorium 40
Mancupia 390
Manum de tabula 73
Marinus 294
Mars communis 286
Marullus Byzantius 126
Materis 541
Mediceus codex 13.146
Medus 355
Melita 345
Meliuſcule 229
Μήλη 398
Μηλῶσαι *ibidem*
Menedemus 162
Μεακόμια 522
Meus 140
Migrare 534
Mijs pro meis 367
Millenarius numerus per notam hanc ∞ ſignificatur 160
Mittere 45.123
Μίτλην 436
Modo 91
Monetalis 557
Μόψου ἑστία 31
Μυστπάτακτος 166
Muluius pons 416
Munychio 542

N *Mutus*

Mutus à literis 311
Mylaſeis 140
Myrina 52

N

NE, pro ut 199
Ne, pro ut non ibidẽ
Neapolitanum 440
Neceſs eſt 282
Νεκυῖα 324.335
Neſides inſulæ 471
Νέυειν 297
Nicias grammaticus 282
Nilus 177
Nicaſio 380
Ninnius 366
Nitrum 85
Nominis mutatio in adoptione 220
Nonij locus 105.369
Nuda à magiſtratibus reſp. 311
Nunc ipſum 393

O

OBduco 504
Octius 396
Oenomatus Accij 100
Offendere apud aliquem 342
Οἱ νέως δέχεσθε 346
Οἰκεῖον 184.490
Omnia cuipiam eſſe cũ aliquo 135
Ὁμοπλοία 472
Ὁμοπλοίαν facere ibidem
Ὠνὴ 257
Ὤνιον 284
ω millenarium numerum deſignat 160
Ὀπαδοὶ 105
Opere, aduerbium 234
Oppidorũ nominibus præpoſitia non addita 283
Oppidum pro oppidorũ 311
Ὁρμὴ 388
Oſaces 260
Ouia 287

P

PAltos 131
Παῖδες παίδων 487
Parare inter ſe 16
Parietinæ 33
Parion 140
Parochus 399
Παροιμία 518
Partiri 115
Πάταγος 116
Patræ 369
Pegaſus 177
Per, auget 90
Percepta 528
Περὶ δυνατῶν 227
Peripatetici 499
Per Locuſtæ 194

Per Varronis 194.388
Phemius 263
Philargyrus 334
Philo 495
Philogenes 284
Philotimus 274
Φιλένδοξος 404
Φιλόδημος 381
Φιλοθέωρος 66
Φιλοσόφως 406
Φιλοτέχνοι 419
Φλύαρος 152
Πῦνος 382.457
Piræus 282
Plebei, genitiuus à plebs 77
Plenum uini, non uino 431
Plinij locus 177.219.518
Plodere 420
Plodere uictoriæ ibidem
Φλυδοκῶν 348
Politus homo 60
Ponere quempiam in gratia apud aliquem 448
Pōtius Aqui. 119.440. et ſe.
Portenti ſimile 439
Poſticus 514
Præcipere 48
Prænomina nō integra ſcribebant Romani 273
Præripi 334
Præſens 32
Præſtolari 212
Prima 331
Problemata 528
Πρόβλημα 467
Προκόπτειν 457
Prodere caput 529
Prodere decretum ibidem
Proſpectat mare animus 323
Prouerbia deminuta ac manca apud ciceronē 253.458
Ψυκὰς 207
Pudenter 281
Pyrrhon 277

Q

Q. 400
Q Q. 370.450
Q. pro C. in antiquioribus ſcripturis frequens 13
Q. Quæ 168
Q. Quæſtor 415
Q. Quingena 169
Q. pro Quintus 354
Q. Mucius 270
Quæſticulus 102
Quatere 307
Quigenus 485
Quinquatrus 23
Quodcunque in ſolum uenit, effingere prouerb. 110
Quom pro cum in uetuſtioribus ſcripturis 474

Quotidie 534

R

Raudusculum 231
Reapſe 98
Receperis, pro reciperis 53
Receſſus 342
Reciperare 56
Remedia à beluis 524
Repræſentare 474
Repræſentare improbitatem ibidem.
Ρηξίνως 430
Ρηξίφλοια ibidem
Ρηξίφρων ibidem
Ρηξόφρεμις ibidem
Rhinton comicus 197
Ridiculum de Nurſinis 521
Ringi 226
Roſia 238
Rupa, libertus Curionis 20
Ρῶπες 457

S

S, interit apud priſcos poetas 424
Saliares cenæ 249
Salutariter 115
Sariſſæ 541
σκήψεις 383
Schola 287
Scidula 148
σκυλμὸς 236
Se, pro ipſum 269
Secutores 292
Seducere 442
Selicia 456
σεμνὸς 452
Senecæ locus 482
Senogallia 545
Seſtius, uix unquã per x. 52
Seſtulius 428
Sibi, pro ei 390
Siculus, uafer 166
Silanus 178
Simul pro ſimulac 56
Simiolus 45
Sittybæ 228
Solœciſmus à Grammaticis in quibuſdam Ciceronis locis animaduerſus 12
σπάνις 516
Species 57
Spectare 220
Spectare, & expectare 248
Spectio 219.220
Specus 466
σπουδάζειν 152
ST, pro EST 14.43
Stabiæ 60
Stathius 377
Stillicidium 353
Stomachus 244

στραγγεία 353
Subſiſtere ſumptui 125
Suetonij locus 122.481
Summarium 339
Summùm, aduerbialiter 19
Supra promontoriū tranſmittere 39
Súſque déque 428
Suum illud 415
συμβάλλεσθαι 446
συμβεβηκότα 139
συμπάθεια 349
συμφορὰ 349
σὺν θεῷ λέγω 352
σύνναος 395

T

Taciti locus 544
Talis & tantus 141
Tantum quòd 71
Tardioris, accuſatiuus pluralis 334
ταυτόματον 188
Tem. pro tempore 415
Temporeis, ſecūdo caſu 124
Tenere lineam 232
Terentianus cod. Politiani 53
Terentij locus 62.78
τέτλα κύντερον 331
Themiſtocli, dādi caſus pro generandi 46
Themiſtocli, genitiuus 314
Theopompus 391
Theoremata 528
θεώρημα ibidem
Theramenis exitus 505
Tibulli locus 125
Timefactus 126
T. Ampius Balbus 308
T. Liuij locus 541
T. Pomponius, poſtea Q. Cæcilius appellatus 220
Topiarius 537
Tradere quempiā alicui 254
Traſferri 49
Tralatum ibidem
τραχέως δέχεσθαι 346
Tuculi 379
Tuum 415

V

V pro B. in ſcripturis antiquis 30.43
Valerius interpres 491
Vectius 123
Venire ad uillam 363
Venuſia 144
Verum 381
Veruntamen 432.476
Videre 247.441
Vindullus 271
Viuere cum aliquo 238
Vlpiani locus 388

his lectione cognoſſem, non ſine cauſa id à me poſtulari, Quamuis autem mihi hoc perficiendi, totùmque præſtandi, facultatem deeſſe pulchrè intelligerem: ſi tamen huic ei diligenter ſtuduiſſem, ſperaui me, ſi non deſideria illorum extinguere, ſaltem lenire, & aliquantulũ mitigare poſſe. Huic igitur ſtudio intentus, ſeponebam cotidie aliquid, & eodem tempore omnibus Ciceronis libris opem aliquam adferebam: non enim uni, aut alteri tantum operi addictus eram, & in eo totas cogitationes meas conſumebã, intelligebámq; quanto diutius in hoc inſtituto meo perſeueraſſem, tanto plura, ac meliora à me inuentum iri. Verùm cùm ſemper in omni mea uita ſtatuerim, aliorũ potius amicorum, ac prudentium hominum de me iudicijs, quàm meis ſtare: cùm ſæpe ab amicis poſcerer, ut quæ ad eam diem animaduertiſſem, peruulgarem: non potui diutius has ipſorum flagitationes ſuſtinere, decreuique cupiditati eorum morem gerere. Nactus autẽ tempus à cotidianis meis laboribus uacuum, quo etiam ab illis magis premebar, & ad hoc nunc agendum impellebar, accuratè Epiſtolas Ciceronis relegi: & quæcunq; iam in illis adnotaram, & nonnulla quoque, quæ nunc mihi ſuccurrerunt, collegi, ex iiſq; paruum quoddam uolumen confeci. Additus etiam eſt labor, nonnulla quæ olim à me animaduerſa erant confirmandi: quæ res maius uolumen ipſum effecit. nam ad me perlatus eſt liber, nuper Venetijs impreſſus, Epiſtolarum, quas familiares uocãt: in quo ſcholia quædam ſunt doctorum, & ingenioſorum uirorũ: quorum nonnulla contra me, ac iudicium meum ſtudioſè facta uidentur. Commodum igitur uiſum eſt, de illis rebus, in quibus reprehendebar, iterum diſſerere. Non minus enim utile eſſe puto, uetera confirmare, quàm noua contexere. Non quò ſententiam meam, ſi fortè falſa eſt, tueri, ac pertinaciter defendere

uelim: (nunquam enim hoc ſciens faciam. nam quamuis rebus meis, quemadmodum natura cogit, amicus ſim: magis tamen ueritatem ipſam amo) ſed ne forte ſi quādo obſcurior, aut breuior in illis explicandis, quàm oportebat, fui culpa ingenij mei uera ac bona cauſa periret, eodémque tempore de opinionibus, ac iudicijs aliorum diſputaui, quemadmodum mihi uiſus ſum, modeſtè, ac temperanter: nunquàm enim alicuius iniuria naturam, conſuetudinémque meam obliuiſcar. Eruditi nunc, ac ſapientes uiri, quid rectum ſit, uidebunt: quibus ego, quemadmodum æquum eſt, totam rē permitto: & à quorum iudicio, autoritatéque nunquàm declinabo. Quòd ſi potuiſſem ullo pacto ſine exiſtimationis meæ iactura, aut quod maius eſt, ſine optimi ſcriptoris detrimento opiniones nonnullorum tacitus præterire, libenter feciſſem: ne uiderer ex aliorum erratis laudem mihi uelle comparare, aut concertandi cupiditate teneri, à qua re natura mirificè abhorreo: quod prioribus meis ſcriptis, & plurimorum clarorum, ac prudentium uirorum, qui me bene cognitum habent, teſtimonio cognoſci poteſt. Quemadmodum autem nunc in Epiſtolis Ciceronis laboraui, ac non pauca in illis animaduerti: ita cogito, atque id Dijs adiuuantibus præſtabo, reliqua eiuſdem ſcripta eodem ſtudio, atque diligentia perlegere: ut orationes etiam, de quibus olim nullas curas, ac cogitationes ſuſcepi, non relinquam: ſed quicquid in illis, aut ope uetuſtorum codicum, aut accurata ipſarum lectione animaduertero, omne perſcribam. Et quamuis putem alios doctos, & acutos uiros, huic quoque ſtudio nauare operam: quod tamen à diligentia, & mediocri eruditione mea expectari poteſt, non patiar id magnopere deſiderari. Sed hæc erunt, cùm per moleſtas occupationes licebit: è quibus tamen quodcunque uacuum

temp

tempus eripere potero, perire non patiar. Statui enim omne reliquum tempus ætatis meæ, quod curſu ſanè naturæ non paruum eſt, nec culpa, aut uitio meo minus, aut deterius fiet, in communibus utilitatibus collocare: ut quandoque etiam maiora, grauioráque, quàm hæc ſunt, in manus eruditorum meo ſtudio, ac diligentia elaborata uentura ſperem. Sed hæc etiam, ut antea diximus, aliàs erunt. Nunc autem huius mei laboris, qui penè abſolutus eſt, primam partem, Campane, ad te mitto: & eo potiſſimum ad te mitto, quia tu præcipuè me ad hoc nunc agendum incitaſti: affirmans non eſſe has illius generis literas, quæ diu multúmque in manibus haberi, ac premi debeant: nec etiam me impediri dixeris, ſi quid poſtea, quod lucem aliquam Ciceronis ſcriptis adferat in mentem uenerit, quin tertiò, & quartò quoque idem opus aggredi poſſim: præſertim cùm paucis diebus, quicquid eſt, quod in his rebus fieri poſſit, abſoluatur. Quemadmodum igitur tuam in primis autoritatem ſecutus, hoc aggreſſus ſum, ita nunc ad eandem tuam autoritatem confugio, ac uolo hoc, quicquid eſt libelli, tuo nomine commendari, ſi tu edendum id ſtatueris: nam de hoc quoque à te deliberari uolo. Poſtquàm enim ego impoſitum à te mihi hoc onus non recuſaui, ita nunc tu hoc non parum oneris, ac moleſtiarum, imponi tibi à me æquo animo patiere. & ut meus in his colligendis, & explicandis labor fuit, ita nunc tuus erit in ſtatuendo, quid illis faciendum ſit. Quòd ſi tu hanc curam ſuſcipere uolueris, quemadmodum cupio, & opto: confido te id conſilij capturum eſſe, quod mihi ſemper, ac tibi honeſtum futurum ſit. (nam tua quoque in hoc negotio non mediocris res agitur) Cognoui enim aciem ingenij tui: & quum alijs omnibus in rebus libenter iudicium tuum ſequar, in hac ne digitum quidem ab ea diſcedere rectum eſſe

non putarem. Scio enim hoc literarum genere quantum ualeas, & quantam etiam laudem apud omnes meritò conſecutus ſis, qui doctiſſimos, & acutiſſimos uiros imitatus, multas ſubtiles, & eruditas quæſtiones in Vergilij poëma confeceris: & non pauciora, quàm Græci homines in ſuo poëta fecerant, quem omnibus ingenij uiribus ornarunt, in Latino, qui turpiter penè ab omnibus deſtitutus erat, adnotaris. In eodem igitur ſtadio, ſed maiore cum laude uerſatus, quid de meis his nugis faciendum ſit, tecum ipſe deliberabis. Et ut accuratius de tota re tecum ipſe quæras, cogita illas tibi quemadmodum diuulgatas, ita etiam defendendas eſſe. Quòd ſi tanta prælia pro me aut ſubire non uis, aut ſuſtinere te non poſſe putas, ſapientius facies, ac mihi quidem gratius, ſi aut eas ſupprimes, aut ne unquàm emanare poſſint, conſcindes, ignéue combures. Vale VI. ID. *Septemb.* M. D. XL.

PETRI VICTORII

CASTIGATIONES POSTERIORES IN EPI-*ſtolas quas uocant familiares.*

È *libro ad Lentulum, Epiſtola* I.

QVOD commodo Reipub. *Accuratè olim, ſi non doctè, de hoc loco diſſeruimus, ueterem ſcripturam notam fecimus, quomodo ab alijs reſtitutus eſſet oſtendimus, quid noſtræ ſententiæ foret libere pronuntiauimus, & in omni re cum fide nos geſſimus, Quòd ueterum codicum autoritati ualde tribuimus, iuſtè*

repreh

reprehendi non poſſumus. ſi nimis illis credentes, quandoque decipimur: malumus in hanc partem peccare, quàm contra illorum fidem de aliqua re pro arbitrio noſtro ſtatuentes in culpam incidere. De uerborum integritate quæſtio eſſe potuit: De ſententia, SI COMMODO REIP. legi debet (quod facilè credimus, & tunc etiam ſecuti ſumus) nihil ambigi poteſt. Sunt tamen docti uiri, qui ueriorem alteram eſſe putent quòd & ſententia illius magis delectentur, & quum ſtudioſe plurimos inſpexerint, nullum manu ſcriptum codicem habere REIP. inuenerint.

Libro I. Epiſtola 2.

Lentuli conſulis. Codex Medicæus LENTVLI habet. Iam diu audiui fuiſſe nõnullos, qui LVCII malent. Nihil ſanè certi ſtatui poteſt: receptam tamen lectionem ueriorem puto. Peccabant autem ſæpe antiqui librarij, quemadmodum aliàs docui, in huiuſcemodi rebus. Cùm enim notas illas non intelligerent, quod imperitis hominibus in mentem ueniebat, ſcribebant. Hæc autem omnia in Senatu agitata ſunt, L. Philippo, & Cn. Lentulo Marcellino Coſſ. ut Dion etiam narrat, qui cùm de reductione Ptolemæi regis egiſſet, adiungit, ταῦτα μὲν ἐπὶ τε λευκίου φιλίππου, καὶ ἐπὶ γναίου μαρκελλίνου ὑπάτων ἐγένετο.

Eadem Epiſtola.

Frequentes ierunt in alia omnia. Vbaldinus Bandinellus, cùm ab hinc XXX. menſes Romam proficiſcens, Florentia iter faceret, diuertiſſétque apud Carneſeccam optimum, & maximis in rebus ſpectatum iuuenem, à me conuentus eſt: cupiebam enim eum uidere, quem multis de cauſis plurumum amabam. Cúmque omni illo tempore (exiguum autem fuit) quod Florentiæ manſit, ſæpe unà fuiſſemus, multúmque ſermonem de ſtudijs literarum habuiſſemus,

mus, narrauit mihi omnia, quæ à Manutio pro huius loci declaratione traduntur: dixitque, arbitrari ſe, maculam occupaſſe locum illum Sex. Pompeij, quæ tamen nullo negotio deleri poſſet, legique debere, Iis uerbis præit: ominis uidelicet cauſa, quod nos ualde probauimus. Vtinam quemadmodum in eadem patria nati ſumus, & iiſdem ſtudijs tenemur, ita iiſdem quoque in locis uiuere potuiſſemus: ex illius enim ingenio, & eruditione non paruos fructus cepiſſem, & ille fortaſſe multis in rebus, & ſtudijs, & officijs meis delectatus eſſet. Sed quoniam id non accidit, propter diuerſam uitæ rationem, nactus hanc occaſionem, notum ei, & omnibus alijs facere uolui amorem quo illum proſequerer: & ne facilè extingueretur, his etiam monimentis teſtatum relinquere, optimum eſſe iudicaui.

Libro I. *Epiſtola* 3.

T. Ampius. *Multis locis in his epiſtolis, ubi erat Appius* AMPIVS *repoſuimus, ut penultima noſtra in librum ad* C. *Memmium caſtigatione docuimus. Secuti autem ſumus ueterum codicum fidem. Manutius poſtea argumento non inſulſe excogitato, antiquam ſcripturam confirmauit. Delector autem plurimum, cùm uideo aliquos nouis rationibus ueteres animaduerſiones meas comprobare.*

Eadem Epiſtola.

Ego tibi à vi. *Ipſi ut nunc legitur emendauimus: præter enim antiquorum codicum fidem uerba quæ ſequuntur ita legi debere oſtendunt,* VI EXCEPTA. *Vis autem non tantum à Tribb. Pleb. fieri poterat, ſed etiam à priuatis hominibus. Id autem per ſe planum eſt, & à Cicerone declaratur, cùm inquit ad* Q. *Fratrem de Clodio, Qui etiam priuatus eadem manu poterit conciones concitare, Veriúſque uis appellari poteſt, quæ à priuatis fit, quàm quæ*

à magiſtratu. Qui enim publicam perſonam gerunt, quamuis contra leges faciant, rectè tamen atque ordine ſe illa facere multis perſuadent, quod Cicero etiam paulò ſuprà declarat, cùm inquit, Qui nunc populi Rom. nomine, re au*tem uera, ſceleratiſſimo latrocinio.*

Libro I. *Epiſtola 4.*

Clamore conuiciòque iactatus eſt. *Mendosè, ut opinor, in Medicæo codice legitur* IACTVS, *pro* IACTATVS: *contrà, ac eodem hoc in libro* IACTATA *pro* IACTA, *in illo loco: Ea fundamenta iactata eſſe. Has autem maculas in optimis etiam exemplaribus indicaſſe utile eſſe exiſtimo, ne omnibus in rebus illis fides habeatur. Quam malè autem his diebus & in ſenatu, & ad populum, acceptus ſit Pompeius, uberius à Cicerone exponitur in epiſtola ad Q. Fratrem, cuius initium eſt, Scripſi ad te antea. ex qua etiam facilè perſpicitur exitum illius reip. non potuiſſe longè abeſſe, quæ permiteret optimum & fortiſſimum ciuem à petulantiſſimis & flagitioſiſſimis hominibus tantopere uexari; & in qua turbidè, ac tumultuosè maximæ res agerentur.*

Eadem Epiſtola.

Qui per prouinciam imperij tui, pecunias ei cred. *Sic in omnibus excuſis libris nulla uarietate legitur: in Medicæo ita ſcriptum eſt:* Qui per prouinciam atque imperij tui prouincias ei crediddiſſent. *Mendosè prorſus & negligenter. Eſt tamen accuratè uidendum, ex hac tam inquinata ſcriptura, an aliquid boni erui poſſit: ſi enim locus coniecturæ detur, ita libenter legerem, Qui per prouinciam, atque imperium tuum pecunias ei credidiſſent. nam ſæpe ſic loquitur, ut etiam in hac epiſtola, cum ali quantulum ex prouincia, atque ex imperio laudis acceſſerit.*

Libr

Libro I. *Epiſtola 7.*

Et vt me dignitas, vtilitáſque cogit: *Emendauimus olim,* VT ME PIETAS: *neque tamen cauſas attulimus huius caſtigationis, neque priſcæ ſcripturæ ullam mentionem fecimus: quare rectum uiſum eſt, id nunc diligenter facere: maximè, cum interpretes etiam nonnulli horum librorum, ut quondam memini me legiſſe, de hac uoce* DIGNITAS, *ambigant, & de diæta, neſcio quæ, loquantur, ut qui & ipſi ueterem lectionem odorati fuerant. Mediceus codex (iam enim de illo dicendum eſt, ut minus deprauato, uel potius ut omnium optimo)* VT MEDIETAS, *habet: quare paruo, & ſatis uſitato errore ſublato, legendum exiſtimaui,* ME PIETAS: *has enim literas ueteres librarij ſæpe inter ſe commutabant, ut in eodem exemplari in epiſtola ad Memmium,* An DOTIVS *libenter te Athenis: pro,* POTIVS. *& ad Tironem,* A' *portu Corcyreorum ad Caßioden: pro, Caßiopen, ſicq; multis alijs locis. Reliqua, ut puto, perſpicua ſunt: ſæpe enim utitur hac uoce, cum loquitur de Lentulo hoc, ad quem nunc ſcribit, &* Gn. *Magno autoribus ſuæ ſalutis, & quibus penè debebat quæ filij parentibus: cunctique homines Dijs immortalibus debent. Vulgata lectio probari nullo pacto poteſt: nedum enim, hoc, quod Cicero narrat ſe facere, quod adiungat ſe ad rationes* Pompeij, *augeat dignitatem illius, uehementer eam minuit, niſi dignitas eſt, rectum ſenſum in* Republica *deponere, & ad uoluntatem alterius ſe accommodare, quod prorſus nemo unquam dicet. Sed id apertè oſtendit cum infrà inquit,* Dignitatem *quidem illam conſularem fortis, & conſtantis* Senatoris, *nihil eſt quod cogitemus.*

Libro I. *Epiſtola 8.*

Sicut & meis temporibus ſcimus, & multis aliis

liis accidiſſe. accepimus. *Expunximus hinc olim extre mam uocem, freti autoritate meliorum codicum, qui nullum ipſius ueſtigium retinebant: in Medicæo* A C C I P I S S E, *legitur, non* A C C I D I S S E. *unde (quemadmodum arbitror) fluxit uerbum illud* A C C E P I M V S. *paruus enim ille error cauſa fuit maioris erroris. peccauerat librarius quòd* P. *pro* D *poſuerat, quemadmodum etiam ad Terentiam in illo loco, Obuiam nobis prodeas: Scriptum enim in eadem eſt,* P R O P E A S. *contrà ac ſupra illum in* D I E T A S *feciſſe docuimus, ubi* D. *pro* P, *ſcripſerat. Hoc autem animaduertiſſe, non penitus inutile eſſe arbitrati ſumus: nam & huic loco lucem affert, & ſuperiorem illum confirmat.*

Eadem Epiſtola.

Non modo præmiis. *Ita quoque in Medicæo legitur, ut Manutij emendarunt: quod eò etiam libentius adnotaui, ut paulatim perſpiciatur, nihil in alijs ſinceri eſſe, quod non hic quoque legatur, multáque in alijs multis fœde, & mendosè ſcripta eſſe, quæ hic non reperiantur.*

Eadem Epiſtola.

Bonorum omnium conſenſus. *Quid de hoc loco ſenſerimus, facilè qui uult intelliget; tutò (ut arbitramur) in omnem partem: nam ueterem ſcripturam propoſuimus, quid ſcrupuli in illa eſſet (etſi omnibus apertum erat) indicauimus: quomodo etiam labes facta eſſe poſſet, expoſuimus: lectionem illam ſecuti ſumus, quam etiam qui nunc nos accuſant, antea probauerant: niſi enim ita feciſſent, in ſuum certè librum eam non conieciſſent: quæ illic (ut opinor) diſplicere cœpit, poſteaquam uiderunt me quoque ab ipſa non penitus abhorrere. Nam quòd mendacij me arguunt, quòd dixerim omnes uetuſtos codices illam retinere, ridiculum*

lum eſt: quomodo enim ipſe omnes uidere potui? quod ſi poſſem, etiam nollem: neque enim mihi honeſtum eſſe puto omnem ætatem in ueteribus libris excutiendis conſumere, & operam meam maioribus in rebus utilem eſſe poſſe exiſtimo. Vtinam potius tantum ſtudium in his rebus non poſuiſſem, quantum olim poſui. Non loquor de Ciceronis libris, in quibus purgandis expoliendíſque omnem operam ab omnibus præclarè collocari iudico, ſed de alijs longè minoribus autoribus, in quibus caſtigandis puer olim, iudicio peccans, multum diúque laboraui. Omnes igitur, quos uidi ſcilicet, & perſpexi, qui nec pauci omnino fuere, nec quemadmodum cotidie magis apparebit, peßimi.

Eadem Epiſtola.

Primum illa furia. *Mirificè delector ueris Vbaldini laudibus, gaudeóque non parum, mecum illum ſentire. Quòd ſi antea hanc lectionem ſequebar, nunc eam ualdè diligo, poſtquam illum audiui acerrimi iudicij hominem ipſam quoque ſuo ingenio excogitaſſe. Cùm autem quibuſdam non inſulſis (ut opinor) rationibus eam confirmaſſem, non magis ipſam ui earum, quàm illius unius teſtimonio, ueram eſſe puto.*

Eadem Epiſtola.

Cúmque eum nec perſuad. n. c. r. p. n. *Hunc locum, quem ualde quidam ſuſpectum habent, nullam in optimis exemplaribus uarietatem habere cognoui. quod ſi cogitemus, quum Cicero de Platone inquit, Cúmque eum nec perſuadendo, nec cogendo regi poſſe uidiſſet: à ſe Platonem intellexiſſe. ab alijs enim, qui cogere non dubitaſſent, regi potuiſſet: omnis ſcrupulus euelletur. de ſe autem uno Platonem locutum eſſe, ſuperiora uerba declarant. Intellectus totius loci, & ſi apertus eſt, à me tamen breuiter exponetur.*

netur. Cum Populus Athenienſis iam deſiperet ſenectute, déque uia recta diſceßiſſet, neceſſe erat ei, qui ipſum corrigere uellet, aut quod illi rectum eſſe intelligeret ei perſuadere, aut uim afferre, & inuitum cogere: in quorum neutro ſibi elaborãdum eſſe Plato exiſtimabat: cum rationes illum contempturum eſſe exiſtimaret, ac ſe fruſtra omnem operã in ea repoſiturum eſſe arbitraretur: Imponere autem neceßitatem patriæ nefas eſſe iudicaret: cuius rei cauſam ipſe reddit accuratißimè, partim in epiſtola ad Perdicam *in qua hæc ſunt:* πρὸς ταῦτ' εἰπεῖν, ὅτι πλάτων ὀψὲ ἐν τῇ πατρίδι γέγονε. καὶ τὸν δῆμον κατέλαβεν ἤδη πρεσβύτερον, καὶ εἰθισμένον ὑπὸ τῶν ἔμπροσθεν, πολλὰ καὶ ἀνόμοια τῇ ἐκείνου ξυμβουλῇ πράττειν. ἐπεὶ πάντων ἂν ἥδιστα καθάπερ πατρὶ συνεβούλευεν αὐτῷ, εἰ μὴ μάτην μὲν κινδυνεύσειν ᾤετο. πλέον δ' οὐδὲν ποιήσειν. *partim in priore epiſtola ad* Dionis *propinquos, quæ qui ſcire uolent, apud autorem ipſum quærent.*

Eadem *Epiſtola.*

Par pari. *In Medicæo codice,* PAR PRO PARI *legitur: quemadmodum* Paulus *in uetere exemplari ſe reperiſſe teſtatur: id nos etiam antea adnotaramus: ſed cum neq; in* Terentio, *quem olim* Politianus *cum uetuſtißimo, & probatißimo illo* Petri Bembi *contulerat, ita legeretur, neque in altero perãtiquo, quem domi habeo, ullum ueſtigium huius lectionis reperiretur, nihil immutare auſus ſum, magiſque* Terentij *librorum teſtimonio ſua in re ſtandum eſſe cenſui, quàm aliorum, qui ſæpe in alieno negotio negligentes eſſe conſueuerunt. animaduerteram præterea* Ciceronem Libro 16. *ad* Atticum *uel potius* Atticum *ipſum ita locutum eſſe,* Prouide *ſi cui quid debetur, ut ſit unde par pari reſpondeatur.* Cognoui *tamen poſteà ſtudio, ac diligentia*

amicorum uetuſtum Terentij exemplar, quod in Vaticana bibliotheca eſt, PAR PRO PARI, *habere. & ipſe quo que in alio, quod in diui Marci Florentiæ eſt, eandem ſcri- pturam inueni: quare quamuis alij aliter emendarint, hanc ueram eſſe puto Terentiani carminis reſtitutionem.*

Eadem Epiſtola.

Libertatem. *Si autoritati librorum ſtandum eſt, facilè omnes pro nobis iudicabunt: longè enim ſuperiores in hac re ſumus: Medicæus certè, & uetuſtate, & integritate cæte- ros uincit. Si argumentis, non parua etiam à nobis prolata ſunt. Nam quod nonnulli excogitarunt, inane eſt, eſſe anti- theton* SVSPICIONE CVPIDITATIS, *ſuperiori uoci* LIBERALITATEM: *nouum enim hoc eſt Cicero nis argumentum. Antea expoſuerat, quæ in Lentulo erant, quæ hortarentur ipſum ſtatim prouinciam ſucceſſori trade- re: addit poſtea, quid alij de ipſo exiſtimaturi ſint, ſi aliter feciſſet.*

Eadem epiſtola.

Cur enim tibi hoc.n.g.n. *Iam accuratè enim olim de hac re diſputauimus, totq; argumẽtis ſententiã noſtrã con- firmauimus, ut nihil nunc addere poßimus, neq; etiã neceſſa riũ eſſe exiſtimemus. Nam quod putant nonnulli, ſe exẽplis ijs (quibus declararunt aliarũ quoq; epiſtolarum initia ex titulis pendere) quod uolunt comprobaſſe, nullam uim ha- bet: neq; enim nos id negamus: Sed quod tunc docuimus, ſen- tentiam illam frigidam eſſe arbitramur. nunquam autem no bis obſcurum fuit, quoſdam ſenſus in principiis epiſtolarum ex titulis pendere, nam ille etiam huiuſcemodi eſt,*

CVRIVS M. CICERONI SVO SAL. S. V. B. *ſum enim* χρήσει μὲν *tuus:* κτήσει δὲ *Attici noſtri. Illud de- nique ſuſpicionem nobis hanc mouit, quòd totam epiſtolam*

ante

ante ad exitum perueniſſe uidemus, quàm aliquid epiſtola dignum in ea expoſitum ſit. aliud denique eſt, quod hic deſideramus, & quod facit, ut non paruam partem ipſius amiſſam eſſe credamus.

E libro ad Curionem, Epiſtola 1.

Quódque in omnibus tuis rebus. *Sunt qui exiſtiment ſe ſolos hunc locum rectè diſtinxiſſe, qui uereor ne decepti ſint: ego enim ſenſum, qui ex priore interpunctione eliciebatur ueriorem eſſe puto: Cum enim cauſam ſuprà diligenter reddidiſſet, cur unam, & eandem ob rem diuerſis de cauſis, & dolorem, & uoluptatem cepiſſet: addidit, ſe præterea abſentia illius lætatum eſſe, quòd omnibus in rebus felix, fortunatúſque fuiſſet, adeò ut nihil à fortuna poſtulare potuerit, quod ipſi proſperum eueniret, quin illa Curioni cumulatè largita ſit: id enim eſt reſpondere optatis. nam particula* QVE *ſi accuratè perpendatur, manifeſtò oſtendit, cum ſuperiore ſententia hanc partem coniungi debere. Quia tamen magna in re leuiter Cicero illum admonere uult, ne ferocis animi adulefcens ægrè ferret (iniquo enim animo ea ætas reprehenſiones accipere conſueuit) ideo breue eſſe dicit, & ſe propter admirabilem amorem illud reticere non poſſe affirmat. Quid autem ſit, ſtatim exponit, poſtquam beneuolentiam illius ſibi conciliauit, & ſpiritus nobiliſſimi adulefcentis aliquantulum mitigauit.*

Libro 2. Epiſtola 9.

Quos ille iactitat. *In ambabus ſuis editionibus Manutij* IACTITABAT: *in ijs tamen, qui antea excuſi erant, & in manuſcriptis, quos uidimus* IACTITAT, *legitur, Quid illi ſecuti ſint, nō uideo, nec ipſi expoſuerūt: cupio à doctioribus cogitari, an melius legi poßit,* ACTITAT: *ut in eodem penè uerbo ludat. Mihi ſanè hæc le-*

ctio uehementer placet, quamuis in nullo manu ſcripto co-dice eam inuenerim. Nam quod in noſtro legitur.

Quod ita factus ſis, *è ueteribus libris erutum eſt, & ſanè ita legi debet: quemadmodum enim ſuprà ei gratu-latus erat, quòd ædilitatem adeptus eſſet, ita nunc ipſi gra-tias agit Cicero, quòd ita ædilis factus ſit, id eſt, cum inimi-ci ſui ignominia: deiecerat enim Hirrum Cælius ædilitate, & induſtria ſua, ut ille repulſam pateretur, effecerat. ita frequenter loquitur Cicero, ut in Piſonem: Sed omitto, ut ſit factus uterque noſtrum.*

Lib.2. Epiſtola 10.

Imp. appellatus apud Iſſum. *Ad Att. de eadem re ſcripſit, uberiúſq; aliquanto totum hoc negotium narrauit: quo in loco ſe ipſum quoque luſit facetiſsimè. eſt autem 374. Antipater Poëta ſcripſit Epigramma, quod incidi uoluit in ſepulcro Perſarum, qui in eo prælio pro rege ſuo pugnan-tes ab Alexandro cæſi ſunt, in quo etiam Iſſum appellauit: quia autem id elegantiſsimum eſt, placuit mihi hic illud ſcri-bere:*

Ἰσσοῦ ἐπὶ προβολῇσιν ἁλὸς παρὰ κῦμα κιλίσσης
Ἄγχιον, αἱ περσῶν κείμεθα μυριάδες
Ἔργον ἀλεξάνδροιο μακηδόνος, οἵ ποτ' ἄνακτι
Δαρείῳ πυμάτην οἶμον ἐφεσπόμεθα.

Lib.2. Epiſtola 12.

Ita tumultuoſæ conciones, ita moleſtæ quin-quatrus. *Siue conciones moleſtæ, & non tantum tumul-tuoſæ à Cicerone appellatæ ſunt, ſiue quinquatrus ipſæ mo-leſtæ appellatæ ſint, quòd eo potiſsimum die turbidæ, & ne-fariæ conciones habitæ ſint, neceſſariò intelligimus diem, quo res illæ Romæ geſtæ ſunt, non quo Ciceroni in prouin-ciam allatæ: nõ enim lectionem illam ullo pacto probamus,*

quæ

quæ in impreſsis antea erat. Docuimus *enim olim bonos ſcriptores potius hoc genere in hoc nomine uſos eſſe, quàm neutro, caſtigauimúſque locum Taciti, qui in hac uoce corruptus erat. Cicero etiam ad Cornificium inquit,* Quinquatribus *frequenti Senatu cauſam tuam egi.*

Lib. 2. Epiſtola 13.

Quod mihi ſignificabant tuæ literæ ſubdubitare. *Medicæus codex,* Quod nihil ſignificabant. *Quare animaduertendum eſt, an melius legi poſsit, Quòd nonnihil ſignificabant: hoc intellectu, ut dicat Cicero, in Cælij epiſtolis quædã uerba eſſe, quæ obſcurè ſignificent hanc ſuſpicionem in animo illius reſidere, de alienata uoluntate ipſius erga Appium, dictio illa* MIHI *non magnam ullam uim habere uidetur eo in loco, nam ſi id ſignificabant literæ Cælij, non magis Ciceroni quàm omnibus alijs qui eas legiſſent, ſignificabant, nec tamẽ firmitudinem aliquam hoc argumentum habet, quare de tota re nihil adfirmamus.*

Lib. 2. Epiſtola 15.

At omnium ferè exemplo. *Nonnulli ſe ita hunc locum, qui mendoſus erat, caſtigaſſe aiunt, de quo cum illis non pugnamus: neque tamen furti nos reos agere ſtatim oportebat, præſertim cùm in omnibus manuſcriptis nullo diſcrimine, quemadmodum legi debet, ſcriptum inuenerimus. Præter antiquorum codicum fidem ita illam tractauimus, ut diu nos, diligentérque de ea quæſiuiſſe planum omnibus fecerimus.*

Ibidem.

Qui omnes Caſsios, Antonióſq; cõplexi ſunt. *Sunt qui in ſenſu horum uerborum tradẽdo non parum decepti ſint: non enim narrat Cicero, ſe iccirco Cælium præpoſuiſſe prouinciæ, quòd uellet ſibi gratiam reliquorum*

eiuſdem familæ conciliare, neque arbitratur Pompeium *&* *Cæſarem id concilium in præficiendis Quæſtoribus ſecutos fuiſſe: ſed inquit, ſe id penè feciſſe coactum, exemplo potentiſsimorum uirorum, qui Quæſtores ſuos omni ratione, qua potuerunt, ornarunt, & illorum gratiam omni beneuolentiæ genere iniuerunt: id enim eſt* COMPLEXI SVNT. *ut paulò antè cùm de* App. Claudio *ſermo eſſet. Quid eſt cauſæ cur mihi non ſit in optatis, complecti hominem florentem ætate, opibus, &c. Niſi enim Quæſtorem & ipſe præpoſuiſſet, timebat illum iratum, qui iniquo animo tuliſſet ſe honorem illum à* Cicerone *impetrare non potuiſſe: quem antea Quæſtores* Caſsius *&* Antonius *à ſuis* Proconſulibus *&* Impp. *acceptiſſent. Quòd autem* Caſſios *&* Antonios *numero multitudinis dixit, non nouum eſt apud* Ciceronem, *ſed uſitatum & elegans: ut in epiſtola ad* Pætum 127. *itáque te cùm uideo, omnis mihi* Granios, *omnis* Lucillios, *uerè ut dicam,* Craſſos *quoque, &* Lælios *uidere uideor. Sed etiam doctiſsimus & politiſsimus ſcriptor* Plato *in* Synph. καὶ ὁρῶν αὖ φαίδρους ἀγαθωνας, ἐρυξιμάχους. παυσανίας ἀριστοδήμους Σωκράτη δὲ αὐτον τε δεῖ λέγειν. *Hanc eſſe ſententiã huius loci inde etiam intelli poteſt, quòd epiſtola ad* Qu. Thermum Prop. *quæ penultima huius libri eſt,* Cicero *magnopere ei ſuaſit, ut prouinciæ præficeret Quæſtorem: docens id rectum eſſe, & fieri debere: oſtendénſque, niſi ita feciſſet, multas fortaſſe moleſtias, ac pericula illum ſibi conciliaturum eſſe: quod Quæſtor ignominia affectus merito illi ſemper iratus erit, & nactus aliquam occaſionem nocendi cum ſibi id iure poſſe facere uideatur, nunquam illam dimittet.*

Lib. 2. Epiſtola 16.

Quod autem in maritimis facilimè ſum. *Sic in meo*

meo libro ſcribi uolui, quia in antiquis codicibus ita ſcriptum inueni, & eum ſenſum, quem ita collocata uerba præ ſe ferrent, meliorem iudicaui. In alijs cunctis impreßis, Quod autem in maritimis ſum, facilè moueo. Quod in maritimis facilimè ſum, id eſt, Quod in maritimis prædijs libenter maneo, quòd ualdè delector uillis meis, quæ mari propinquæ ſunt: id enim ſignificat facillimè ſum libro I I. *de Oratore* 209. *Quod & dici ornatißimè poſſunt, & audiri facillimè, id eſt, cum delectatione & ſuauitate. libro* X I I I. *ad Atticum: Locum habeo nullum, ubi facilius eſſe poßim, quàm Aſturæ. Qui autem me uident in maritimis eſſe, non exiſtimantes me id facere inductione animi, neque ſcientes me mirificam capere uoluptatem ex his meis uillulis, ſuſpicantur me id facere, quòd nauigationem expectem, & hinc auolare cupiam. nec tamen illi hoc ſtultè cogitabant, & rationem habebat hæc ipſorum ſuſpicio: Quod autem facillimè in maritimis eſſe conſueuerat Cicero, cum cauſa etiam ipſe faciebat, nam iuxta mare uillæ in mediterraneis locis poſitis præponebantur, & ut Græci dicunt, παραθαλάσσια, uel παράλια χωρία magni æſtimabantur. Id etiam confirmat Plutarchus grauißimus ſcriptor in Sympoſ. libro primo cap.* I I I I. *Qui, inquit, uſurpari à multis in ſermone hanc ſententiam, ambulationem iuxta mare, & nauigationem iuxta terram ſuauißimam eſſe: cuius rei ipſe cauſam quoque reddit,* ἀκούω οὖν πολλῶν λεγόντων ὅτι πλοῦς μὲν ὁ παρὰ γῆν, περίπατος δὲ ὁ παρὰ θάλασσαν ἥδιστός ἐστιν. *Ad quam ſententiam arbitramur nos reſpexiſſe doctißimum poëtam Vergilium libro* I I. *Georgicorum, cum inquit, ſermonem cum Mecœnate habens, ades, & primi lege littoris oram: Declarauit enim ijs uer=*

bis ſe illum ad rem iocundam inuitare. Aſtura autem Ciceroni uilla maritima erat, ut Plutarc. *quoque in Cicerone his uerbis docet:* πυθόμενοι δὲ τὰς προγραφὰς ἔγνωσαν εἰς ἄστυρα μεταβῆναι χωρίον παράλιον τοῦ κικέρωνος.

Lib. 2. Epiſtola 16.

Non enim te celaui amorem. *Cùm hic locus antea manifeſtò corruptus eſſet, à me eſt, quemadmodum in noſtris uides, reſtitutus: quod tamen diligētia potius, quàm induſtria ulla mea factum eſt: ueterem enim ſcripturam repoſui, quàm ne parua quidem immutatione facta in Mediceo repperi: illam cur reijcerem nihil erat. Siqua in hoc loco obſcuritas eſt, ea ab hiſtoria naſcitur, quam ignorari mirum uideri non debet.*

Eadem Epiſtola.

Sed ego fortaſſe vaticinor. *Rectè hoc uerbum declarat* Paulus, *eodémque & ipſe intellectu accipiendum puto: quam autem uim hic habet uaticinor, eandem in* Phormione *par huic aſsiiléque uerbum habet* Ariolor. *potuiſſet hoc aliquos fallere, quòd & rarior eſt hic ſignificatus huius uerbi, & ſenes etiam oraculis diuinationibúſque gaudent, & ipſi res futuras diuinare libenter ſolent, quod lepidiſsimus* poëta Ariſtophanes *in ſua comœdia docuit, cum inquit,* ὁ δὲ γέρων σιβυλλιᾷ. *Sed ut diximus uerus ille ſenſus eſt, nam inquit ſtatim:* Recordor enim deſperationes eorum, qui ſenes erant adoleſcente me: *& quæ ſequuntur.* Ariſtot. *autem lib. 11. de arte dicendi, quo loco mores & ſtudia omnium ætatum refert, appellat ipſos* δυσέλπιδας, *quòd nihil unquam boni ſperent, aut uix omnino ægréque ſperent: quod duabus de cauſis fieri affirmat, quas ipſe acutiſsimè, quemadmodum alia omnia, excogitauit.*

E' *libro ad* Appium, *Epiſtola* 3.

Pro noſtra conſociatiſsima voluntate. *Multis modis probari poteſt, ueriorem, melioremque eſſe antiquam lectionem à nobis reſtitutam: non enim loquitur tantum* Ci*cero de uoluntate ſua erga* Appium*, ſed de mutuis animis: & hoc maiorem uim habet ad perſuadendum* Appio *quod uult, ſi oſtendat animos ipſorum inter ſe coniunctos eſſe, nec ſe ullo pacto dubitare de uoluntate ipſius, & animi propenſione erga ſe: nam reſpondet hæc uox ſuperiori* CONIVNCTISSIMO, *& aliis etiam in locis Cicero hæc uerba copulauit tertio libro de* Finib. *Ad ciuilem communitatem coniuncti, & conſociati ſumus. Si acutè perpendantur ſuperiora uerba, declarabunt,* CONSOCIATISSIMA *legi debere: nam & coniunctiſsimo & amiciſsimo conueniunt animis mutuis, ac paribus uoluntatibus: quod incluſum quoque eſt in ea uoce* CONSOCIATISSIMA*, minimè uerò in* CONSTANTISSIMA: *nam in uulgata lectione eſt,* ERGA TE, *ut de uoluntate tantum* Ciceronis *erga* Appium *intelligi oporteat, non de* Appij *quoque erga* Ciceronē: *nam ſi ſine uerbis illis* ERGA TE, *legatur, falſum omnino eſſet, quamuis ita quoque non ualde uerum ſit: nam dubitari non poteſt, quin graues inter illos inimicitiæ fuerint.* Q*uamuis autem Cicero oſtendere poſtea conetur uoluntatem ſuam erga illum imminutam non eſſe, parcius tamen loquitur, neque quemadmodum hic facit conſtantiſsimam illam appellat ſed conſtantem, & adiungit conſcientia: aliis enim aliter uidebatur. In uetere lectione* NOSTRA *complectitur etiam uoluntatem* Appij*: in uulgata uerò* Ciceronis *tantùm quanto magis hæc officia expectari debeant ab illis, quorum uoluntates tuis reſpondent, & cum tuis conſociatæ & coniunctæ ſunt, quàm ab illis, qui*

quamuis tu illos diligas, parem erga te animum non habeant, apertum eſt. Addo etiam minimè hic accommodatum fuiſſe uerbum CONSTANTISSIMA, *& potius quàm Appium hortari, aut impellere poſſet (ſi ita locutus eſſet) ad id quod ſtudebat, læſurum fuiſſe: cùm negare non poſſet ſimultates inter eos interceßiſſe: nam exprobraſſet, culpa illius factum fuiſſe, quòd amicitia interrupta eſſet, ſi affirmaſſet uoluntatem ſuam erga illum conſtantißimam fuiſſe. infrà autem ubi ita loquitur, ſe purgat, & apertè culpam huius incommodi in illum transfert, inquit enim, Itáque conſcientia meæ conſtantis erga te uoluntatis reſcripſi tibi ſubiratus. Vox autem ipſa* CONSOCIATISSIMA, *nemini moleſta aut ſuſpecta eſſe debet, qua Cicero multis in locis uſus eſt. Horatius* Diſſociari, *oppoſito ſenſu dixit in epiſtola ad Quintium: Continui montes niſi diſſocientur opaca Valle. Quare cùm in optimis ea exemplaribus reperiatur, & huic ſententiæ ualde accommodata ſit, non uideo cur debeat repudiari.*

Libro 3. *Epiſtola* 7.

Addo vrbanitate, quæ eſt virtus, vt Stoici rectiſsimè putant. *Multum huic nomini tribuiſſe Stoicos oſtendit etiam Plutarchus in commentario, quo declarauit, quomodo deceat adoleſcentes legere poëtas: diuerſam enim & penitus contrariam uim apud illos habere* ἀστεῖον *nomen alteri quod eſt* ἀμαθὴς *intelligitur ab eo qui locum cum Plutarchi accuratè animaduertit: diſſerit autem quemadmodum Stoici nihil commune eſſe iudicarent uirtuti, ac uitio: & quemadmodum Vrbanus apud illos (ita autem uocabant uirtute præditum) omni culpa uacaret, & omnes res rectè facere poſſet. Imperitus autem (id erat apud illos uitioſus) omnibus criminibus obnoxius eſſet, & in omni ſemper negotio*

gotio laberetur, uerba ipſius hæc ſunt: πολλὰ πάνυ τοῖς στωϊκοῖς χαίρειν φράζουσα μήτε τι φαῦλον ἀρετῇ προσεῖναι μήτε κακίᾳ χρυστὸν ἀξιοῦσιν. ἀλλὰ πάντως μὲν καὶ ἐν πᾶσιν ἁμαρτωλὸν εἶναι τὸν ἀμαθῆ περὶ πάντα δ' αὖ κατορθοῦν τὸν ἀστεῖον. Hæc adnotaſſe mirificè utile eſſe credo ad huius loci perſpicuitatem qui aliter obſcuriſsimus eſſet.

Libro 3. Epiſtola 8.

Et quadam diſsimilitudine inſtitutorum meorum ac tuorum lædi ſe putat. *Si accuratè perſpicies, bone lector, hunc locum uidebis* TE PVTAT, *legi debere, te inquam ò Appi: de illo enim agitur: & quidam ſuſpicabantur, nullam aliam obrem tanta continentia, & æquitate uti in prouincia Ciceronem, niſi ut Appij furta, & improbitatem argueret, demúmque ut exiſtimationem illius uiolaret. quos tamen Cicero ipſe diligenter refellit, & in his epiſtolis, & ad Atticum. Nihil enim aliud ſignificat totus ille locus ad Cælium 28. Genus inſtitutorum, & rationum mearum &c. & ille ad Att. 379. Hanc nonnulli amici Appij ridiculè interpretantur, qui me iccirco putent benè audire uelle, ut ille malè audiat, & rectè facere non meæ laudis, ſed illius contumeliæ cauſa.*

Libro 3. Epiſtola 10.

Nimirum ex Epicteto. *Mirantur nonnulli quòd dixerim in omnibus quos uidi manu ſcriptis, tria hæc uerba eſſe, cum ipſi in nullis inuenerint: quod tamen ſine cauſa faciunt: illa enim merito admirationem mouere debent quorum cauſa obſcura eſt & facilè explicari non poteſt: huius rei ratio procliuis & aperta eſt, quia tantæ uetuſtatis, ac probitatis codices nacti non ſunt. Quòd ſi illi, qui & eruditi ſatis, & diligentes ſunt, ea repudiarunt, poſtquàm à me declarata & confirmata ſunt, mirantur librarios imperitos*

peritos, & negligentes homines, quamuis in libris, unde exſcribebant, inuenerint, ea reliquiſſe? Omnes qui *neſcirent* Epictetum *regionem eſſe, monſtra uerba illa putarent. Cur autem tantopere diſplicere debeant non uideo, nec ipſi aliquid afferunt.* Num *barbara ſunt, & parum* Cicerone *digna? aut illarum ſententia abſurda eſt? Atqui docebo aliis in locis, cum de ſimili re ageret,* Ciceronem *eodem pacto locutum eſſe: nam de puritate harum uocum ambigi non poteſt.* In Verrem, 81. *De qua expugnatione cum legati ad* C. Neronem *in Aſiam, Samo ueniſſent: eandem enim uim hic habet Samo, quod ſuprà ex* Epicteto. *Neque ego tam impudens: aut ſtultus eſſem, qui hæc fingerem, quæ facilè redargui poſſunt: ſemper enim præ me tuli ex duobus maximè hæc exemplaribus accepiſſe, quorum alterum eſt in* Diui Marci, *alterum in nobiliſſima* Medicæa *familiæ bibliotheca. illa autem omnibus diei horis ab unoquoque uideri, ac tractari poſſunt. Conferam iam hunc libellum, quum* Lodouicus Faber, *ac* Donatus Ianoctius *humaniſſimi, atque eruditiſſimi uiri, hunc induſtria ſua, ac diligentia laborem meum adiuuare uolentes, ut qui his ingenuis literis ualde delectantur, & mihi honoríque meo amiciſſimi ſunt ad me ſcripſerunt, ſe quoque hæc ſæpe ſuis ſedibus iniuſtè exturbata uerba in duobus manu ſcriptis exemplaribus repperiſſe, qui ſunt optimi, ac liberaliſſimi hominis* Ioannis Gaddij, *quod mihi audire iucundum fuit: illa enim* Romæ *poſita in illuſtri, ac ſtudioſis hominibus ſemper aperta, atq; hoſpitali domo, fidem meam defendent, & me ab omni crimine uindicabunt.*

Eadem *Epiſtola.*

Quæ à me profecta atque inſtituta ſunt. Medicæus *codex* profecta, *habet, & alter etiam non melius,*

quorum

quorum autoritatem ſecuti ita & nos legimus. Huius autem *nominis in hoc loco uis aperta eſt: quo etiam ſenſu accepit in epiſtola ad* Catonem, *cùm inquit:* À *me autem hæc ſunt profecta, quæ ego in beneficij loco non pono, ſed in ueri teſtimonij ac iudicij. Incluſam autem illud in ſe habet alterius uerbi uim, quod quidam malunt: nam niſi perfecta, & abſoluta eſſent, non rectè dici poſſent profecta, ſed adhuc eſſent inſtituta, & inchoata. Sed hæc minuta, & puſilla ſunt: illud momenti maioris, quòd noſtram animaduerſionem iidem non probant, qua iudicauimus, quædam paulò pòſt deeſſe. Illa autem mirificè nobis placet, & ut audio aliis doctis, & ingenioſis uiris: nam quod illi arbitrantur in commentario de iis rebus egiſſe* Ciceronem, *quem ad* Appium *miſerit, hoc uerum eſſe nullo pacto credere poſſum: nam ſtatim inquit,* Atque *hæc agimus, & agemus, &c. quaſi commentarius inter hæc & ſuperiora uerba inculcari poſſet, aut de commentario in his epiſtolis unquam* Cicero *locutus ſit.*

È *libro ad Seruium Sulpitium,* Epiſtola *4.*

Modicè hoc faciam, aut etiam intra modum.

Aul. Gellius Libro XIII. *cap. mentionem huius loci fecit his uerbis: ſed poſtea in libro* M. Tullij *epiſtolarum ad Ser.* Sulpitium, *ſic dictum eſſe inuenimus,* Intra modum, *ut intra* Cal. *dicunt, qui dicere citra* Cal. *nolunt.* Quem *locum eo libentius adduxi, quia oſtendit, quomodo ueteres citare ſoliti ſint teſtimonia horum librorum: neque enim tunc* Primus, Secundus, Tertius *appellabatur: ſed liber nomen ſumebat ab eo, ad quem prima epiſtola ſcripta eſſet, quod nos uetuſtatis amatores obſeruabimus.*

Libro 4. Epiſtola *5.*

An illiús vicem (credo) doles? Non *uideo cur immutari*

mutari ſcriptura debeat: habet enim recepta quæ eadem eſt cum antiqua, idoneum, & accommodatum ſenſum. Cùm ſuprà expoſuiſſet, nihil eſſe quod magnopere lugere debe=ret, quòd filiam amiſiſſet, ex perſona ipſius, quia maiora commoda amiſerit, & tanta, ut hoc additum non magnam uim ad dolorem adferre poßit. Nunc declarat ex perſona filiæ, nihil etiam eſſe, cur tantum dolorem ſuſcipiat, nihil enim illa, aut non multum damni fecit, quòd tam miſeris temporibus è uita diſceſſerit.

Libro 4. Epiſtola 10.

Et ſi nihil noui, quod ad te ſcriberem habebam. *In Medicæo, quæ extrema hic eſt dictio non legitur, nec alia pro illa reſtituitur: quod uitio librarij factum eſt, qui in exſcribenda epiſtola omiſit, quod antè in capite libri, dum indicem faceret, poſuerat: ita enim legendum eſt: Et ſi nihil erat noui, quod ad te ſcriberem, magiſque literas tuas: & quæ ſequuntur.*

Libro 4. Epiſtola 12.

In nobis dominatur. *Medicæus quoque liber* IN BONIS, *habet. nulla certa adferri poſſunt argumenta, quæ doceant hoc, aut illo modo neceſſariò legi debere, & utra=que, quantum ego intelligo, lectio defendi poteſt.*

Libro 4. Epiſtola 13.

Vt te horter & obſecrem. *Ea eſt in Medicæo libro ſcriptura, ut inde utraque lectio duci poßit: neutram enim ille integram habet, & utriusque non parua ueſtigia reti=net: ita enim habet.* Vt te ortem & obſecrem. *quàm olim ueriorem eſſe cenſuerimus, quibúſque argumentis uſi, omnibus notum: nihil tamen decerno.*

E' libro ad Metellum, Epiſtola 2.

Egi cum Claudia vxore tua. *Hæc eſt Claudia illa*

P. Clo

P. Clodij ſoror, quam in oratione pro Cœlio Cicero uexat multis contumelijs. Impudica enim fuit, & exiſtimata eſt cum P. fratre ſtupri conſuetudinem habuiſſe. Appellabant ipſam uulgò, Quadrantariam, quòd cùm amatorem ſuum grandem pecuniam illa popoſciſſet, callidi ingenij adoleſcens, qui ſine damno rei familiaris uellet libidinem ſuam explere, quadrantes, abiectiſſimam pecuniam ex ære, ut argenteos nummos, in loculos ei immiſit: qua re cognita, & fabula peruulgata, illa poſtea ita appellata ſemper eſt. Tangit hanc rem obſcurè Cicero pro Cœlio, cùm inquit: Niſi fortè mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori, & toto illo loco 622. Audita, & peruulgata, & percelebrata ſermonibus res eſt: nam quod in fine inquit, Niſi omnia quæ cum turpitudine aliqua dicerentur in iſtam quadrare aptè uiderentur. alluſit illo uerbo ad hoc nomen Quadrantariam. Plutarchus totam hiſtoriam narrat in Cicerone. Et ut obſcuriſſimum Quintiliani locum interpretari conemur, arbitramur nos Quadrantariam Clytemneſtram Claudiam hanc eſſe, quam Quadrantariam appellauerit Cœlius ex fabula ſuprà expoſita. Clytemneſtram autem, quia illa coniugi ſuo Q. Metello mortem attuliſſe credita eſt, quemadmodum Clytemneſtra Agamemnoni, quamuis hæc ferro, illa ueneno graſſata in maritum ſit. Agit de hac ſuſpicione Cicero in oratione pro M. Cælio, cùm inquit: Proh Dij immortales, cur interdum in hominum ſceleribus maximis, aut conniuetis, &c. nam in fine huiusloci apertius adhuc: Ex hac igitur domo progreſſa iſta mulier de ueneni celeritate dicere audebit? non'ne ipſam domum metuet, ne quam uocem eijciat? non parietes conſcios? non noctem illam funeſtã, ac luctuoſam perhorreſcet? Verba Quintiliani ſunt hæc in VIII. libro cap. de Tropis,

pis, cum de ænigmatibus loqueretur: Et *oratores nonnunquàm, ut Cælius: Quadrantariam Clytemneſtram.ita enim legi debet, non ut in uulgatis Cæcilius: Cæcilius enim* Poëta *Comicus fuit, non orator. Sed alijs etiam in locis apud Ciceronem, ut quondam oſtendimus, hæc nomina inter ſe commutata fuerant.* Ex *uerbis quoque Ciceronis paulò antè citatis magnum mendum ſuſtulimus.*

Eadem Epiſtola.

In annuo magiſtratu. V*t quondam docui Medicæus* codex in animo magiſtratu, *habet: aliorum iudicium non reprehendo: ſed quia unicuique licet, quid ipſe ſentiat proferre, ſuſpicor legendum eſſe*, INAMI MAGISTRATV, *deleta poſteriore parte mediæ uocis, priore autem cum primo monoſyllabo copulata: ita enim & antitheton erit, & parua immutatio fiet, natum hîc eſſe mendum arbitror ex principio conſequentis dictionis.*

Eadem Epiſtola.

Nec in te vt ſcribis animo fui mobili, ſed ita ſtabili. O*mnes ſciunt ſtabilem animum mobili oppoſitum eſſe, quod teſtimonio etiam hoc Ciceronis confirmatur, non tamen omnes ſpondeos ſtabiles mobilibus trimetris oppoſuiſſe* Horatium *in libello de* Arte *poëtica nouerunt.* C*orruptus enim locus ille eſt, & pro mobilibus, in cunctis impreßis codicibus* Nobilibus *legitur, cum quidam manu ſcripti* NOBILIBVS *retineant. quam ueram eſſe illius loci lectionem, qui attentè eum legent, facilè animaduertent: tradit enim non multo ante cœptum eſſe inſeri trimetris ſpondeum, cùm apud antiquos poëtas in eo genere carminis raro reperiretur.* Appe*llat autem mobilia trimetra, quæ ex iambis ac pedibus, qui ſyllabas breues habent conſtarent: labuntur enim illa, & miram celeritatem*

in ſe continent. Si quis lentè hanc caſtigationem probaret, & uulgata lectione teneretur, autoritate Ariſtotelis uictus, ſententiam mutare debebit, qui in primo libro περὶ ποιητικῆς iambica & tetramenta κινητικά, id eſt, mobilia appellauit, cùm antea heroicum metrum ϛασιμώτατον, id eſt, maximè ſtabile appellaſſet, quod multos in ſe ſpondeos recipit.

Libro 5. Epiſtola 10.

Actiones expoſtulant. *Ita legendum eſt, quemadmodum etiam uetuſti codices habent: non ut Manutij in priore, & in poſteriore ſua editione ſcripſerunt, Actione expoſtulant. In Verrem 115. Actionem eius rei poſtulant.*

Libro 4. epiſtola 12.

M. Cicero S. D. L. Lucceio Q. F. *Quod in Mediceo codice conſtanter ſeruatum animaduertimus, id ipſi quoque cuſtodiuimus.* LVCCEIVS, *ſcilicet eſſe illius nomen, non Luceius. Quod quamuis parui momenti eſſe uideatur, non multi quoque laboris eſt retinere, poſtquàm antiquis monimentis fidem habere uolumus, prӕterquàm quòd ſemper hic per duo* CC *ſcribitur, uidimus etiam Romӕ in in antiquo lapide hoc nomen ita ſcriptum eſſe.*

D. M.
LVCCEIAE
SECVNDINAE
TI. CLAV.
PRISCVS VITRICVS
VIX. AN. II. MEN. V.

Sed alium etiam Arretij eſſe ſcimus, in quo idem nomen eodem pacto ſcriptum ſit.

P Eadem

Eadem Epiſtola.

Vnus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando. *De Ageſilao ſermo eſt, & intelligit laudationem ipſius à Xenophonte confectam & appellatam Ageſilaum, quæ ad noſtra etiam tempora peruenit. Neque tamen ea eſt, ut quidam crediderunt, quæ inter uitas Plutarchi legitur, & mores, réſque ab eo geſtas continet: liber enim ille à Plutarcho ſcriptus eſt, qui & ipſe Ageſilai uitam quemadmodum multorum clariſſimorum uirorum edidit: ſed unà cùm alijs Xenophontis commentarijs legitur. Veneti tamen Plutarchi codices, illam ut non ueram Plutarchi notą illi adpoſita habent, qui error ab eo ortus eſt, qui epiſtolam confecit, qua diuinum illud Plutarchi opus commendauit: in hac enim re falſus eſt. multa quæ in ea uita leguntur, manifeſtò arguunt, illam Chæronei eſſe, & longe aliam ab ea, quam monimentis literarum Xenophon prodidit.*

Ibidem.

Verecundiores eſſe Præcones, ludorum gymnicorum. *Elegantiſſima ſententia, qua etiam uſus eſt doctiſſimus uir Plutarchus in commentario, quo docet, quomodo quis poßit ſui ipſius laudes citra inuidiã prædicare: nec tamẽ à Cicerone minus eleganter aut cop osè expoſita eſt. Græci autoris uerba hæc ſunt, quæ cum Latinis conferre inutile non erit,* ἀλλὰ καὶ τοὺς στεφανομένους ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἕτεροι νικῶντας ἀναγορεύουσι, τὴν ἀηδίαν τῆς περιαυτολογίας ἀφαιροῦντες.

Libro 5. Epiſtola 14.

Quam diſceſſerat. *Antiqua hic olim à nobis, & elegans lectio reſtituta eſt, quàm tamen quibuſdam non probauimus, ſpero tamen illam doctis alijs, & ingenioſis uiris*

ris probatum iri. Libro VIII. *epiſtolarum ad Attic. Cicero eodem pacto locutus eſt. Quum enim Pompeij peccata colligeret,& omnis de eo ſermo eſſet, nomen ipſius nunquam poſuit. Aluerat Cæſarem, eundem repente timere cœperat, conditionem pacis nullam probarat,&c. Poſſemus & alia exempla adferre: ſed hoc, quod ualdè accommodatum eſt, contenti erimus, & alios etiam fore arbitramur. Poſtquam autem illius elegantiſſimæ epiſtolæ,& cum magno ardore animi ſcriptæ, mentionem fecimus, oſtendemus in Græcis uerbis, quæ in ipſa incluſa ſunt, nihil uitij contineri, nec illa Ariſtophanis eſſe, quemadmodum nonnulli crediderunt, qui ualde in hac re falſi ſunt, quamuis autem huius rei maturum tempus nondum ſit, ſemper tempeſtiuum eſſe puto, ſtudioſos literarum adiuuare. In optimo noſtro epiſtolarum exemplari ita leguntur, ut à nobis exſcripta ſunt, nec non in commentarijs Suidæ: quod mihi non paruum argumentum eſt, illa rectè habere. Animaduerti poſtea ipſa à Clemente uſurpari in* VI. *Stromate:& eodem pacto ibi legi, ut in epiſtolis Ciceronis,& in commentarijs Suidæ, nam uetuſtos etiam libros Suidæ inſpexi, eóſque nihil ab excuſis diſſentire cognoui: quare his tot, támque incorruptis teſtibus de ſynceritate illius lectionis credendum puto. Qui ea nuper ad Ariſtophanis lectionem redigere uoluerunt, non animaduerterunt hanc præclaram ſententiam ab alio poëta accepiſſe Ariſtophanem,& eam ad ſenſum ſuum exponendum accommodaſſe, quemadmodum crebro facit,& ut nonnullos etiam Latinos poëtas facere notum eſt. Quicquid autem ſenſui ſuo non quadrabat, lepidiſſimus comicus commutauit. Sed in extremo, quod planum facit, ueterem eam ſententiam fuiſſe,& non ab ab ipſo tunc primùm prolatam: nam quòd*

uerus ipſius autor dixerat, καὶ τὸ δίκαιον σύμμαχον ἔσαι, καὶ οὐ μήποθ' ἀλῶ κατὰ πράσσων (id autem percipitur ex commentarijs Clementis, & Suidæ, qui plura eius ſententiæ uerba, quàm Cicero adducunt) Ariſtophanes ita conformauit: καὶ οὐ μήποθ' ἀλῶ περὶ τὴν πόλιν ὢν ὥσπερ ἐκεῖνος: δειλὸς καὶ λακκοκαταπύγων. Poſt ſententiam illam ſuis uerbis expoſitam Clemens eruditiſsimus ſcriptor hæc adiungit, quæ uim, intellectúmque illius non parum aperiunt. αὕτη δὲ ἡ συνειδησία τὸ ὅσιον τὸ πρὸς τὸν θεὸν καὶ τὸ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους δίκαιον διασώζει, καθαρὰν τὴν ψυχὴν φυλάττουσα διανοήμασι σεμνοῖς καὶ λόγοις ἁγνοῖς καὶ τοῖς δικαίοις ἔργοις. *Verba autem ipſa, quæ ſunt elegantiſsima, cùm ad eum locum deueniemus, accuratius declarabimus, & omnem uim illorum ſtudioſè illuſtrabimus.*

Libro 5. Epiſtola 15.

Excludere me à portu, & perfugio videntur. *Eadem metaphora uſus eſt Plutarchus, & eadem uerba coniunxit, cùm de domo Tribuni Pl. loqueretur, cuius fores claudi leges non ſinebant, ſed & noctu ac die patebant, ut quilibet omni tempore præſidio ipſius uti poſſet, in explicatione rerum R. 252.* ὅθεν οὐδὲ οἰκίας αὐτοῦ κλεισθῆναι νενόμισται θύραν, ἀλλὰ καὶ νύκτωρ ἀνέῳγε καὶ μεθ' ἡμέραν ὥσπερ λιμὴν καὶ καταφυγὴ τοῖς δεομένοις. *Tanquam, inquit, portus quidam, ac perfugium cunctis, qui ope illorum indigerent.*

Libro 5. Epiſtola 18.

Cicero Rufo. *Hos titulos Epiſtolarum quemadmodum in antiquis exemplaribus inuenimus, ita ſcripſimus: id alij poſteà facere neglexerunt. Quòd ſi res magni ponderis non eſt, non eſt fortaſſe tam leuis quàm quiſpiam exiſtimaret. Ita frequenter ſcribere ſolitos eſſe ueteres duo-*

bus

bus in locis, quòd nunc meminerim, teſtatur Cicero: in quibus etiam non parum referre docet, prænomina ponantur, & tituli honorúmque gradus, an nominibus tantùm, qui ſcribit, utatur: alter eſt in epiſtola ad Volumnium 105. Quòd ſine prænomine, familiariter ut debebas, ad me epiſtolam miſiſti, &c. alter in oratione pro domo ſua 500. Literas in concione recitaſti, quas tibi à C. Cæſare miſſas diceres. CÆSAR PVLCHRO. *Cum etiam es argumentatus amoris eſſe hoc ſignum: cùm nominibus tantum uteretur: neque adſcriberet* Proconſul, *aut* Tribuno Pl. *ita enim legendus ille locus eſt, non* Proconſuli: *pertinet enim ad* Cæſar *uox illa, quemadmodum alia ad* PVLCHRO. *Tertium exemplum eſſe poteſt, ſi quis his contentus non ſit, titulus epiſtolæ* M. Antonij *quæ in* XIII. Philipp. *incluſa eſt. Huius autem & ſequentis epiſtolæ nomina nuda ſunt in priſcis, & bonis libris.*

Eadem Epiſtola.

Et ſi mihi nunquàm dubium fuit. *Si temporum ordo ſeruatus eſſet ab eo, qui has Ciceronis epiſtolas retulit in uolumina, quædam (ut arbitror) nobis magis plana eſſent, neque in multis locis tantopere hæſitaremus. Hæc, niſi fallor, illam ſequi debebat, cuius initium eſt:* Quoquomodo potuiſſem, non præcedere. *Obſcurum eſt totum negotium, de quo hìc agit: quid tamen ſentiamus, liberè pronuntiabimus, freti æquitate lectorum. Cùm illa non multò poſt, quàm è prouincia Cicero redijt, ſcripta ſit: hæc iam ſuſcepto ciuili bello, & pulſo ex Italia Pōpeio, ſcripta eſt. Exornabat iam Tullius fugā, & in caſtra Pompeiana proficiſci cogitabat, cupiebátq; comitem habere illius conſilij & itineris Rufum: de quo ipſe Rufus in epiſtola ſua ſpem ali-*

quam Ciceroni dederat: quod tamen cùm cupidè Cicero optaret, modeſtè, cautéque rogat: quia res multum periculi, ſi emanaſſet, habebat, ideo obſcurè loquitur, ne ſi forte literæ in alienas manus incidiſſent, aliquid mali, moleſtiæq́; ex ea re ſuſciperet.

Eadem Epiſtola.

Quare tu. *Penè eandem ſcripturam habet Mediceus liber cum illa quam Manutius in omnibus ſuis manu ſcriptis inueniſſe ſe tradit.* QVÆ *enim in eo legitur, non* QVÆ, *quod minus à recepta lectione diſcrepat. nam ſi forte ex* QVÆ, QVARE *fieri debet, duas literas addere neceſſe erit: ſi eſt ea ſcriptura, quam nos inuenimus, unam. Quid tamen facere oporteat, doctiores cogitabunt.*

Libro 5. Epiſtola 19.

Id cùm lege Iulia relinquere rationes P. N. E. E. Q. T. V. R. A. ærarium. *De lege Iulia idem dicit in oratione in Piſonem 661. quo loco inducit ipſum cum genero ſuo Iulio Cæſare ita loquentem: Rationes ad ærarium retuli continuo, ſicut tua lex iubebat: neque ulla alia in re legi tuæ parui.*

Ibidem.

Quam darem. *Cum fide olim antiquam lectionem repoſuimus: quid autem noſtri iudicij eſſet, non ualde aperuimus: alij quid ipſi conijcerent expoſuerunt: quos qui probabunt, ſequi poterunt: ea nobis nimis dura, & uiolenta uidentur.*

Eadem Epiſtola.

Confectas & conſolidatas. *Cur non mendum tollam ex diuinatione in Verrem, nactus aliquam huius rei occaſionem? cupio enim omni tempore, omnique in negotio ſtudioſos literarum adiuuare. Scias igitur locum illum men-*

dosè

doſè legi 55. At enim ſolum id eſt, ut me Siculi maximè ue=lint, alterum illud credo obſcurum eſt: legendum enim eſt, Solidum, *hoc intellectu: cùm enim planum feciſſet antea ſe patronum fortunarum ſuarum Siculos maximè optare, idque ita confirmaſſet, ut labefactari non poſſet, incipit de altero capite diſſerere. Solidum id ſit: id eſt, firmum, ſtabile, quòd de gradu & ſede ſua deijci non poßit. Quemadmodum etiam nos eleganter ſermone noſtro familiari dicimus: reti=nemus enim penè Latinam uocem, eáque cum idem ſignifica re uolumus, paßim utimur.*

Eadem epiſtola.

Legatum meum, præfectúmque Q. Leptam. *Nihil ab ea, quæ in noſtris impreßis eſt, lectione, diſceden=dum puto: nec duas illas dictiones ullo pacto delendas cen=ſeo. Nam quod Manutij argumentum primum eſt, qui eas inducit, in antiquo libro illas non eſſe, Mediceus codex eas habet, & nos olim illi uoci nominique, illius exemplaris au toritatem ſecuti, prænomen addidimus. Alia item eiuſdem argumenta nullo negotio tentari refellique poſſunt.*

Ibidem.

Vt tua quam tu depoſueras Seſtius. *Sic etiam le=gitur, ne minima quidem uarietate, in Mediceo: quod olim quomodo nos præterierit, neſcio: certè ſi id animaduertiſ=ſemus, non tantopere laboraſſemus.*

Ibidem.

Addes etiam tu iuſſu meo, quod ego nunquàm addidi. *Suſpecta mihi hæc lectio ſemper fuit, præſertim cùm in melioribus exemplaribus aliter ſcriptum ſit, & to-ta etiam epiſtola non paruam obſcuritatem in ſe habeat. Me-diceus ita legit:* Quod ego qui non addidi. *quod di=ligenter conſiderandum eſt: nihil tamen adhuc certi ex*

uetere ſcriptura elicere potui, nam per ſe etiam uox illa NVNQVA'M *hoc in loco mihi parum probatur: etſi con iecturam noſtram non contemnendam putamus, qui olim particulam* QVI *ſuperuacaneam iudicauimus, eámq; ſuſtulimus,* NON *autem retinuimus. Nunc tamen ut unuſquiſque quid ſui conſilij ſit ſequi poßit, antiquam ſcripturam omnibus propoſuimus.*

Eadem epiſtola.

In pecunia exacta ita efferre. *Ita nos quo que olim ſcribi uolebamus ex melioribus codicibus, in quo tamen una in litera noſtri librarij peccarunt: priſca certè ſcriptura hæc eſt,* In pecuniæ exactæ ita efferre. *ut facilè inde hæc lectio concinnari poßit: rectum tamen eſſe iudicauimus, in re obſcura lectori omnia indicare.*

Lib.5. Epiſtola 20.

Ita mihi omnia. *Mediceus liber, & alij ueteres,* COMMVNIA OMNIA: *In quibus uerbis uitium ineſſe manifeſtum eſt: quomodo illud emendari poſſe arbitrati ſimus, ſpectari poteſt: & fortaſſe non inelegantius, quàm alij qui caſtigarunt,* COMMODA OMNIA: *magna enim uis eſt illorum uerborum,* Ita mihi omnia, quæ opto, contingant. *Cupimus enim ſæpe, precamurque à Dijs immortalibus non nobis tantùm commoda, ſed amicis etiam & alijs qui nobis cari ſunt: nõ paruámq; ex ea re, ſi impetramus, uoluptatẽ capimus. Honeſtius enim eſt amicis, ſuiſq; commoda quàm ſibi ipſi optare. Hæc ratio fecit, & alia etiam argumenta, ut priorem uocem deleremus: arbitramur enim cum* OMNIA *ſcribere uellet perperam librarium* COMMVNIA *ſcripſiſſe: cúmque erratum ſuum cognouiſſet,* OMNIA *poſtea ſcripſiſſe, nec priorem uocem inducere curaſſe, quod multis locis facit.*

Libro 5. Epiſtola 20.

Vt enim cum eſſet. *Hæc eſt Medicæi codicis, & aliorum etiam ueterum lectio, quam tamen nonnulli damnant qui olim & ipſi eam ualde amauerant, etſi ut omnia componerent, infra ſuo ex ingenio lectionem mutauerant. Quam reſtituerunt lectionem nullo modo probo: neque hoc facio concertationis ſtudio, ſed quòd ita uerum eſſe exiſtimo. ſi quis acutè perſpiciet, ſi* ETENIM *(quemadmodum illi uolunt) legatur, uidebit multominus uerba inter ſe cohærere, quàm ſi priſca lectio conſeruetur. Quare peccaſſe nobis non uidemur, qui ſi aliquis error eſt, una cum antiquis libris peccare uoluimus. Potius animaduertendum eſt, an ſit è genere eorum, quæ ſpeciem ſolœciſmi habere uidentur, de quibus nos alijs in locis locuti accuratè ſumus, & Paulus etiam in eo quod ſequitur ſcholio agit.*

È libro ad A. Torquatum, Epiſtola 2.

Ita enim viuere vt non ſit viuendum. *Manuſcripti codices,* vt tum ſit viuendum, *habent: quantum autem intelligo, ex utraque lectione idoneus ſenſus elicitur: ex recepta, ut opinor, hic: Viuere amiſſa dignitate miſerrimum eſt: docti enim & graues uiri rectum non eſſe iudicabant uiuere illi, qui dignitatem perdidiſſet. Quod etiam uetere prouerbio declarabatur, quo Cicero ipſe uſus eſt in epiſtola tertia ad Marium, Vbi non ſis qui fueris, non eſſe cur uelis uiuere. ex antiqua uerò hic: Viuere ut uiuendum tum eſſet ſi Cæſar aut Pompeiani Rempubl. oppreſſerint. quod omnino euenturum Cicero arbitrabatur miſerrimum. Eam unuſquiſque lectionem ſequatur quam ueriorem putat.*

Libro 6. *Epiſtola 4.*

Ad omnes caſus ſubitorum periculorum. *Sic etiam locutus eſt doctiſſimus, & politiſſimus poëta Catul-*

lus in hendecaſyllabo ad Furium: Nec caſus alios periculorum. Totum autem carmen & elegans eſt, & ſummo artificio confectum: ludit enim Furium mendicum hominem, & qui omnibus bonis fortunæ carebat, quem tamen iocans fortunatum eſſe, ac beatum hominem oſtendit, cùm ea ipſe quoque haberet, quæ uitam beatam conſtituere exiſtimantur. Nam ualentem eſſe, bene concoquere, non metuere fures, non alia incommoda, quæ opulentos homines continuè angere, ac ſolicitare ſolent: omnibus denique huiuſcemodi malis carere, eſt fortunatum eſſe: & quibuſcunque hæc ſunt, illis benè, ac beatè eſt: ut poëta ipſe loquitur. Eſt autem captioſa oratio: quamuis enim beati homines ipſi quoque hæc, quæ uidentur commoda, habeant, non tamen neceſſariò, qui ea habent, ſtatim beati ſunt: nam qui nihil, quod amittant, habent, ij quoque non metuunt ſures: & qui propter egeſtatem famem explere nequeunt, pulchrè cibum concoquunt, nec cruditate unquam laborant. Hæc fallax ratio concludendi ab Ariſtotele exagitata eſt, & uitium illius accuratè expoſitum in I I. libro dè arte dicendi, & in commentario, quem appellauit σοφιστικοὺς ἐλέγχους, ac tota denique res elegantiſſimis exemplis explicata. Latè autem patet hoc uitium, quemadmodum ipſe in Elenchis oſtendit, & multos hæc captio in fraudem inducere conſueuit. Nam in Rhetorice docet eum, qui cum Alexandrum Priami regis filium laudibus ornaret, argumentatus erat illum magnanimum eſſe, quòd ſpreta conſuetudine multorum, in Idæ montis ſolitudine degeret: hac captiuncula uſum eſſe: Quamuis enim magni animi uiri multitudinem fugiant, ac ſola deſertáque loca libenter frequententur: non tamen neceſſariò, quicunque in ſyluis, deſertiſque locis morantur, magnanimi ſunt. Inde autem error ducitur, quòd putant totam rem conuerti,

uerti, & ut Dialectici loquuntur, τὴν ἀκολούθησιν ἀντιστρέφειν, quod falſum eſt. Eadem ratio erat eius, qui exules beatos eſſe prædicabat, quòd poſſent ſedem, ac domicilia ſua ponere, ubicunque terrarum ipſis uiſum eſſet: quia (inquit Ariſt.) hæc illis, qui beati exiſtimantur, adſunt: omnes, quibus hæc adſunt beati uideri poſſunt. Si quis tamen acutè perſpexerit, intelliget, rem magnum diſcrimen habere: aliterque (ut in exemplo Catulliano permaneamus) mendicos non metuere fures, & aliter diuites: nam auget etiam uitam beatam, habere res ſuas ita clauſas, ac cuſtoditas, ut fur damnum afferre non poßit. Quare quum hæc captio appelletur παρὰ τὸ ἑπόμενον, deduci etiam poſſe Ariſtoteles adfirmat ad aliam, quæ παρ' ἔλλειψιν uocata eſt, quòd quædam deſiderentur nec ſermo plenus & abſolutus ſit.

Libro 6. Epiſtola 5.

Quare ad eam ſpem. Nulla uarietas in Mediceo neque in alij bonis exemplaribus.

Libro 6. Epiſtola 7.

Sed incitatum atque elatum. Sic etiam in Mediceo legitur, quare hanc prorſus lectionem ſequendam cenſeo.

Libro 6. Epiſtola 10.

Recuperaras fortunam. Quia Mediceus RECIPERAS habet, ego olim ſcripſi RECVPERAS, quemadmodum tunc adnotaui. Alij RECVPERES malunt, res ſanè parui ponderis: ſed mea ut arbitror lectio uerior.

Lib. 6. Epiſtola 18.

Cum ceterarum rerum cauſa. Non reſpondet hæc Ciceronis epiſtola, quemadmodum ego exiſtimo, ſuperiori Bithynici: id autem, qui attentè ambas legerit, facilè animaduerteret. Scripſerat alias literas Bithynicus ad Ciceronem, quibus cupere ſe oſtenderat, cum eo uiuere. quæ aut

poſtea

poſtea periere, aut in hæc uolumina relatæ non ſunt.

Lib. 6. Epiſtola 19.

Simul accepi. *Ita ſanè in Medicæo libro hic legitur. ueruntamen quemadmodum poſtea animaduertimus, cùm indicem epiſtolarum huius libri conſuleremus, offendimus ſic ibi ſcriptum eſſe,* CICERO LEPTÆ. Simul atque accepi. *Quare ſtatim ita in meo codice emendaui: non quòd neſciam, (quod nonnulli me inſimulant)* SIMVL *etiam à bonis autoribus ſine* AC *aut* ATQVE *crebrò uſurpari: frequens enim id eſt apud poëtas, & pueri omnes ſciunt. Terent. etiam in Phormione inquit:* Hic ſimul argentum reperit. *Quin ipſe potius nonnullis exemplis allatis docui, alijs in locis ita Ciceronem locutum fuiſſe: ſed cùm ex maiore parte illi in uulgatis codicibus aliter legerentur, nolui uideri parum firmis uti teſtibus. Multa ſunt autem quæ conceduntur poëtis, quibus qui ſoluta oratione ſcribant, abſtinent.*

Ibidem.

Cum qui hodie aruſpicinam facerent in Senatu Romæ legerentur. *Iocus (niſi fallor) in Cæſarem, qui in eum ordinem indigniſſimos legerat: ſuppleuit enim ille Senatum, nam multi ciuilibus bellis Senatores defecerant.*

Libro 6. Epiſtola 20.

Munerum regiorum. *Sciebam ſanè nonnullos* REGIONVM *in ſuo codice ſcripſiſſe, contra impreſſorum, & meliorum omnium codicum fidem: in quo quòd illos imitarer non fuit: Hiſtoriam huius loci in meis caſtigationibus explicaui, quod prætermiſi ut planum, ac notum omnibus. Cur regia appellaret munera, paucis exponam. quæ Cæſar dictator daret quem regem uocat multis in locis (ut*

etiam

etiam regiam domum eius: Te planè uiſum in regia non reprehendo, & reginam uxorem) quòd regiam Romæ poteſtatem haberet, & cuncta pro arbitrio ſuo adminiſtraret. Cùm ſexcenta alia exempla huius nominis afferre poſſem, uno contentus ero, quod huic rei docendæ mirificè accommodatum eſt: agitur enim in eo quoque de curatione ludorum, etſi ludi fuerint, quos curauerat Matius ab his, quos Lepta curare cupiebat. In epiſtola ad Matium 170. Sed te hominem doctiſsimum non fugit, ſi Cæſar rex fuerit, quod mihi quidem uidetur: & quæ ſequuntur: Quamuis autem munera per ſingulas urbis regiones Cæſar ediderit, nemo unquam munera regionum illa appellaret, niſi omnia me fallunt. Vocaſſe autem regem quandoque Ciceronem, quem Græci τύραννον dicunt, perſpicuum eſt: unde libet locum in Oratione prima contra Catilinam emendare: Si in hunc animaduertiſſem, crudeliter, non egregiè factum eſſe dicerent. Legendum enim eſt, ET REGIE, *id eſt,* τυραννικῶς. *Hanc ſcripturam, ſua ſponte planam, confirmat autoritas optimi codicis: uidi enim librum literis Longobardis exaratum, qui continebat hiſtoriam Salluſtij, & quædam Ciceronis, in quibus erant orationes hæ in L. Catilinam, in quibus ita legebatur.*

Eadem Epiſtola.

In quo ſit ſpecies. *Si rem ſemel, de qua hic agit, nonnulli intelligere uoluiſſent (poterant autem ex epiſtolis ad Attic. omnia accipere: his enim quæ à me pro huius loci declaratione ſcripta ſunt, fortaſſe parum fidebant) non tam multa peccaſſent, & ueterem lectionem, quæ in Medicæo eſt, à me reſtitutam, ueriorem eſſe cognoſſent. Sententia huius loci, & uis illius nominis, copioſè à me in meis caſtigationibus explicata eſt: addam tamen huius nominis eodem ſi*

dem ſignificatu exemplum, è primo de Oratore ad Qu. Fratrem: Et quanquam in utroque noſtrum ſummum eſſe ingenium, ſtudiúmque perſpexi: tamen hæc quæ ſunt in ſpecie poſita, &c. Sed magis adhuc ſimile huic loco eſt illud in L. *Piſonem: At fuit pompa, fuit ſpecies, fuit inceſſus. nam locus ille ad* Att. *non parum lucis rei, de qua hic agit, adfert* 304. *Balbum conueni: Lepta enim de ſuaui in curatione laborans, me ad eum perduxerat.*

Lib. 6. *Epiſtola* 21.

Te iſtinc poſſe proficiſci. *Hic potiſsimum olim adnotauimus, in antiquis codicibus* ISTIM *pro* ISTINC *legi, citauimúſque multorum locorum teſtimonia, plura etiam nunc afferre poſſemus: nam dum accuratè uerſamus priſca exemplaria, in hanc uocem crebro incidimus, uel potius raro aliter ſcriptam animaduertimus. Addimus nunc ad ea* ILLIM *quoque pro* ILLINC *nos ſæpe poſitum in iiſdem libris animaduertiſſe: nam libro* VII. *ad Att. in optimo illo ſic legitur: Iſta magis expecto, quid illim afferatur. Accurate igitur conſiderandum, an huius animaduerſionis auxilio locus Ciceronis in epiſtola ad Brutum emendari poßit, ſiue ita aduerbium hoc pronuntiare, ac ſcribere ueteres ſoliti ſint, ſiue frequenter in eo exſcribendo ab antiquis librarijs, & eodem ſemper modo peccaretur, quod uix puto. Verba Ciceronis ſunt à Quintiliano adducta libro* V. *Veritus fortaſſe, ne nos in Catonem noſtrum transferremus illi mali quid eſt, etſi argumentum ſimile non erat. Arbitror igitur legendum,* transferremus illim aliquid, etſi argumentum &c. *ut ſit* ILLIM *pro* ILLINC, *nam in manu ſcriptis nonnullis* EST, *non uidi: quo facilius hic locus nunc corruptißmus ita reſtitui poteſt: totam tamen rem arbitrio doctiorum permittimus.*

Animaduertimus poſtea Germanos in ſuo Quintiliano, quem multis locis caſtigatum ediderunt, hunc etiam locum reſtituere conatos eſſe: nam ita ſcripſerunt, Tranſferremus illinc mali quid: & ſi &c. *nam quod* EST *ſuſtulerunt, quódque* ILLINC *deſiderari in hac ſententia iudicarunt, nobiſcum faciunt: non tamen ex reliquis duabus uocibus* ALIQVID *componere, quod non minus deſiderari uidebatur, potuerunt*

E' libro ad Marium, Epiſtola 1.

Et patefeciſti Seianum. *Quæ ſcriptura eſſet in Medicæo, olim expoſuimus: quamuis autem multi multa dicant, à recepta lectione diſcedendum non puto, niſi aliquid firmius, ueritúſque reperiatur. Exiſtimaui ſemper nomina eſſe locorum: nam de Stabijs dubitari non poteſt. Columella etiam in hortulo mentionem illarum facit.*

Fontibus & Stabiæ celebres.

De Seiano obſcurius eſt: poteſt tamen oppidi ignobilis, uel montis nomen eſſe, à quo etiam Seianus ille fortaſſe uocatus ſit, qui tantam potentiam apud Tiberium Imp. conſecutus eſt. nihil tamen nedum certi, quod ſine culpa temeri tatis affirmari poßit: nam ille Seianus à Seio poſſeſſore appellatus eſt. Qui autem SCENAM *putant legi debere, meo iudicio falluntur, quod facilè intelliget, qui* σκοπὸν *Ci ceronis huius epiſtolæ ſcribendæ acutè ſpectabit.*

Eadem Epiſtola.

Homini eſſe polito. *Medicæus liber, & Petrarchæ manu(ut putant) ſcriptus hanc lectionem retinent, quæ non uideo cur reijci debeat: eſt enim elegans, & huic loco ualdè accommodata. tantæ autem hi apud me autoritatis ſunt, &, niſi fallor, apud alios propter fidelitatem erunt, ut teſtimonio duorum illorum magis credam, quàm reliquorum*

omnium

omnium. 11. etiam de Orat. 194. Cicero hac uoce uſus eſt: uel quòd ipſum oratorem politum eſſe hominem ſignificat, quòd eruditum, quòd urbanum. Græci, ut opinor, huiuſcemodi homines χαρίεντας *appellant: Ariſt. libro primo de uita & moribus, ubi de uita beata diſſerit, inquit:* τὴν γὰρ εὐδαιμονίαν καὶ οἱ πόλλοὶ καὶ οἱ χαρίεντες λέγουσι. *& non multò pòſt iterum.*

Ibidem.

Extremus elephantorum dies fuit. *Dion libro 39. magnificentiam, & apparatum horum ludorum copioſiſsime narrauit: multáque de elephantis, & de miſericordia, quæ in animis uulgi exorta eſt, diſputauit. Quod autem Cicero inquit, uenationes binæ per dies quinque. Dion tradit: quingentos leones quinque diebus ferro abſumptos eſſe. Sed quia hiſtoricus ille rarus inuentu eſt, magnam partem eius loci hic adponamus:* κἀν ταῖς αὐταῖς ἡμέραις ὁ πομπήϊος τὸ θέατρον ᾧ νῦν λαμπρυνόμεθα καθιέρωσε καὶ ἔντε ἐκείνῳ θέαν καὶ μουσικῆς καὶ ἀγῶνος γυμνικοῦ κἀντῷ ὑποδρόμῳ καὶ ἵππον ἅμιλλαν, καὶ θηρίων πολλῶν καὶ παντοδαπῶν σφαγάς ἐποίησεν: λέοντες γὰρ πεντακόσιοι ἐν πέντε ἡμέραις ἀναλωθησαν καὶ ἐλέφαντες ὀκτὼ καὶ δέκα πρὸς ὁπλίτας ἐμαχέσαντο καὶ αὐτῶν οἱ μὲν παραχρῆμα ἀπέθανον: οἱ δὲ οὐ πολλῷ ὕστερον, ἠλεήθησαν γάρ τινες ὑπὸ τοῦ δήμου παρὰ τὴν τοῦ πομπηΐου γνώμην, ἐπειδὴ τραυματισθέντες τῆς μάχης ἐπαύσαντο καὶ περιϊόντες τάς τε προβοσκίδας ἐς τὸν οὐρανὸν, ἀνέτεινον καὶ ὠλοφύροντο οὕτως, ὥστε καὶ λόγον παρασχεῖν ὅτι οὐκ ἄλλως ἐκ συντυχίας αὐτὸ ἐποίησαν. ἀλλὰ τούς τε ὅρκους οἷς πιστεύσαντες ἐκ τῆς λιβύης ἐπεπεραίωντο ἐπιβοώμενοι καὶ τὸ δαιμόνιον πρὸς τιμωρίαν σφῶν ἐπικαλούμενοι, λέγεται γὰρ ὅτι οὐ πρότερον τῶν νεῶν ἐπέβησαν πρὶν πίστιν

παρὰ

παρὰ τῶν ἀγόντων λαβεῖν ἔνορκον σφᾶς ἦ μὴν μηδὲν κακὸν πείσεσθαι.

Ibidem.

His ego tamen diebus, ludis ſcenicis ne fortè. *Nullam uarietatem inueni in priſcis codicibus, quid tamen repente dum hæc ſcriberem in mentem uenerit, libet exponere: lectores ipſi, an penitus explodendum ſit, iudicabunt. Vereor ne duæ illæ dictiones* LVDIS SCENICIS *uacent, & Ciceronis non ſint, ſed declaratio quondam fuerit prioris illius partis, quæ poſtea ab imperitis librarijs temerè huc inculcata ſit, neq; Ciceroni ad Marium ſcribenti id ſignificare neceſſe erat: non enim ille ignorare poterat qui illi dies eſſent. Verum quemadmodum diximus, tenuis hæc ſuſpicio, nec aliquid immutãdum niſi ita doctioribus uiſum fuerit cenſeo: potuit enim hoc addere, adhuc magis ſignificare uolens infelicem conditionem ſuam: qui dum alij ludis oblectarentur, & à curis ſollicitudinibúſque animum reficerent, in rebus moleſtis, odioſisq; implicatus eſſet. Mentionem fecit horum ludorum Cicero in oratione contra L. Piſonem. Inſtant poſt hominum memoriam apparatiſſimi, magnificentiſſimique ludi: quales non modo nunquam fuerunt, ſed ne quomodo fieri quidem poſthac poſſint, poſſum ullo pacto ſuſpicari. Quem locum ſic interpretatus eſt Pædianus. Cn. Pompeij ludos ſignificat, quibus theatrum à ſe factum dedicauit, quibus ludis elephantorum pugnam primus omnium dedit in circo.*

Eadem Epiſtola.

Fructum laboris ex his expecto. *Non affirmarim cuius culpa mendum hoc natum ſit: incuria certè commiſſum eſt, & pro* EXPECTO *Medicæus codex uetere ſcriptura ferè habet* EXPECTO *(quamuis hoc in loco* EXI-

SPECTO *mendoſè habeat) quemadmodum non multò pòſt* EXSOLVAM, *& in epiſtolis Q. Ciceronis ad M. Fratrem* EXSILVI *gaudio,& à me iampridẽ ex meo codice ſublatum erat, quemadmodum aliud etiam ſeptimo ab hoc uerſu: deleri enim debet uox illa* ID.

Eadem Epiſtola prope finem.

Vt noſtras villas obire,& mecum ſimul lecticula concurſare poſsis. *Ad Q. Fratrem Marium autem noſtrum in lecticam mehercule conieciſſem. Sed etiam quod hic Cicero inquit, Tu modo iſtam imbecillitatem ualetudinis tuæ. Eodem in loco ad Quintum idem traditur. Sed hominem infirmum in uillam apertam, ac ne rudem quidem etiam nunc, inuitare nolui.*

Lib 7. Epiſtola 5.

Lentulo & Marcello Coss. *Qui temporibus his per notas conſulibus ſcribunt, duobus* SS, *uti conſueuerunt, atque ita ſcribere Coſſ. quos nõ reprehendo: ſcio enim hunc morem ſcribendi ueterem eſſe. In ueteribus tamen codicibus, & in lapidibus priſcis, qui ſuperioribus ſeculis ſcripti ſint, Cos ſæpe legi. Medicæus codex hic Cos habet. Antiquus Florentiæ lapis eſt, in quo hoc nomen eodem pacto ſcriptum inuenitur:*

TI. CAESARE. TERT. GERMANICO
CAESARE ITER. COS.

Continet autem quædam quæ ad hiſtoriam pertinent, & ſanè cognitu indigna non ſunt. De quo eò libentius mentionem feci, quòd qui ea, quæ in lapidibus leguntur, in uolumen redegerunt, & Epigrammata antiquæ urbis inſcripſerunt, truncum illud, lacerũmque adpoſuere: in priuata autem domo parieti adfixum eſt, nõ longè à porta, quàm Diui Galli uulgò appellant. Quòd autem ita in multis lapi-

dibus

dibus ac uetuſtis libris ſcriptũ ſit, culpa fabrorum, librariorũmque factum eſt: nam ueram illam incorruptámque antiquitatem melius noſtri homines reddũt. ſi Quintiliano credimus, qui primo libro inquit: Et Conſules geminata eadem litera s s, *legimus. Quoniam autẽ ea quæ ſequuntur Quintiliani uerba mendum continent, non patiemur ipſum amplius hunc locum inquinare, præſertim, quum poßimus ſatis tutò (niſi fallor) illud delere. In cunctis codicibus legitur,* Et ſuburra cum tribus literis *notatur* B, *tertiam oſtendit: quum legi debeat,* C, *tertiam. Qui inquit doctißimus rhetor, per notas Suburra ſcribunt, cùm tribus primis literis totum nomen intelligi uelint, non* B, *tertiam, ſed* C, *ſcribunt. Quod ſanè mirum, cùm* C, *in hac uoce Suburra non ſit. Differit autem de illis, quæ ſcribuntur aliter, atque enunciantur.* Ita *autem, ut nos caſtigauimus, legi debere oſtendit doctißimus* Varro *lib.* v. *de lingua Latina ad Ciceronem: Sed ego à pago potius Succuſano dictam puto Succuſam: nunc ſcribitur tertia litera* C, *non* B. *Qui etiam huius rei rationẽ reddit, quòd antiquitus Succuſa appellata ſit: quamuis autem poſtea nomen uariatum eſſet; ratio tamen illud ſcribendi permanſerat.*

Libro 7. Epiſtola 5.

M. Orfium. *Nonnulli conantur oſtendere diuerſum hunc eſſe, de quo hic agit Cæſar, ab eo quem Cicero commendat Q. Fratri in epiſtola quæ eſt* 257. *potuit tamen fieri, ut domeſtici negotij cauſa ab exercitu diſceſſerit, & Romam uenerit, uel ab* Imp. *miſſus fuerit, cùm autem in Gallias rediret, epiſtolam ei dederit* M. *Cicero, qua illum fratri conciliaret: nam tunc primò eum ad Cæſarem profectum nõ eſſe, illud aperit, quod inquit de hoc ad fratrem ſcribens,* Eſt Trib. mil. in exercitu ueſtro. *Si enim tunc primum illum ad*

tiſſimum eſt. Inde autem quiſpiam ſuſpicari poſſet duas Medeas ſcripſiſſe Euripidem, ambáſque Ennium expreſſiſſe. in Græco poëta tituli illius ueſtigium nullum quemadmodum Iphigeniæ, de qua cum duas fabulas confeciſſet, nominibus quoque ipſas ſeparauit. Docti uiri totam hanc rem accuratè cogitabunt, ego ſcrupulum qui me diu ſollicitum habuit, alijs notum facere uolui.

Libro 7. Epiſt*ola* 9.

Propter eius occupationes. *Accuratè de hoc loco in noſtris explicationibus diſſeruimus. & quomodo legi poſſet non ineptè (ut arbitror) ex hiſtoria iudicauimus: quare nihil ad ea quæ tunc à me dicta ſunt addimus: defendemus tantum ipſa ab argumentis quæ contra ea à nonnullis excogitata ſunt. In duobus meis antiquiſſimis, & optimis codicibus (in quibus illius uocis nullum ueſtigium manet) nihil ſpatij relictum eſt, quo recipi aut illa, aut alia poſſit, quemadmodum illi in ſuis relictum eſſe narrãt.* Quod Græcam potius uocem deeſſe credunt, quàm Latinã, *id paruam, aut nullam uim habet: quaſi non ſæpe in ſcribẽdo dictio aliqua imprudentia prætermittatur, quemadmodum in optimis his etiam libris factum eſſe quãdoque oſtendimus. Græcas uoces Latini librarij ſcientes omittebant, ſermonis inſcitia: ſedem tamen illis, ac regionem, in qua collocari poſſent, relinquebant: quod hic factum non eſt, ut teſtimonio Medicæi codicis, & alterius, non multò deterioris, comprobauimus.* Addo etiam, *in* Latinis *autoribus quandoque uoces Græcas abundare, non ſolùm deeſſe: quod docuiſſe, ad id quod uolumus probandum accommodatum erit, & ſua ſponte etiam gratum eſſe debebit. Quintilianus libro primo:* Noto *quidem illo, ut traditur, uerſu ex Philocteta frequenter uſus*, Turpe *eſſe tacere, & Iſocratem pati dicere.*

dicere. Sic enim legi debet, non ut in omnibus impreſſis codicibus. Id autem & ratio docet, & uetera exemplaria confirmant. Verſus autem, qui importunè inculcatus erat, intelligi hic, non legi debet: interpretatur enim illum diligenter Quintilianus, quod non faceret, ſi in ſuo libro poſuiſſet. Eodem modo apud eundem autorem peccatum erat lib. VIII. *Sic autem legi debet, Neque aliò Platonis inuenta ſunt quatuor illa uerba, quibus in illo pulcherrimo operum in Piræeum deſcendiſſe ſignificat plurimis modis ſcripta. Voces enim illæ Græcæ* κατέβην χθὲς εἰς πειραιᾶ *intelligi debent, non adponi.*

Libro 7. Epiſtola 12.

Quod & Titus familiaris meus. *Diuerſa ab hac ſcriptura eſt in Mediceo codice: ita enim ibi legitur,* Quod Zeius familiaris meus. *Quare accuratè uidendum eſt, an* SEIVS *legi debeat, quod ſanè mihi non diſplicet: pro* S, *enim antiqui librarij, ac fabri* Z, *ſæpe ponebant, quod Romæ in multis lapidibus uiſitur, & à doctis, ac diligentibus uiris adnotatum eſt. Seius autem Ciceroni familiaris erat, quod intelligitur his uerbis ex Epiſto. ad Varronem* XXV. *Cœnabam apud Seium, cũ utrique noſtrum redditæ ſunt à te literæ. 166. Cognoſſes ex M. Seio arbitror, qui noſtro ſermoni interfuit. Quia hoc nomẽ crebro legum interpretes uſurpant, & Trebatius iuriſconſultus erat, ideo (ut opinor) aliqui, cum locum mendoſum putarent,* ET TITIO *repoſuerunt.*

Ibidem.

Formula fiduciæ vt inter bonos bene agier oportet. *Conſentiunt priſci, quos uidi, codices cum impreſſis. Et nobiliſſimus omnium Mediceus eandem, quam uulgati libri, lectionem ſeruat: alijs doctioribus quid facien-*

dum ſit, iudicandum relinquo: ipſe contra tot exemplariorum conſenſum nihil auſim ſtatuere.

Libro 7. Epiſtola 14.

Quam ſi ſcribere oblitus es. *Luſit in hoc uerbo Cicero eleganter: nam Scribere dicuntur iuriſconſulti, cùm clientibus ſuis ſcripto cauent. Cùm literas ad ſe nullas Trebatius mitteret, aperit Cicero quod incommodum ex ea re oriturum ſit, tranſit tamen ad alium minus communem huius uerbi ſignificatum. Minus multi iam te aduocato cauſa cadent, paucos habebis clientes, nec multi ſuas cauſas ad te deferent. In qua etiam re exponenda, carpit illum, ut malum aduocatum, & defenſorem cauſarum: quaſi omnes qui ad eum patronum confugerent, cauſas amitterent, nec ius ſuum tueri poſſent. Vtitur autem in ea etiam re narranda uocibus peculiaribus iuriſconſultorum. Vidi antiquum exemplar Topicorum, in quo locus ille ita ſcriptus eſſet: Etenim cùm tu mihi, meiſque, multa ſæpe ſcripſiſſes. cùm formis excuſi omnes* CAVISSES.

Libro 7. Epiſtola 18.

Quam hæc ſcribere. *Veráne ſit nonnullorum coniectura, alij iudicabunt: meliores certè libri, ac manu ſcripti ferè omnes à noſtris nihil diſcrepant. Ita quondam legebatur hic locus, ut non malus omnino ſenſus ex ea ſcriptura eliceretur, atque ille quidem ſatis planus,* Quam hæc non ſcribere. *ut dicat Cicero, ſe mirari, quid nam ibi ſcriptum ante fuerit, ut ſine culpa deleri poſſet, ut quæ ſcripſerat poſtea deponerentur. Solemus enim inſulſa, maláque delere, ut bona reponamus: nihil autem deterius iis, frigidiúſque eſſe poterat. Quare oſtendit, ſe non probare conſilium eius, & in hac re facetiſſimè ludit. Verumtamen optima exemplaria diſſentiunt, unum tamen ex multis*

quod

quod negantem illam particulam haberet ſtudio, ac diligentia amicorum inuentum eſt.

Ibidem.

Cum ad villam Metrilij Philemonis. *In cunctis antea impreßis ita legebatur: manu etiam ſcripti quos uidi, neque inter ſe, neque ab impreßis diſſentiunt. Scripſerunt tamen nonnulli, ſatis leui conicctura ducti,* M. Æmilij Philemonis. *quos, niſi aliquid certius inuenerim, non ſequar. Non mirum autem uideri debet, tenuis hominis, ac libertini mentionem alibi non reperiri.*

Epiſtolam tuam, quam accepimus ab L. Arruntio. *Ante hæc uerba titulus nullus eſt in manu ſcriptis codicibus, quod nos quoque ſeruauimus: nec noua epiſtola hæc eſt, ſed potius addita ſuperiori. Cùm enim iam literas ſcripſiſſet, diémque, quibus dari debebant, adpoſuiſſet, aliud in mentem redijt, quod prætermittere noluit, quemadmodum ſæpe in ſcribendo fit. Vnde apud nos quoque pars illa epiſtolæ nomen inde accepit, quòd poſt priora illa iam ſcripta confecta ſit. Ex indice, qui ante ſingulos libros in Medicæo exemplari eſt, hoc præclarè etiam intelligi poteſt cùm enim ſingulis epiſtolis tituli addantur, nulli leguntur ante uerba illa,* Epiſtolam tuam quam accepi. *Quia tamen nouum hoc erat principium literarũ poſt primum illud uerum initium, huius etiam membri primæ uoces adponuntur: ita enim ibi legitur.*

CICERO TREBATIO SAL.

ACCEPI A TE ALIQVOT EPISTOLAS

EPISTOLAM TVAM QVAM ACCEPI

AB L. ARRVNTIO.

Adde quòd dies aſcripta non eſt, quòd in fine ſuperioris epiſtolæ iam adpoſita erat.

lus in hendecaſyllabo ad Furium: Nec caſus alios periculorum. Totum autem carmen & elegans eſt, & ſummo artificio confectum: ludit enim Furium mendicum hominem, & qui omnibus bonis fortunæ carebat, quem tamen iocans fortunatum eſſe, ac beatum hominem oſtendit, cùm ea ipſe quoque haberet, quæ uitam beatam conſtituere exiſtimantur. Nam ualentem eſſe, bene concoquere, non metuere fures, non alia incommoda, quæ opulentos homines continuè angere, ac ſolicitare ſolent: omnibus denique huiuſcemodi malis carere, eſt fortunatum eſſe: & quibuſcunque hæc ſunt, illis benè, ac beatè eſt: ut poëta ipſe loquitur. Eſt autem captioſa oratio: quamuis enim beati homines ipſi quoque hæc, quæ uidentur commoda, habeant, non tamen neceſſariò, qui ea habent, ſtatim beati ſunt: nam qui nihil, quod amittant, habent, ij quoque non metuunt fures: & qui propter egeſtatem famem explere nequeunt, pulchrè cibum concoquunt, nec cruditate unquam laborant. Hæc fallax ratio concludendi ab Ariſtotele exagitata eſt, & uitium illius accuratè expoſitum in II. libro de arte dicendi, & in commentario, quem appellauit σοφιστικοὺς ἐλέγχους, ac tota denique res elegantiſſimis exemplis explicata. Latè autem patet hoc uitium, quemadmodum ipſe in Elenchis oſtendit, & multos hæc captio in fraudem inducere conſueuit. Nam in Rhetorice docet eum, qui cum Alexandrum Priami regis filium laudibus ornaret, argumentatus erat illum magnanimum eſſe, quòd ſpreta conſuetudine multorum, in Idæ montis ſolitudine degeret: hac captiuncula uſum eſſe: Quamuis enim magni animi uiri multitudinem fugiant, ac ſola deſertáque loca libenter frequentent: non tamen neceſſariò, quicunque in ſyluis, deſertiſque locis morantur, magnanimi ſunt. Inde autem error ducitur, quòd putant totam rem conuerti,

uerti, & ut Dialectici loquuntur, τὴν ἀκολούθησιν ἀντιστρέφειν, quod falſum eſt. Eadem ratio erat eius, qui exules beatos eſſe prædicabat, quòd poſſent ſedem, ac domicilia ſua ponere, ubicunque terrarum ipſis uiſum eſſet: quia (inquit Ariſt.) hæc illis, qui beati exiſtimantur, adſunt: omnes, quibus hæc adſunt beati uideri poſſunt. Si quis tamen acutè perſpexerit, intelliget, rem magnum diſcrimen habere: aliterque (ut in exemplo Catulliano permaneamus) mendicos non metuere fures, & aliter diuites: nam auget etiam uitam beatam, habere res ſuas ita clauſas, ac cuſtoditas, ut fur damnum afferre non poßit. Quare quum hæc captio appelletur παρὰ τὸ ἑπόμενον, deduci etiam poſſe Ariſtoteles adfirmat ad aliam, quæ παρ' ἔλλειψιν uocata eſt, quòd quædam deſiderentur nec ſermo plenus & abſolutus ſit.

Libro 6. Epiſtola 5.

Quare ad eam ſpem. *Nulla uarietas in Mediceo neque in alij bonis exemplaribus.*

Libro 6. Epiſtola 7.

Sed incitatum atque elatum. *Sic etiam in Mediceo legitur, quare hanc prorſus lectionem ſequendam cenſeo.*

Libro 6. Epiſtola 10.

Recuperaras fortunam. *Quia Mediceus* RECIPERAS *habet, ego olim ſcripſi* RECVPERAS, *quemadmodum tunc adnotaui. Alij* RECVPERES *malunt, res ſanè parui ponderis: ſed mea ut arbitror lectio uerior.*

Lib. 6. Epiſtola 18.

Cum ceterarum rerum cauſa. *Non reſpondet hæc Ciceronis epiſtola, quemadmodum ego exiſtimo, ſuperiori Bithynici: id autem, qui attentè ambas legerit, facilè animaduerteret. Scripſerat alias literas Bithynicus ad Ciceronem, quibus cupere ſe oſtenderat, cum eo uiuere. quæ aut poſtea*

poſtea periere, aut in hæc uolumina relatæ non ſunt.

Lib. 6. Epiſtola 19.

Simul accepi. *Ita ſanè in Medicæo libro hic legitur. ueruntamen quemadmodum poſtea animaduertimus, cùm indicem epiſtolarum huius libri conſuleremus, offendimus ſic ibi ſcriptum eſſe,* CICERO LEPTÆ. Simul atque accepi. *Quare ſtatim ita in meo codice emendaui: non quòd neſciam, (quod nonnulli me inſimulant)* SIMVL *etiam à bonis autoribus ſine* AC *aut* ATQVE *crebrò uſurpari: frequens enim id eſt apud poëtas, & pueri omnes ſciunt. Terent. etiam in Phormione inquit:* Hic ſimul *argentum reperit. Quin ipſe potius nonnullis exemplis allatis docui, alijs in locis ita Ciceronem locutum fuiſſe: ſed cùm ex maiore parte illi in uulgatis codicibus aliter legerentur, nolui uideri parum firmis uti teſtibus. Multa ſunt autem quæ conceduntur poëtis, quibus qui ſoluta oratione ſcribant, abſtinent.*

Ibidem.

Cum qui hodie aruſpicinam facerent in Senatu Romæ legerentur. *Iocus (niſi fallor) in Cæſarem, qui in eum ordinem indigniſſimos legerat: ſuppleuit enim ille Senatum, nam multi ciuilibus bellis Senatores defecerant.*

Libro 6. Epiſtola 20.

Munerum regiorum. *Sciebam ſanè nonnullos* REGIONVM *in ſuo codice ſcripſiſſe, contra impreſſorum, & meliorum omnium codicum fidem: in quo quòd illos imitarer non fuit: Hiſtoriam huius loci in meis caſtigationibus explicaui, quod prætermiſi ut planum, ac notum omnibus. Cur regia appellaret munera, paucis exponam. quæ Cæſar dictator daret quem regem uocat multis in locis (ut*

etiam regiam domum eius: Te planè uiſum in regia non reprehendo, & reginam uxorem) quòd regiam Romæ poteſtatem haberet, & cuncta pro arbitrio ſuo adminiſtraret. Cùm ſexcenta alia exempla huius nominis afferre poſſem, uno contentus ero, quod huic rei docendæ mirificè accommodatum eſt: agitur enim in eo quoque de curatione ludorum, etſi ludi fuerint, quos curauerat Matius ab his, quos Lepta curare cupiebat. In epiſtola ad Matium 170. Sed te hominem doctiſsimum non fugit, ſi Cæſar rex fuerit, quod mihi quidem uidetur: & quæ ſequuntur: Quamuis autem munera per ſingulas urbis regiones Cæſar ediderit, nemo unquam munera regionum illa appellaret, niſi omnia me fallunt. Vocaſſe autem regem quandoque Ciceronem, quem Græci τύραννον dicunt, perſpicuum eſt: unde libet locum in Oratione prima contra Catilinam emendare: Si in hunc animaduertiſſem, crudeliter, non egregiè factum eſſe dicerent. Legendum enim eſt, ET REGIE, *id eſt,* τυραννικῶς. *Hanc ſcripturam, ſua ſponte planam, confirmat autoritas optimi codicis: uidi enim librum literis Longobardis exaratum, qui continebat hiſtoriam Salluſtij, & quædam Ciceronis, in quibus erant orationes hæ in L. Catilinam, in quibus ita legebatur.*

Eadem Epiſtola.

In quo ſit ſpecies. *Si rem ſemel, de qua hic agit, nonnulli intelligere uoluiſſent (poterant autem ex epiſtolis ad Attic. omnia accipere: his enim quæ à me pro huius loci declaratione ſcripta ſunt, fortaſſe parum fidebant) non tam multa peccaſſent, & ueterem lectionem, quæ in Medicæo eſt, à me reſtitutam, ueriorem eſſe cognoſſent. Sententia huius loci, & uis illius nominis, copiosè à me in meis caſtigationibus explicata eſt: addam tamen huius nominis eodem ſi*

dem ſignificatu exemplum, è primo de Oratore ad Qu. Fratrem: Et quanquam in utroque noſtrum ſummum eſſe ingenium, ſtudiúmque perſpexi: tamen hæc quæ ſunt in ſpecie poſita, &c. Sed magis adhuc ſimile huic loco eſt illud in L. Piſonem: At fuit pompa, fuit ſpecies, fuit inceſſus. nam locus ille ad Att. non parum lucis rei, de qua hic agit, adfert 304. *Balbum conueni: Lepta enim de ſuaui in curatione laborans, me ad eum perduxerat.*

Lib. 6. Epiſtola 21.

Te iſtinc poſſe proficiſci. *Hic potiſſimum olim adnotauimus, in antiquis codicibus* ISTIM *pro* ISTINC *legi, citauimúſque multorum locorum teſtimonia, plura etiam nunc afferre poſſemus: nam dum accuratè uerſamus priſca exemplaria, in hanc uocem crebro incidimus, uel potius raro aliter ſcriptam animaduertimus. Addimus nunc ad ea* ILLIM *quoque pro* ILLINC *nos ſæpe poſitum in iiſdem libris animaduertiſſe: nam libro* VII. *ad Att. in optimo illo ſic legitur: Iſta magis expecto, quid illim afferatur. Accurate igitur conſiderandum, an huius animaduerſionis auxilio locus Ciceronis in epiſtola ad Brutum emendari poſſit, ſiue ita aduerbium hoc pronuntiare, ac ſcribere ueteres ſoliti ſint, ſiue frequenter in eo exſcribendo ab antiquis librarijs, & eodem ſemper modo peccaretur, quod uix puto. Verba Ciceronis ſunt à Quintiliano adducta libro* V. *Veritus fortaſſe, ne nos in Catonem noſtrum transferremus illi mali quid eſt, etſi argumentum ſimile non erat. Arbitror igitur legendum*, transferremus illim aliquid, etſi argumentum &c. *ut ſit* ILLIM *pro* ILLINC, *nam in manuſcriptis nonnullis* EST, *non uidi: quo facilius hic locus nunc corruptiſſmus ita reſtitui poteſt: totam tamen rem arbitrio doctiorum permittimus.*

Anim

Animaduertimus poſtea Germanos in ſuo Quintilia- no, quem multis locis caſtigatum ediderunt, hunc etiam lo- cum reſtituere conatos eſſe: nam ita ſcripſerunt, Tranſ- ferremus illinc mali quid: & ſi &c. *nam quod* EST *ſuſtulerunt, quódque* ILLINC *deſiderari in hac ſententia iudicarunt, nobiſcum faciunt: non tamen ex reliquis dua- bus uocibus* ALIQVID *componere, quod non minus deſiderari uidebatur, potuerunt*

E' libro ad Marium, Epiſtola 1.

Et patefeciſti Seianum. *Quæ ſcriptura eſſet in Me- diceo, olim expoſuimus: quamuis autem multi multa di- cant, à recepta lectione diſcedendum non puto, niſi aliquid firmius, ueritúſque reperiatur. Exiſtimaui ſemper nomina eſſe locorum: nam de Stabijs dubitari non poteſt. Columel- la etiam in hortulo mentionem illarum facit.*

Fontibus & Stabiæ celebres.

De Seiano obſcurius eſt: poteſt tamen oppidi ignobilis, uel montis nomen eſſe, à quo etiam Seianus ille fortaſſe uo- catus ſit, qui tantam potentiam apud Tiberium Imp. con- ſecutus eſt. nihil tamen nedum certi, quod ſine culpa temeri tatis affirmari poſſit: nam ille Seianus à Seio poſſeſſore appellatus eſt. Qui autem SCENAM *putant legi debere, meo iudicio falluntur, quod facilè intelliget, qui* σκοπὸν *Ci ceronis huius epiſtolæ ſcribendæ acutè ſpectabit.*

Eadem Epiſtola.

Homini eſſe polito. *Mediceus liber, & Petrar- chæ manu (ut putant) ſcriptus hanc lectionem retinent, quæ non uideo cur reijci debeat: eſt enim elegans, & huic loco ualdè accommodata. tantæ autem hi apud me autoritatis ſunt, &, niſi fallor, apud alios propter fidelitatem erunt, ut teſtimonio duorum illorum magis credam, quàm reliquorum omnium*

omnium. 11. *etiam de Orat.* 194. *Cicero hac uoce uſus eſt: uel quòd ipſum oratorem politum eſſe hominem ſignificat, quòd eruditum, quòd urbanum. Græci, ut opinor, huiuſcemodi homines* χαρίεντας *appellant: Ariſt. libro primo de uita & moribus, ubi de uita beata diſſerit, inquit:* τὴν γὰρ εὐδαιμονίαν καὶ οἱ πόλλοὶ καὶ οἱ χαρίεντες λέγουσι. *& non multò pòſt iterum.*

Ibidem.

Extremus elephantorum dies fuit. Dion *libro* 39. *magnificentiam, & apparatum horum ludorum copioſiſsime narrauit: multáque de elephantis, & de miſericordia, quæ in animis uulgi exorta eſt, diſputauit.* Quod *autem Cicero inquit, uenationes binæ per dies quinque.* Dion *tradit: quingentos leones quinque diebus ferro abſumptos eſſe. Sed quia hiſtoricus ille rarus inuentu eſt, magnam partem eius loci hic adponamus:* κἂν ταῖς αὐταῖς ἡμέραις ὁ πομπήϊος τὸ θέατρον ᾧ νῦν λαμπρυνόμεθα καθιέρωσε καὶ ἔντε ἐκείνῳ θέαν καὶ μουσικῆς καὶ ἀγῶνος γυμνικοῦ κἀντῷ ὑποδρόμῳ καὶ ἵππων ἅμιλλαν, καὶ θηρίων πολλῶν καὶ παντοδαπῶν σφαγάς ἐποίησεν: λέοντες γὰρ πεντακόσιοι ἐν πέντε ἡμέραις ἀναλώθησαν καὶ ἐλέφαντες ὀκτὼ καὶ δέκα πρὸς ὁπλίτας ἐμαχέσαντο καὶ αὐτῶν οἱ μεν παραχρῆμα ἀπέθανον: οἱ δὲ οὐ πολλῷ ὕστερον, ἠλεήθησαν γάρ τινες ὑπὸ τοῦ δήμου παρὰ τὴν τοῦ πομπηΐου γνώμην, ἐπειδὴ τραυματισθέντες τῆς μάχης ἐπαύσαντο καὶ περιϊόντες τάς τε προβοσκίδας ἐς τὸν οὐρανὸν, ἀνέτεινον καὶ ὠλοφύροντο οὕτως, ὥστε καὶ λόγον παρασχεῖν ὅτι οὐκ ἄλλως ἐκ συντυχίας αὐτὸ ἐποίησαν. ἀλλὰ τοὺς τε ὅρκους οἷς πιστεύσαντες ἐκ τῆς λιβύης ἐπεπεραίωντο ἐπιβοώμενοι καὶ τὸ δαιμόνιον πρὸς τιμωρείαν σφῶν ἐπικαλούμενοι, λέγεται γὰρ ὅτι οὐ πρότερον τῶν νεῶν ἐπέβησαν πρὶν πίστιν

παρὰ

παρὰ τῶν ἀγόντων λαβεῖν ἔνορκον σφᾶς ἦ μὴν μηδὲν κακὸν πείσεσθαι.

Ibidem.

His ego tamen diebus, ludis ſcenicis ne fortè. *Nullam uarietatem inueni in priſcis codicibus, quid tamen repente dum hæc ſcriberem in mentem uenerit, libet exponere: lectores ipſi, an penitus explodendum ſit, iudicabunt. Vereor ne duæ illæ dictiones* LVDIS SCENICIS *uacent, & Ciceronis non ſint, ſed declaratio quondam fuerit prioris illius partis, quæ poſtea ab imperitis librarijs temerè huc inculcata ſit, neq; Ciceroni ad Marium ſcribenti id ſignificare neceſſe erat: non enim ille ignorare poterat qui illi dies eſſent. Verum quemadmodum diximus, tenuis hæc ſuſpicio, nec aliquid immutādum niſi ita doctioribus uiſum fuerit cenſeo: potuit enim hoc addere, adhuc magis ſignificare uolens infelicem conditionem ſuam: qui dum alij ludis oblectarentur, & à curis ſollicitudinibúſque animum reficerent, in rebus moleſtis, odioſisq; implicatus eſſet. Mentionem fecit horum ludorum Cicero in oratione contra L. Piſonem. Inſtant poſt hominum memoriam apparatißimi, magnificentißimique ludi: quales non modo nunquam fuerunt, ſed ne quomodo fieri quidem poſthac poßint, poſſum ullo pacto ſuſpicari. Quem locum ſic interpretatus eſt Pædianus. Cn. Pompeij ludos ſignificat, quibus theatrum à ſe factum dedicauit, quibus ludis elephantorum pugnam primus omnium dedit in circo.*

Eadem Epiſtola.

Fructum laboris ex his expecto. *Non affirmarim cuius culpa mendum hoc natum ſit: incuria certè commiſſum eſt, & pro* EXPECTO *Medicæus codex uetere ſcriptura ferè habet* EXPECTO *(quamuis hoc in loco* EXI-

SPECTO *mendoſè habeat) quemadmodum non multò pòſt* EXSOLVAM, *& in epiſtolis Q. Ciceronis ad M. Fratrem* EXSILVI *gaudio, & à me iampridē ex meo codice ſublatum erat, quemadmodum aliud etiam ſeptimo ab hoc uerſu: deleri enim debet uox illa* ID.

Eadem Epiſtola prope finem.

Vt noſtras villas obire, & mecum ſimul lecticula concurſare poſsis. *Ad Q. Fratrem Marium autem noſtrum in lecticam mehercule conieciſſem. Sed etiam quod hic Cicero inquit, Tu modo iſtam imbecillitatem ualetudinis tuæ. Eodem in loco ad Quintum idem traditur. Sed hominem infirmum in uillam apertam, ac ne rudem quidem etiam nunc, inuitare nolui.*

Lib 7. Epiſtola 5.

Lentulo & Marcello Coſs. *Qui temporibus his per notas conſulibus ſcribunt, duobus* SS, *uti conſueuerunt, atque ita ſcribere Coß. quos nō reprehendo: ſcio enim hunc morem ſcribendi ueterem eſſe. In ueteribus tamen codicibus, & in lapidibus priſcis, qui ſuperioribus ſeculis ſcripti ſint, Cos ſæpe legi. Medicæus codex hic Cos habet. Antiquus Florentiæ lapis eſt, in quo hoc nomen eodem pacto ſcriptum inuenitur:*

TI. CAESARE. TERT. GERMANICO
CAESARE ITER. COS.

Continet autem quædam quæ ad hiſtoriam pertinent, & ſanè cognitu indigna non ſunt. De quo eò libentius mentionem feci, quòd qui ea, quæ in lapidibus leguntur, in uolumen redegerunt, & Epigrammata antiquæ urbis inſcripſerunt, truncum illud, lacerúmque adpoſuere: in priuata autem domo parieti adfixum eſt, nō longè à porta, quàm Diui Galli uulgò appellant. Quòd autem ita in multis lapidibus

dibus ac uetuſtis libris ſcriptũ ſit, culpa fabrorum, librariorũmque factum eſt: nam ueram illam incorruptámque antiquitatem melius noſtri homines reddũt: ſi Quintiliano credimus, qui primo libro inquit: Et Conſules geminata eadem litera s s, legimus. Quoniam autẽ ea quæ ſequuntur Quintiliani uerba mendum continent, non patiemur ipſum amplius hunc locum inquinare, præſertim, quum poßimus ſatis tutò (niſi fallor) illud delere. In cunctis codicibus legitur, Et ſuburra cum tribus literis notatur B*, tertiam oſtendit: quum legi debeat,* C*, tertiam. Qui inquit doctißimus rhetor, per notas Suburra ſcribunt, cùm tribus primis literis totum nomen intelligi uelint, non* B*, tertiam, ſed* C*, ſcribunt. Quodſanè mirum, cùm* C*, in hac uoce Suburra non ſit. Differit autem de illis, quæ ſcribuntur aliter, atque enunciantur. Ita autem, ut nos caſtigauimus, legi debere oſtendit doctißimus Varro lib. v. de lingua Latina ad Ciceronem: Sed ego à pago potius Succuſano dictam puto Succuſam: nunc ſcribitur tertia litera* C*, non* B*. Qui etiam huius rei rationẽ reddit, quòd antiquitus Succuſa appellata ſit: quamuis autem poſtea nomen uariatum eſſet, ratio tamen illud ſcribendi permanſerat.*

Libro 7. Epiſtola 5.

M. Orfium. *Nonnulli conantur oſtendere diuerſum hunc eſſe, de quo hic agit Cæſar, ab eo quem Cicero commendat Q. Fratri in epiſtola quæ eſt 257. potuit tamen fieri, ut domeſtici negotij cauſa ab exercitu diſceſſerit, & Romam uenerit, uel ab Imp. miſſus fuerit, cùm autem in Gallias rediret, epiſtolam ei dederit M. Cicero, qua illum fratri conciliaret: nam tunc primò eum ad Cæſarem profectum nõ eſſe, illud aperit, quod inquit de hoc ad fratrem ſcribens, Eſt Trib. mil. in exercitu ueſtro. Si enim tunc primum illum ad*

Cæſarem miſiſſet, ita locutus non eſſet, nec affirmaſſet eum Trib. *eſſe: neſciebat enim an id à* Cæſare *impetraturus eſſet.* Orſium *autem ipſum literas Ciceronis ad Cæſarem attuliſſe, quæ peterent ab eo, ut ipſum* Trib. *mil. faceret, Cæſaris uerbis intelligitur.*

Ibidem.

Leptæ delega. *Vereor ſanè ne in his uerbis mendum ſit, nihil tamen auſim immutare: alij uulgatæ lectionis ueſtigijs hærentes, hunc locum emendare conantur, quod prorſus faciendum non fuit: uerisſimile enim eſt, in uetere ſcriptura minorem (ſi ulla eſt) labem eſſe: peritiores hoc diligenter conſiderabunt. Ad Atticum Cicero eundẽ modum loquendi uſurpauit qui hic eſt in priſcis exemplaribus. Quinto delegabo, ſi quid æri meo ſuperabit, & emptionibus. Sed etiã alijs in locis. Quare uidendum eſt an omnis obſcuritas naſcatur ex rei ipſius ignoratione. Quòd ſi hiſtoriã illius negotij teneremus, omnia plana eſſent, & in uerbis nullam maculam eſſe intelligeretur.*

Ibidem.

Quod familiam ducit. *Hunc locum antea mendoſisſimum caſtigauimus, elegantisſimum modum loquendi, pluribus Ciceronis exemplis adductis, explanauimus. Accuſant tamen nonnulli, quòd exiſtimarim, Ciceronem dixiſſe, Trebatium ipſum ducere familiam: intelligique uolunt (quod non reprehendo) inter alias Trebatij laudes hoc bonum, quòd legum ſcientiam habeat, & in iure ciuili ſingulari memoria ſit præſtare omnibus alijs ipſius bonis. Scio Ciceronem* μεταφορικῶς *alijs in locis hoc modo dicendi uſum eſſe, ut in* IIII. *de Finibus (qui locus à me olim adductus eſt) cum inquit: Sed primum illud uide, grauisſimam illam noſtram ſententiam, quæ familiam ducit, &c.*

Libro 7. Epiſtola 6.

Et quum Medeã agere cœpi, illud ſemper memento, Qui ipſe ſibi ſapiens prodeſſe non quit, nequicquam ſapit. *Ita loquitur Cicero, ut apertè oſtendat, hæc uerba è Medea fabula ſumpta eſſe: uerſiculum autem Græcum, unde expreſſa ſunt, poſuit in epiſtola ad C. Cæſarem, qua commendauit Precilium, & illum Euripidis eſſe docet. Itaque ab Homeri magniloquentia confero me ad uera præcepta* ἐυριπίδου. μισῶ σοφιςὴν ὅςις οὐκ αὐτῷ σοφός. *Eundem etiam Plutarchus in commentario, quo diſſeruit ſi honeſtè utilitérque pronuntiatum eſt* τὸ λάθε βιώσας. *nec tamen in Græcá Euripidis Medea hic ſenarius inuenitur: quomodo hic nodus diſſolui poßit, fatcor me ignorare. Nonius Marcellus cùm Ennij teſtimonium è Medea adduceret, fabulæ illius nomen,* MEDEA EXVL, *eſſe uoluit, atq; id duobus in locis, in eliminare ſemper: ſic enim eum locum aliquantulum deformatum legendum arbitrantur. Ennius Medea exule,*

Antiqua herilis fida cuſtos corporis
Quid ſic ante ædes exanimata eliminas?

Quin autem intelligat Medeam fabulam, quam hodie habemus, Euripidis, dubium eſſe non poteſt: nam ſententia illa ex his uerſibus, qui à cuſtode liberorum Medeæ cum eiuſdem nutrice loquente pronuntiantur, accepta eſt.

Παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσποίνης ἐμῆς.
Τὶ πρὸς πύλαισι ταῖς δ' ἄγουσ' ἐρημίαν;
Εςηκας. αὐτὴ θρεομένη σαυτῇ. κακά.

Tertio adhuc loco in CERNERE *Nonius Medeã exulem, hanc fabulam uocat. Ennius Medea exule,*

Nam ter ſub armis malim uitam cernere.

Eſſe autem hanc ſententiam in Græca, quam habemus, no-

uetere ſcriptura elicere potui, nam per ſe etiam uox illa N V N Q V A'M *hoc in loco mihi parum probatur: etſi con iecturam noſtram non contemnendam putamus, qui olim particulam* Q V I *ſuperuacaneam iudicauimus, eámq; ſuſtulimus,* N O N *autem retinuimus.* Nunc tamen *ut unuſquiſque quid ſui conſilij ſit ſequi poßit, antiquam ſcripturam omnibus propoſuimus.*

Eadem epiſtola.

In pecunia exacta ita efferre. *Ita nos quo que olim ſcribi uolebamus ex melioribus codicibus, in quo tamen una in litera noſtri librarij peccarunt: priſca certè ſcriptura hæc eſt,* In pecuniæ exactæ ita efferre. *ut facilè inde hæc lectio concinnari poßit: rectum tamen eſſe iudicauimus, in re obſcura lectori omnia indicare.*

Lib.5. Epiſtola 20.

Ita mihi omnia. *Medicæus liber, & alij ueteres,* COMMVNIA OMNIA: *In quibus uerbis uitium ineſſe manifeſtum eſt: quomodo illud emendari poſſe arbitrati ſimus, ſpectari poteſt: & fortaſſe non inelegantius, quàm alij qui caſtigarunt,* COMMODA OMNIA: *magna enim uis eſt illorum uerborum,* Ita mihi omnia, quæ opto, contingant. *Cupimus enim ſæpe, precamurque à Dijs immortalibus non nobis tantùm commoda, ſed amicis etiam & alijs qui nobis cari ſunt: nõ paruámq; ex ea re, ſi impetramus, uoluptatẽ capimus.* Honeſtius *enim eſt amicis, ſuiſq; commoda quàm ſibi ipſi optare. Hæc ratio fecit, & alia etiam argumenta, ut priorem uocem deleremus: arbitramur enim cum* O M N I A *ſcribere uellet perperam librarium* C O M M V N I A *ſcripſiſſe: cúmque erratum ſuum cognouiſſet,* O M N I A *poſtea ſcripſiſſe, nec priorem uocem inducere curaſſe, quod multis locis facit.*

Libro

Libro 5. Epiſtola 20.

Vt enim cum eſſet. *Hæc eſt Medicæi codicis, & aliorum etiam ueterum lectio, quam tamen nonnulli damnant qui olim & ipſi eam ualde amauerant, etſi ut omnia componerent, infra ſuo ex ingenio lectionem mutauerant. Quam reſtituerunt lectionem nullo modo probo: neque hoc facio concertationis ſtudio, ſed quòd ita uerum eſſe exiſtimo. ſi quis acutè perſpiciet, ſi* ETENIM *(quemadmodum illi uolunt) legatur, uidebit multo minus uerba inter ſe cohærere, quàm ſi priſca lectio conſeruetur. Quare peccaſſe nobis non uidemur, qui ſi aliquis error eſt, una cum antiquis libris peccare uoluimus. Potius animaduertendum eſt, an ſit è genere eorum, quæ ſpeciem ſolœciſmi habere uidentur, de quibus nos alijs in locis locuti accuratè ſumus, & Paulus etiam in eo quod ſequitur ſcholio agit.*

È libro ad A. Torquatum, Epiſtola 2.

Ita enim viuere vt non ſit viuendum. *Manuſcripti codices,* vt tum ſit viuendum, *habent: quantum autem intelligo, ex utraque lectione idoneus ſenſus elicitur: ex recepta, ut opinor, hic: Viuere amiſſa dignitate miſerrimum eſt: docti enim & graues uiri rectum non eſſe iudicabant uiuere illi, qui dignitatem perdidiſſet. Quod etiam uetere prouerbio declarabatur, quo Cicero ipſe uſus eſt in epiſtola tertia ad Marium, Vbi non ſis qui fueris, non eſſe cur uelis uiuere. ex antiqua uerò hic: Viuere ut uiuendum tum eſſet ſi Cæſar aut Pompeiani Rempubl. oppreſſerint. quod omnino euenturum Cicero arbitrabatur miſerrimum. Eam unuſquiſque lectionem ſequatur quam ueriorem putat.*

Libro 6. Epiſtola 4.

Ad omnes caſus ſubitorum periculorum. *Sic etiam locutus eſt doctiſſimus, & politiſſimus poëta Catul-*

uerti, & ut Dialectici loquuntur, τὴν ἀκολούθησιν ἀντιστρέφειν, quod falſum eſt. Eadem ratio erat eius, qui exules beatos eſſe prædicabat, quòd poſſent ſedem, ac domicilia ſua ponere, ubicunque terrarum ipſis uiſum eſſet: quia (inquit Ariſt.) hæc illis, qui beati exiſtimantur, adſunt: omnes, quibus hæc adſunt beati uideri poſſunt. Si quis tamen acutè perſpexerit, intelliget, rem magnum diſcrimen habere: aliterque (ut in exemplo Catulliano permaneamus) mendicos non metuere fures, & aliter diuites: nam auget etiam uitam beatam, habere res ſuas ita clauſas, ac cuſtoditas, ut fur damnum afferre non poßit. Quare quum hæc captio appelletur παρὰ τὸ ἑπόμενον, deduci etiam poſſe Ariſtoteles adfirmat ad aliam, quæ παρ' ἔλλειψιν uocata eſt, quòd quædam deſiderentur nec ſermo plenus & abſolutus ſit.

Libro 6. Epiſtola 5.

Quare ad eam ſpem. *Nulla uarietas in Mediceo neque in alij bonis exemplaribus.*

Libro 6. Epiſtola 7.

Sed incitatum atque elatum. *Sic etiam in Mediceo legitur, quare hanc prorſus lectionem ſequendam cenſeo.*

Libro 6. Epiſtola 10.

Recuperaras fortunam. *Quia Mediceus* RECIPERAS *habet, ego olim ſcripſi* RECVPERAS, *quemadmodum tunc adnotaui. Alij* RECVPERES *malunt, res ſanè parui ponderis: ſed mea ut arbitror lectio uerior.*

Lib. 6. Epiſtola 13.

Cum ceterarum rerum cauſa. *Non reſpondet hæc Ciceronis epiſtola, quemadmodum ego exiſtimo, ſuperiori Bithynici: id autem, qui attentè ambas legerit, facilè animaduerteret. Scripſerat alias literas Bithynicus ad Ciceronem, quibus cupere ſe oſtenderat, cum eo uiuere. quæ aut*

poſtea

etiam regiam domum eius: Te planè uiſum in regia non reprehendo, & reginam uxorem) quòd regiam Romæ poteſtatem haberet, & cuncta pro arbitrio ſuo adminiſtraret. Cùm ſexcenta alia exempla huius nominis afferre poſſem, uno contentus ero, quod huic rei docendæ mirificè accommodatum eſt: agitur enim in eo quoque de curatione ludorum, etſi ludi fuerint, quos curauerat Matius ab his, quos Lepta curare cupiebat. In epiſtola ad Matium 170. Sed te hominem doctiſsimum non fugit, ſi Cæſar rex fuerit, quod mihi quidem uidetur: & quæ ſequuntur: Quamuis autem munera per ſingulas urbis regiones Cæſar ediderit, nemo unquam munera regionum illa appellaret, niſi omnia me fallunt. Vocaſſe autem regem quandoque Ciceronem, quem Græci τύραννον dicunt, perſpicuum eſt: unde libet locum in Oratione prima contra Catilinam emendare: Si in hunc animaduertiſſem, crudeliter, non egregiè factum eſſe dicerent. Legendum enim eſt, ET REGIE, *id eſt,* τυραννικῶς. *Hanc ſcripturam, ſua ſponte planam, confirmat autoritas optimi codicis: uidi enim librum literis Longobardis exaratum, qui continebat hiſtoriam Salluſtij, & quædam Ciceronis, in quibus erant orationes hæ in L. Catilinam, in quibus ita legebatur.*

Eadem Epiſtola.

In quo ſit ſpecies. *Si rem ſemel, de qua hic agit, nonnulli intelligere uoluiſſent (poterant autem ex epiſtolis ad Attic. omnia accipere: his enim quæ à me pro huius loci declaratione ſcripta ſunt, fortaſſe parum fidebant) non tam multa peccaſſent, & ueterem lectionem, quæ in Medicæo eſt, à me reſtitutam, ueriorem eſſe cognoſſent. Sententia huius loci, & uis illius nominis, copiosè à me in meis caſtigationibus explicata eſt: addam tamen huius nominis eodem ſi*

dem ſignificatu exemplum, è primo de Oratore ad Qu. Fratrem: Et quanquam in utroque noſtrum ſummum eſſe ingenium, ſtudiúmque perſpexi: tamen hæc quæ ſunt in ſpecie poſita, &c. Sed magis adhuc ſimile huic loco eſt illud in L. Piſonem: At fuit pompa, fuit ſpecies, fuit inceſſus. nam locus ille ad Att. non parum lucis rei, de qua hic agit, adfert 304. *Balbum conueni: Lepta enim de ſuaui in curatione laborans, me ad eum perduxerat.*

Lib. 6. *Epiſtola* 21.

Te iſtinc poſſe proficiſci. *Hic potiſsimum olim adnotauimus, in antiquis codicibus* ISTIM *pro* ISTINC *legi, citauimúſque multorum locorum teſtimonia, plura etiam nunc afferre poſſemus: nam dum accuratè uerſamus priſca exemplaria, in hanc uocem crebro incidimus, uel potius raro aliter ſcriptam animaduertimus. Addimus nunc ad ea* ILLIM *quoque pro* ILLINC *nos ſæpe poſitum in iiſdem libris animaduertiſſe: nam libro* VII. *ad Att. in optimo illo ſic legitur: Iſta magis expecto, quid illim afferatur. Accurate igitur conſiderandum, an huius animaduerſionis auxilio locus Ciceronis in epiſtola ad Brutum emendari poßit, ſiue ita aduerbium hoc pronuntiare, ac ſcribere ueteres ſoliti ſint, ſiue frequenter in eo exſcribendo ab antiquis librarijs, & eodem ſemper modo peccaretur, quod uix puto. Verba Ciceronis ſunt à Quintiliano adducta libro* V. *Veritus fortaſſe, ne nos in Catonem noſtrum transferremus illi mali quid eſt, etſi argumentum ſimile non erat. Arbitror igitur legendum*, transferremus illim aliquid, etſi argumentum &c. *ut ſit* ILLIM *pro* ILLINC, *nam in manuſcriptis nonnullis* EST, *non uidi: quo facilius hic locus nunc corruptißmus ita reſtitui poteſt: totam tamen rem arbitrio doctiorum permittimus.*

Anim

Animaduertimus poſtea Germanos in ſuo Quintilia-no, quem multis locis caſtigatum ediderunt, hunc etiam lo-cum reſtituere conatos eſſe: nam ita ſcripſerunt, Tranſ-ferremus illinc mali quid: & ſi &c. *nam quod* EST *ſuſtulerunt, quódque* ILLINC *deſiderari in hac ſententia iudicarunt, nobiſcum faciunt: non tamen ex reliquis dua-bus uocibus* ALIQVID *componere, quod non minus deſiderari uidebatur, potuerunt*

E' libro ad Marium, Epiſtola 1.

Et patefeciſti Seianum. *Quæ ſcriptura eſſet in Me-diceo, olim expoſuimus: quamuis autem multi multa di-cant, à recepta lectione diſcedendum non puto, niſi aliquid firmius, ueritúſque reperiatur. Exiſtimaui ſemper nomina eſſe locorum: nam de Stabijs dubitari non poteſt. Columel-la etiam in hortulo mentionem illarum facit.*

Fontibus & Stabiæ celebres.

De Seiano obſcurius eſt: poteſt tamen oppidi ignobilis, uel montis nomen eſſe, à quo etiam Seianus ille fortaſſe uo-catus ſit, qui tantam potentiam apud Tiberium Imp. con-ſecutus eſt. nihil tamen nedum certi, quod ſine culpa temeri tatis affirmari poſſit: nam ille Seianus à Seio poſſeſſore appellatus eſt. Qui autem SCENAM *putant legi debere, meo iudicio falluntur, quod facilè intelliget, qui* σκοπὸν *Ci ceronis huius epiſtolæ ſcribendæ acutè ſpectabit.*

Eadem Epiſtola.

Homini eſſe polito. *Mediceus liber, & Petrar-chæ manu (ut putant) ſcriptus hanc lectionem retinent, quæ non uideo cur reijci debeat: eſt enim elegans, & huic loco ualdè accommodata. tantæ autem hi apud me autoritatis ſunt, &, niſi fallor, apud alios propter fidelitatem erunt, ut teſtimonio duorum illorum magis credam, quàm reliquorum*

omnium

omnium. 11. *etiam de Orat.* 194. *Cicero hac uoce uſus eſt: uel quòd ipſum oratorem politum eſſe hominem ſignificat, quòd eruditum, quòd urbanum. Græci, ut opinor, huiuſcemodi homines* χαρίεντας *appellant: Ariſt. libro primo de uita & moribus, ubi de uita beata diſſerit, inquit:* τὴν γὰρ εὐδαιμονίαν καὶ οἱ πολλοὶ καὶ οἱ χαρίεντες λέγουσι. *& non multò pòſt iterum.*

Ibidem.

Extremus elephantorum dies fuit. Dion *libro* 39. *magnificentiam, & apparatum horum ludorum copioſiſsime narrauit: multáque de elephantis, & de miſericordia, quæ in animis uulgi exorta eſt, diſputauit.* Quod au*tem Cicero inquit, uenationes binæ per dies quinque.* Dion *tradit: quingentos leones quinque diebus ferro abſumptos eſſe.* Sed *quia hiſtoricus ille rarus inuentu eſt, magnam partem eius loci hic adponamus:* κἂν ταῖς αὐταῖς ἡμέραις ὁ πομπήϊος τὸ θέατρον ᾧ νῦν λαμπρυνόμεθα καθιέρωσε καὶ ἐν τε ἐκείνῳ θέαν καὶ μουσικῆς καὶ ἀγῶνος γυμνικοῦ κἀν τῷ ὑποδρόμῳ καὶ ἵππων ἅμιλλαν, καὶ θηρίων πολλῶν καὶ παντοδαπῶν σφαγάς ἐποίησεν: λέοντες γὰρ πεντακόσιοι ἐν πέντε ἡμέραις ἀνηλώθησαν καὶ ἐλέφαντες ὀκτὼ καὶ δέκα πρὸς ὁπλίτας ἐμαχέσαντο καὶ αὐτῶν οἱ μεν παραχρῆμα ἀπέθανον: οἱ δὲ οὐ πολλῷ ὕστερον, ἠλεήθησαν γάρ τινες ὑπὸ τοῦ δήμου παρὰ τὴν τοῦ πομπηΐου γνώμην, ἐπειδὴ τραυματισθέντες τῆς μάχης ἐπαύσαντο καὶ περιϊόντες τάς τε προβοσκίδας ἐς τὸν οὐρανὸν, ἀνέτεινον καὶ ὠλοφύροντο οὕτως, ὥστε καὶ λόγον παρασχεῖν ὅτι οὐκ ἄλλως ἐκ συντυχίας αὐτὸ ἐποίησαν. ἀλλὰ τούς τε ὅρκους οἷς πιστεύσαντες ἐκ τῆς λιβύης ἐπεπεραίωντο ἐπιβοώμενοι καὶ τὸ δαιμόνιον πρὸς τιμωρίαν σφῶν ἐπικαλούμενοι, λέγεται γὰρ ὅτι οὐ πρότερον τῶν νεῶν ἐπέβησαν πρὶν πίστιν

παρὰ

παρὰ τῶν ἀγόντων λαβεῖν ἔνορκον σφᾶς ἦ μὴν μηδὲν κακὸν πείσεσθαι.

Ibidem.

His ego tamen diebus, ludis ſcenicis ne fortè. *Nullam uarietatem inueni in priſcis codicibus, quid tamen repente dum hæc ſcriberem in mentem uenerit, libet exponere: lectores ipſi, an penitus explodendum ſit, iudicabunt. Vereor ne duæ illæ dictiones* LVDIS SCENICIS *uacent, & Ciceronis non ſint, ſed declaratio quondam fuerit prioris illius partis, quæ poſtea ab imperitis librarijs temerè huc inculcata ſit, neq; Ciceroni ad Marium ſcribenti id ſignificare neceſſe erat: non enim ille ignorare poterat qui illi dies eſſent. Verum quemadmodum diximus, tenuis hæc ſuſpicio, nec aliquid immutãdum niſi ita doctioribus uiſum fuerit cenſeo: potuit enim hoc addere, adhuc magis ſignificare uolens infelicem conditionem ſuam: qui dum alij ludis oblectarentur, & à curis ſollicitudinibúſque animum reficerent, in rebus moleſtis, odioſisq́; implicatus eſſet. Mentionem fecit horum ludorum Cicero in oratione contra L. Piſonem. Inſtant poſt hominum memoriam apparatiſſimi, magnificentiſſimíque ludi: quales non modo nunquam fuerunt, ſed ne quomodo fieri quidem poſthac poßint, poſſum ullo pacto ſuſpicari. Quem locum ſic interpretatus eſt Pædianus. Cn. Pompeij ludos ſignificat, quibus theatrum à ſe factum dedicauit, quibus ludis elephantorum pugnam primus omnium dedit in circo.*

Eadem Epiſtola.

Fructum laboris ex his expecto. *Non affirmarim cuius culpa mendum hoc natum ſit: incuria certè commiſſum eſt, & pro* EXPECTO *Medicæus codex uetere ſcriptura ferè habet* EXPECTO *(quamuis hoc in loco* EXI-

SPECTO *mendoſè habeat) quemadmodum non multò pòſt* EXSOLVAM, *& in epiſtolis Q. Ciceronis ad M. Fratrem* EXSILVI *gaudio, & à me iampridē ex meo codice ſublatum erat, quemadmodum aliud etiam ſeptimo ab hoc uerſu: deleri enim debet uox illa* ID.

Eadem Epiſtola prope finem.

Vt noſtras villas obire, & mecum ſimul lecticula concurſare poſsis. *Ad Q. Fratrem Marium autem noſtrum in lecticam mehercule conieciſſem. Sed etiam quod hic Cicero inquit, Tu modo iſtam imbecillitatem ualetudinis tuæ. Eodem in loco ad Quintum idem traditur. Sed hominem infirmum in uillam apertam, ac ne rudem quidem etiam nunc, inuitare nolui.*

Lib 7. Epiſtola 5.

Lentulo & Marcello Coſs. *Qui temporibus his per notas conſulibus ſcribunt, duobus* SS, *uti conſueuerunt, atque ita ſcribere* Coſs. *quos nō reprehendo: ſcio enim hunc morem ſcribendi ueterem eſſe. In ueteribus tamen codicibus, & in lapidibus priſcis, qui ſuperioribus ſeculis ſcripti ſint, Cos ſæpe legi. Mediceus codex hic Cos habet. Antiquus Florentiæ lapis eſt, in quo hoc nomen eodem pacto ſcriptum inuenitur:*

TI. CAESARE. TERT. GERMANICO
CAESARE ITER. COS.

Continet autem quædam quæ ad hiſtoriam pertinent, & ſanè cognitu indigna non ſunt. De quo eò libentius mentionem feci, quòd qui ea, quæ in lapidibus leguntur, in uolumen redegerunt, & Epigrammata antiquæ urbis inſcripſerunt, truncum illud, lacerúmque adpoſuere: in priuata autem domo parieti adfixum eſt, nō longè à porta, quàm Diui Galli uulgò appellant. Quòd autem ita in multis lapidibus

dibus ac uetuſtis libris ſcriptũ ſit, culpa fabrorum, librariorũmque factum eſt: nam ueram illam incorruptámque antiquitatem melius noſtri homines reddũt, ſi Quintiliano credimus, qui primo libro inquit: Et *Conſules geminata eadem litera* s s, *legimus. Quoniam autẽ ea quæſequuntur Quintiliani uerba mendum continent, non patiemur ipſum amplius hunc locum inquinare, præſertim, quum poßimus ſatis tutò (niſi fallor) illud delere. In cunctis codicibus legitur,* Et *ſuburra cum tribus literis notatur* B, *tertiam oſtendit: quum legi debeat,* C, *tertiam. Qui inquit doctißimus rhetor, per notas Suburra ſcribunt, cùm tribus primis literis totum nomen intelligi uelint, non* B, *tertiam, ſed* C, *ſcribunt. Quod ſanè mirum, cùm* C, *in hac uoce Suburra non ſit.* D*iſſerit autem de illis, quæ ſcribuntur aliter, atque enunciantur. Ita autem, ut nos caſtigauimus, legi debere oſtendit doctißimus* V*arro lib. v. de lingua Latina ad Ciceronem: Sed ego à pago potius Succuſano dictam puto Succuſam: nunc ſcribitur tertia litera* C, *non* B. *Qui etiam huius rei rationẽ reddit, quòd antiquitus Succuſa appellata ſit: quamuis autem poſtea nomen uariatum eſſet, ratio tamen illud ſcribendi permanſerat.*

Libro 7. Epiſtola 5.

M. Orfium. *Nonnulli conantur oſtendere diuerſum hunc eſſe, de quo hic agit Cæſar, ab eo quem Cicero commendat* Q. *Fratri in epiſtola quæ eſt 257. potuit tamen fieri, ut domeſtici negotij cauſa ab exercitu diſceſſerit, &* Ro*mam uenerit, uel ab* Imp. *miſſus fuerit, cùm autem in Gallias rediret, epiſtolam ei dederit* M. *Cicero, qua illum fratri conciliaret: nam tunc primò eum ad Cæſarem profectum nõ eſſe, illud aperit, quod inquit de hoc ad fratrem ſcribens,* Eſt Trib. mil. *in exercitu ueſtro. Si enim tunc primum illum ad*

Cæſarem miſiſſet, ita locutus non eſſet, nec affirmaſſet eum Trib. eſſe: neſciebat enim an id à Cæſare impetraturus eſſet. Orfium autem ipſum literas Ciceronis ad Cæſarem attuliſſe, quæ peterent ab eo, ut ipſum Trib. mil. faceret, Cæſaris uerbis intelligitur.

Ibidem.

Leptæ delega. *Vereor ſanè ne in his uerbis mendum ſit, nihil tamen auſim immutare: alij uulgatæ lectionis ueſtigijs hærentes, hunc locum emendare conantur, quod prorſus faciendum non fuit: uerisimile enim eſt, in uetere ſcriptura minorem (ſi ulla eſt) labem eſſe; peritiores hoc diligenter conſiderabunt. Ad Atticum Cicero eundē modum loquendi uſurpauit qui hic eſt in priſcis exemplaribus. Quinto delegabo, ſi quid æri meo ſuperabit, & emptionibus. Sed etiā alijs in locis. Quare uidendum eſt an omnis obſcuritas naſcatur ex rei ipſius ignoratione. Quòd ſi hiſtoriā illius negotij teneremus, omnia plana eſſent, & in uerbis nullam maculam eſſe intelligeretur.*

Ibidem.

Quod familiam ducit. *Hunc locum antea mendoſiſsimum caſtigauimus, elegantiſsimum modum loquendi, pluribus Ciceronis exemplis adductis, explanauimus. Accuſant tamen nonnulli, quòd exiſtimarim, Ciceronem dixiſſe, Trebatium ipſum ducere familiam: intelligique uolunt (quod non reprehendo) inter alias Trebatij laudes hoc bonum, quòd legum ſcientiam habeat, & in iure ciuili ſingulari memoria ſit præſtare omnibus alijs ipſius bonis. Scio Ciceronem* μεταφορικῶς *alijs in locis hoc modo dicendi uſum eſſe, ut in* IIII. *de Finibus (qui locus à me olim adductus eſt) cum inquit: Sed primum illud uide, grauiſsimam illam noſtram ſententiam, quæ familiam ducit, &c.*

Libro

Libro 7. Epiſtola 6.

Et quum Medeā agere cœpi, illud ſemper memento, Qui ipſe ſibi ſapiens prodeſſe non quit, nequicquam ſapit. *Ita loquitur Cicero, ut apertè oſtendat, hæc uerba è Medea fabula ſumpta eſſe: uerſiculum autem Græcum, unde expreſſa ſunt, poſuit in epiſtola ad C. Cæſarem, qua commendauit Precilium, & illum Euripidis eſſe docet. Itaque ab Homeri magniloquentia confero me ad uera præcepta* Εὐριπίδου. μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. *Eundem etiam Plutarchus in commentario, quo diſſeruit ſi honeſtè utilitérque pronuntiatum eſt* τὸ λάθε βιώσας. *nec tamen in Græcà Euripidis* Medea *hic ſenarius inuenitur: quomodo hic nodus diſſolui poßit, fateor me ignorare. Nonius Marcellus cùm Ennij teſtimonium è Medea adduceret, fabulæ illius nomen,* MEDEA EXVL, *eſſe uoluit, atq; id duobus in locis, in eliminare ſemper: ſic enim eum locum aliquantulum deformatum legendum arbitrantur. Ennius Medea exule,*

Antiqua herilis fida cuſtos corporis
Quid ſic ante ædes exanimata eliminas?

Quin autem intelligat Medeam fabulam, quam hodie habemus, Euripidis, dubium eſſe non poteſt: nam ſententia illa ex his uerſibus, qui à cuſtode liberorum Medeæ cum eiuſdem nutrice loquente pronuntiantur, accepta eſt.

Παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσποίνης ἐμῆς.
Τὶ πρὸς πύλαισι ταῖς δ' ἄγουσ' ἐρημίαν;
Ἕστηκας, αὐτὴ θρεομένη σαυτῇ κακά.

Tertio adhuc loco in CERNERE *Nonius Medeā exulem, hanc fabulam uocat. Ennius Medea exule,*

Nam ter ſub armis malim uitam cernere.

Eſſe autem hanc ſententiam in Græca, quam habemus, no-

tiſſimum eſt. Inde autem quiſpiam ſuſpicari poſſet duas Medeas ſcripſiſſe Euripidem, ambáſque Ennium expreſſiſſe. in Græco poëta tituli illius ueſtigium nullum quemadmodum Iphigeniæ, de qua cum duas fabulas confeciſſet, nominibus quoque ipſas ſeparauit. Docti uiri totam hanc rem accuratè cogitabunt, ego ſcrupulum qui me diu ſollicitum habuit, alijs notum facere uolui.

Libro 7. Epiſtola 9.

Propter eius occupationes. *Accuratè de hoc loco in noſtris explicationibus diſſeruimus. & quomodo legi poſſet non ineptè (ut arbitror) ex hiſtoria iudicauimus: quare nihil ad ea quæ tunc à me dicta ſunt addimus: defendemus tantum ipſa ab argumentis quæ contra ea à nonnullis excogitata ſunt. In duobus meis antiquiſſimis, & optimis codicibus (in quibus illius uocis nullum ueſtigium manet) nihil ſpatij relictum eſt, quo recipi aut illa, aut alia poſſit, quemadmodum illi in ſuis relictum eſſe narrãt.* Quod Græcam potius uocem deeſſe credunt, quàm Latinã, *id paruam, aut nullam uim habet: quaſi non ſæpe in ſcribẽdo dictio aliqua imprudentia prætermittatur, quemadmodum in optimis his etiam libris factum eſſe quãdoque oſtendimus. Græcas uoces Latini librarij ſcientes omittebant, ſermonis inſcitia: ſedem tamen illis, ac regionem, in qua collocari poſſent, relinquebant: quod hic factum non eſt, ut teſtimonio Medicæi codicis, & alterius, non multò deterioris, comprobauimus. Addo etiam, in* Latinis *autoribus quandoque uoces Græcas abundare, non ſolùm deeſſe: quod docuiſſe, ad id quod uolumus probandum accommodatum erit, & ſua ſponte etiam gratum eſſe debebit.* Quintilianus *libro primo:* Noto *quidem illo, ut traditur, uerſu ex Philoctete frequenter uſus, Turpe eſſe tacere, &* Iſocratem *pati dicere.*

dicere. Sic enim legi debet, non ut in omnibus impreſsis codicibus. Id autem & ratio docet, & uetera exemplaria confirmant. Verſus autem, qui importunè inculcatus erat, intelligi hîc, non legi debet: interpretatur enim illum diligenter Quintilianus, quod non faceret, ſi in ſuo libro poſuiſſet. Eodem modo apud eundem autorem peccatum erat lib. VIII. *Sic autem legi debet, Neque aliò Platonis inuenta ſunt quatuor illa uerba, quibus in illo pulcherrimo operum in Piręeum deſcendiſſe ſignificat plurimis modis ſcripta. Voces enim illæ Græcæ κατέβην χθὲς εἰς πειραία intelligi debent, non adponi.*

Libro 7. Epiſtola 12.

Quod & Titus familiaris meus. *Diuerſa ab hac ſcriptura eſt in Mediceo codice: ita enim ibi legitur,* Quod Zeius familiaris meus. *Quare accuratè uidendum eſt, an* SEIUS *legi debeat, quod ſanè mihi non diſplicet: pro s, enim antiqui librarij, ac fabri Z, ſæpe ponebant, quod Romæ in multis lapidibus uiſitur, & à doctis, ac diligentibus uiris adnotatum eſt. Seius autem Ciceroni familiaris erat, quod intelligitur his uerbis ex Epiſto. ad Varronem xxi. Cœnabam apud Seium, cū utrique noſtrum redditæ ſunt à te literæ. 166. Cognoſſe ex M. Seio arbitror, qui noſtro ſermoni interfuit. Quia hoc nomē crebro legum interpretes uſurpant, & Trebatius iuriſconſultus erat, ideo (ut opinor) aliqui, cùm locum mendoſum putarent,* ET TITIO *repoſuerunt.*

Ibidem.

Formula fiduciæ vt inter bonos bene agier oportet. *Conſentiunt priſci, quos uidi, codices cum impreſsis. Et nobiliſsimus omnium Mediceus eandem, quam uulgati libri, lectionem ſeruat: alijs doctioribus quid faciendum*

dum ſit, iudicandum relinquo: ipſe contra tot exemplariorum conſenſum nihil auſim ſtatuere.

Libro 7. Epiſtola 14.

Quam ſi ſcribere oblitus es. *Luſit in hoc uerbo Cicero eleganter: nam Scribere dicuntur iuriſconſulti, cùm clientibus ſuis ſcripto cauent. Cùm literas ad ſe nullas Trebatius mitteret, aperit Cicero quod incommodum ex ea re oriturum ſit, tranſit tamen ad alium minus communem huius uerbi ſignificatum. Minus multi iam te aduocato cauſa cadent, paucos habebis clientes, nec multi ſuas cauſas ad te deferent. In qua etiam re exponenda, carpit illum, ut malum aduocatum, & defenſorem cauſarum: quaſi omnes qui ad eum patronum confugerent, cauſas amitterent, nec ius ſuum tueri poſſent. Vtitur autem in ea etiam re narranda uocibus peculiaribus iuriſconſultorum. Vidi antiquum exemplar Topicorum, in quo locus ille ita ſcriptus eſſet: Etenim cùm tu mihi, meiſque, multa ſæpe ſcripſiſſes. cùm formis excuſi omnes* CAVISSES.

Libro 7. Epiſtola 18.

Quam hæc ſcribere. *Veráne ſit nonnullorum coniectura, alij iudicabunt: meliores certè libri, ac manu ſcripti ferè omnes à noſtris nihil diſcrepant. Ita quondam legebatur hic locus, ut non malus omnino ſenſus ex ea ſcriptura eliceretur, atque ille quidem ſatis planus,* Quam hæc non ſcribere. *ut dicat Cicero, ſe mirari, quid nam ibi ſcriptum ante fuerit, ut ſine culpa deleri poſſet, ut quæ ſcripſerat poſtea deponerentur. Solemus enim inſulſa, maláque delere, ut bona reponamus: nihil autem deterius iis, frigidiúſque eſſe poterat. Quare oſtendit, ſe non probare conſilium eius, & in hac re facetiſſimè ludit. Veruntamen optima exemplaria diſſentiunt, unum tamen ex multis*

quod

quod negantem illam particulam haberet ſtudio, ac diligentia amicorum inuentum eſt.

Ibidem.

Cum ad villam Metrilij Philemonis. *In cunctis antea impreßis ita legebatur: manu etiam ſcripti quos uidi, neque inter ſe, neque ab impreßis diſſentiunt. Scripſerunt tamen nonnulli, ſatis leui coniectura ducti,* M. Æmilij Philemonis. *quos, niſi aliquid certius inuenerim, non ſequar. Non mirum autem uideri debet, tenuis hominis, ac libertini mentionem alibi non reperiri.*

Epiſtolam tuam, quam accepimus ab L. Arruntio. *Ante hæc uerba titulus nullus eſt in manu ſcriptis codicibus, quod nos quoque ſeruauimus: nec noua epiſtola hæc eſt, ſed potius addita ſuperiori. Cùm enim iam literas ſcripſiſſet, diémque, quibus dari debebant, adpoſuiſſet, aliud in mentem rediјt, quod prætermittere noluit, quemadmodum ſæpe inſcribendo fit. Vnde apud nos quoque pars illa epiſtolæ nomen inde accepit, quòd poſt priora illa iam ſcripta confecta ſit. Ex indice, qui ante ſingulos libros in Medicæo exemplari eſt, hoc præclarè etiam intelligi poteſt cùm enim ſingulis epiſtolis tituli addantur, nulli leguntur ante uerba illa,* Epiſtolam tuam quam accepi. *Quia tamen nouum hoc erat principium literarū poſt primum illud uerum initium, huius etiam membri primæ uoces adponuntur: ita enim ibi legitur.*

CICERO TREBATIO SAL.

ACCEPI A' TE ALIQVOT EPISTOLAS

EPISTOLAM TVAM QVAM ACCEPI AB L. ARRVNTIO.

Adde quòd dies aſcripta non eſt, quòd in fine ſuperioris epiſtolæ iam adpoſita erat.

Libro 7. Epiſtolæ 19.

Doctorem tamen vnúmque deſiderant. *Non diſplicet Pauli coniectura. nam & ueſtigijs hæret priſcæ lectionis & ſententiam idoneam habet.*

Libro 7. Epiſtola 20.

Neque Haletem nobilem amnem. *Heletem legi debet, huius fluuij mentionem fecit libro* x v i. *epiſtolarum ad Att. his uerbis: Erat enim cum ſuis nauibus apud Haletem fluuium citra Veliam: quo in loco noſtrum illud exemplar Heletem habet. Strabo in initio* v i. *libri ubi de omni illa ora agit, plures ſententias adducit, unde Velia à Græcis Helea appellata eſſe poßit, nonnullóſque tradit ab Helete fluuio ei nomen inditum uoluiſſe. Stephanus inde nomen illam accepiſſe affirmat. hæc ipſius uerba ſunt:* ὠνομάσθη δὲ ἐλέα ἀπὸ τοῦ παραῤῥέοντος ποταμοῦ ἢ νῦν βελέα.

Ibidem.

Quanquam illa quidem habet lotum, à quo etiam aduenæ teneri ſolent: quem tamen. *Hæc eſt in Mediceo ſcriptura: quòd ſi aliquid in ea mendi eſt, ea parte eſt, quòd non eo genere Lotum appellat, quo aliæ arbores appellari conſueuerunt, & quo hanc ipſam Vergilius in Culice appellauit.*

-inter quas erat impia Lotos

Impia, quæ ſocios Ithaci mœrentis abegit.

Quàm nefarium facinus lucum (dicatam alicui Deorum ſyluam) cædere ueteres exiſtimarent, neceſſe non eſt docere: pleni ſunt huius rei omnes poëtarum libri. Dionis tamen accurati hiſtorici teſtimonium adducemus, quod etiam utile eſſe poterit, quia ſermo eſt de Turullio, cuius mentionem fecit in Epiſto. ad Ciceronem C. Caßius his uerbis: Sequebatur

batur claſsis altera, quam anno priore in Bithynia Tullius Cimber compararat, cui Turullius Quæſtor præerat. Erat Turullius ex interfectoribus Iulij Cæſaris, qui in Aſiã in Antonij amicitiam uenerat, & eum in multis rebus impigrè adiuuerat: quem tamen ille rebus malè geſtis prodidit Auguſto Cæſari, ut ea ratione (ſi poſſet) ſibi illum placaret. Ilico autem Turullius trucidatus eſt: & cùm in inſula Co ſupplicio affectus eſſet, uiſum eſt hoc non ſine conſilio ac uoluntate Deorum factum eſſe: nam non multò antè ille ad claſſem ædificandam Aeſculapij lucum ibi inciderat, & ex ea materia naues fabricauerat. Verba Dionis. καὶ τέλος τὸν πόπλιον τυρύλλιον βουλευτήν τε ὄντα, καὶ σφαγέα τοῦ καίσαρος γεγονότα τότε φιλικῶς οἱ συνόντα ἐξέδωκεν αὐτῷ. καῖσαρ δὲ τὸν μὲν τυρύλλιον ἀπέκτεινε, καὶ ἔτυχε γὰρ ἐκ τῶν ἐν κῷ τῆς ἀσκληπιοῦ ὕλης ξύλα ἐς ναυτικὸν κεκοφὼς, δίκην τινὰ καὶ τῷ θεῷ, ὅτι ἐκεῖ ἐδικαιώθη δοῦναι ἔδοξεν.

Libro 7. Epiſtola 23.

Felicius puto, cum Auiano tranſigere poſſemus. *Coniectura ductus arbitror legendum eſſe* FACILIVS *plura hoc mihi perſuadent, & quòd uſitata peruerſio eſt: multis enim locis has uoces confuderũt librarij, ut ubi* FELICIOR *legendum eſſet,* FACILIOR *legeretur: & contrà ubi* FACILIOR, FELICIOR: *præterea ſuprà inquit, ſed eſſent mi Galle omnia facilia. Senſus denique totus elegantior, & uerior: nulla enim felicitas in hoc negotio reperiri poterat: ſed cupiebat Cicero inuenire, quem illa capere, & delectare poſſent: ſperabátque ſi illa, quæ paulò antè expoſuit, Fabius emiſſet, facilius inuenturum fuiſſe, qui ſe omni iactura, moleſtiáque liberarent.*

Ibidem.

In porticula Tuſculani, ea volebam tabellis ornare. *Porticulas appellat, quas Græci* στοΐδια: *illas autem partes domus tabulis pictis ueteres ornabant, quod ex Diogene quoque Laërtio intelligitur, apud quem Theophraſti doctißimi hominis, elegantißimique omnium philoſophorum in teſtamento ipſius hæc uerba ſunt:* εἶτα τὸ στωΐδιον οἰκοδομηθῆναι τὸ πρὸς τῷ μυσείῳ μὴ χεῖρον ἢ πρότερον. ἀναθεῖναι δὲ καὶ τοὺς πίνακας ἐν οἷς αἱ τῆς γῆς περίοδοι εἰσίν τὴν κάτω στοάν. *In inferiore igitur porticu Græcus homo, & ipſe tabulas collocari mandauit, ſed in quibus terræ ambitus deſcripti eſſent, non aliquid quod poſſet coloribus aut artificio magiſtri delectare.*

Libro 7. Epiſtola 24.

Capius, vt opinor, olim. *Ita ſcripſimus, ut ab alijs reſtitutum fuerat. Medicæus tamen* CITIVS. *Apud Feſtum Pompeium, à quo hoc prouerbium explicatur,* CAPIVS *legitur. Nec tamen eſt, quòd teſtimonio huic firmiter credamus: ipſius enim commentarij, ut improbè olim detruncati fuerunt, ita nunc multis maculis fœdati ſunt. Plutarchus in Erotico, qui totam hiſtoriam accuratè exponit, nequam hunc hominem Cabbam, uel Calbam potius appellat: totus autem locus ab Eraſmo in Prouerbijs expreſſus eſt. Animaduertendum tamen, quis fuerit ille Mœcenas, à quo uxorem ſuam ſubagitari tam æquo animo Capius hic, ſiue Cabba paſſus ſit: non enim familiaris ille Auguſti Cæſaris eſſe potuit, nam antiquius eius ætate hoc Prouerbium fuit: à Cicerone enim adducitur, & à Lucilio quoque, uetere poëta, celebratum fuit. Præterea in uerbis Sex. Pompeij cogitandum, an* παρέγχος *legi debeat, quod puto: quem enim locum ibi parencho hoc caſu habeat non uideo:*

deo: quamuis docti uiri mendum in illis eſſe ſuſpicati non ſint.

Ibidem.

Reſpondi nullo modo me facere poſſe, quum vellem. *Ita olim emendaui, imprimique iuſſi: nam quemadmodum nunc oſtendam, in melioribus libris hæc ferè ſcriptura inuenitur, quam Manutij probant, quamuis inſimulent me alium ſenſum ex ijs uerbis accepiſſe, quod culpa impreſſorum non bene interpunctionibus diſtincta ſint: quaſi ab ullo, qui penitus ſtultus non ſit, alius ullus ſenſus ex ijs uerbis elici poßit. Ego autem impreßioni non interfui, nec quæ iſtud hominum genus cotidie turbaret, corrigere potui: nam ſæpe me queſtum eſſe de iſtorum negligentia in meis ſcriptis omnibus notum eſt. Sed his relictis: Medicæus codex hanc ſcripturam, retinet:* Reſpondi me nullo modo facere poſſe quem vellem alium diem ſi ſumpſiſſet. *& quæ ſequuntur. Non ſine aliqua omnino peruerſione: aliquid enim neceſſariò in ea uitij eſt, ſiue prior illa, ſiue poſterior lectio magis probetur. Quare ſæpe de hoc loco ſoliciti fuimus: ac quandoque ueriti ſumus, ne peccauerimus, quòd aliquid tunc immutarimus: nam ita peccatum eſſe potuit ab uetere librario à dictione illa* VELLEM, *ut in altera* QVEM: *peccatum enim omnino fuit: aut enim legendum eſt* QVVM VELLEM *ut nos tunc ſcripſimus, aut* QVEM VELLET, *quemadmodum antea in impreßis libris legebatur, nam recepta lectio non malùm intellectum habebat: declaratur enim magis per illam liberalitas Ciceronis, & cupiditas ſatiſfaciendi Phameæ, quæ affirmat eum uno illo excepto omnibus alijs diebus in poteſtate ipſius fore. Hæc omnia accuratius acuti, ac docti uiri perpendēt: & quid de tota hac re faciēdū ſit, ſtatuent.*

Libro

Libro 7. Epiſtola 25.

Quòd epiſtolam conciſcam doles, noli laborare: ſalua eſt domi, petes cum libebit. *Ita legitur in cunctis impreßis, à quibus Mediceus diſſentit:* DOMO *enim, non* DOMI *habet. quæ ſcriptura ſi attentè conſideretur, fortaſſe peior, inelegantiórque non erit: ita autem diſtingui debet:* Salua eſt: domo petes cum libebit. *Cùm enim dixit,* SALVA EST, *eripuit illi errorem in quo erat, qui arbitrabatur illam conſciſſam, & ex ea re dolorem capiebat: cùm addidit,* DOMO PETES, *declarauit penes ſe illam eſſe, ſéque illius copiam ei facturum ſemper eſſe:* Domo petes, *dictum eſt, quemadmodum etiam petere à Græcis,* Petere è macello, *alijs in locis Cicero dixit: eſt enim peculiaris ipſius locutio, non alia ratione, quàm* Adferre domo, Depromere domo. *Locus in Bruto deprauatus eſt, ubi hoc ſermone Cicero uſus fuerat cùm cauſam redderet, cur ueteres numeris uſi non eſſent, alia autem ornamenta orationis mature uſurpaſſent: inquit enim,* Itaque tranſlata, aut facta, aut iuncta uerba facilè ſunt cognita, quia ſumebantur è conſuetudine, cotidianóque ſermone: numerus autem non domo depromebatur, neque habebat aliquam neceßitudinem aut cognationem cum oratione. *Ideo inquit, oratio ueterum numero caruit, quia unde numeros diſcerent non habebant: fuit enim res operoſa & difficilis: præterea neceßitas non cogebat illos uti numeris, quemadmodum ſæpe cogit uti uerbis tranſlatis, aut factis, aut iunctis cum propria & uſitata non ſunt, non depromebatur domo: non accipi poterat à conſuetudine, domeſticóque ſermone, ſed à doctoribus petere neceſſe erat, uel potius diuturna accuratáque obſeruatione notare. In cunctis impreßis* MODO DEPRO-

MEBATVR legitur: quæ peruerſio alios quoque Ciceronis locos occupauit. Annus eſt, cùm hoc animaduertimus, cúmque non multis poſt diebus Petrus Bembus Romam proficiſcens hac iter faceret (uir ſummo ſtudio ab omnibus, atque uno ore ſemper laudatus, nunquam tamen ſatis laudatus) nóſque in itinere illum ſalutaſſemus, me autem ille humaniſsimè accepit, familiaritérque mecum diu locutus eſt: orto ſermone de ſtudijs literarum, & Ciceronis ſcriptis, dixi me putare hunc locum ita legi debere, & alterum etiam in oratione de Aruſpicum reſponſis, quem parua quædam labes, quæ tamen omnes fefelliſſet, fœdabat: atque ita fœdabat, ut ſplendidiſsimum lumen orationis obrueret. Ne id quidem ſentis, conniuentis illos oculos abaui tui, magis optandos fuiſſe, quàm hos flagrantis ſororis. In cunctis autem impreſsis OS, mendosè legitur: ſunt enim antitheta, reſpondétque HOS, ſuperiori uoci ILLOS. FLAGRANTIS autem dictioni CONNIVENTIS: neque enim eſt, ut imperiti crediderunt, generandi caſus: neque pertinet ad SORORIS, ſed ad OCVLOS. Nam prò Cælio etiam Cicero, inquit, Non flagrantia oculorum: cùm de eadem muliere loqueretur: & Catullus, Flagrantia lumina Ariadnæ, Theſei amore correptæ, appellauit. HOS autem, & ILLOS ſæpe dixiſſe Ciceronem cùm contraria contrarijs redderet, declarat etiam locus hic, qui ab ipſo quoque adducitur, cùm de hoc ornatu orationis loqueretur in Oratore: Conferte hanc pacem cum illo bello, huius Prætoris aduentum cum illius Imp. uictoria, huius cohortem impuram cum illius exercitu inuicto, huius libidines cum illius continentia: ab illo qui cepit conditas, ab hoc qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas. Sed non fuit in his confirmandis tantopere laborandum, cùm eos doctiſ-

ſimo,

ſimo, ac maximi iudicij uiro probauerimus: uiſus eſt enim illis delectari & non parum induſtriam noſtram laudauit. In epiſt. autem ad Fabium, qui receptam lectionem retinere uolet, non magnopere me aduerſum habebit, atque is tamen non moleſtè feret, me ea occaſione alium locum manifeſtò corruptum reſtituiſſe.

Ibidem.

Videris enim mihi vereri, ne ſi iſtum habuerimus. *Mediceus liber*, niſi iſtum habuerimus. *ſemper mihi ſuſpectus hic locus, ac meritò quidem, fuit: & ſanè tota epiſtola obſcurior. Quid mihi in mentem non multò antè uenerit, libet narrare. Arbitror legendum eſſe,* Niſi iſtum cauerimus. *Quibus autem argumentis ductus hoc faciam, cùm expoſuero, qui non probarit, totam opinionem meam reijciat. ſententia, ut patet, egregia eſt: intelligit enim per iſtum Cæſarem, cuius uoluntatem lædebant, quòd perpetuum inimicum eius laudabant, quem Gallus putabat cauendum, ac pertimeſcendum, quòd quibus uellet incommoda multa conciliare poſſet. In dictione etiam illa immutanda nulla, aut parua licentia nos uſos nunc oſtendemus. Obſeruauimus alijs in locis in Mediceo codice* H, *pro* C, *poſitam eſſe, ut in epiſtola Lentuli ad Ciceronem locus ille ſic legitur* 179. *Præterea mihi promiſerunt Panſa, &* Hirtius *horàm. In antiquis etiam lapidibus ita quandoque ſcriptum eſt, ut docti, & diligentes uiri adnotarunt: nam ſæpenumero ueteres librarios pro* V, B, *ſcripſiſſe, & contrà, magis notum eſt, quàm ut exemplis confirmari oporteat. Addam (quanquam uereor ne hæc mea diligentia nimia nonnullis in re ſatis aperta uideatur) alijs in locis in Mediceo me obſeruaſſe duo* v v, *poſita eſſe, ubi unum ſatis erat, ut in epiſtola ad Cælium ſic locus ille*

ille legitur 28. Præſertim contra eum,cui ſpero me ſatisfeciſſe. Nam *aptè reſpondere hoc uerbum ſuperiori perſpicuum eſt. ſic enim crebro Cicero locutus eſt* 2. Philip. Et *ſimul admonent quicquam, quod cauebimus.* 11. A *quo admoniti, diligentius & uigilantius caueamus* Antonium. *Memini diſertum nobiliſsimum uirum, & ſumma ingenij laude florentem, cui ego & in ſecunda, & in aduerſa fortuna ualde amicus fui, ſed magis in perditis ipſius rebus officij gratia familiaris, qui & ipſe hunc locum deprauatum eſſe cenſebat, ſic eum emẽdare ſolitum,* Ne ſi ſtilum acuerimus. *Nondum autem quæ à me ſuprà expoſita ſunt, excogitaueram, ut uidere potuerim, quid ipſe acutiſsimi ingenij uir de hac mea ſuſpicione ſentiret.* Illum *autem nomine etiam appellarem, ſi arbitrarer hanc rem poſſe ei aliquam laudem afferre.*

Ibidem.

Vereor ne in Catonium Catoninos. *Medicæus codex* VEREOR NE IN CATONVM CATONINOS. *Ita accuratè olim de hoc loco diſſerui, ut neceſſarium eſſe non exiſtimem, uerbum de hac re addere: omnino enim cenſeo* CATONINOS *pro* CATONIANOS *ſcriptum fuiſſe, & intelligi debere Catonis ſtudioſos.* Nam *quin, ſiue Catomum ſiue Catonium legendum ſit, (nihil enim certi de hac uoce afferre poſſum) ea dictione inferos, & ſedem mortuorum intelligat, non dubito.*

Lib. 7. Epiſtola 26.

Quia dicat δυσεντερικὰ καὶ δυσεντερικὰ πάθη ſibi moleſta eſſe. *Multis modis quidam peccant in hoc loco: tria enim uerba nullorum antiquorum codicum teſtimonio citato, neque ullis etiam argumentis, quæ id ſaltem confirment, adlatis, contaminant, aut tollunt.* Nam *quod erat in*

omnibus & manu ſcriptis, & impreſſis libris QVIA DICAT *commutant, & ex illis uerbis,* CVI DICANT, *faciunt: præterea* SIBI *ab ipſis etiam in priore ſua editione receptam uocem delent, ſcriptura, quam ſecuti ſumus, in omnibus uetuſtis exemplaribus eſt. Sententia quam habet diligenter à nobis in prioribus noſtris ſcriptis expoſita eſt, & autoritatibus doctiſſimorum uirorum confirmata. Quod in epiſtola ſua cōfeſſus eſt* Epicurus, *ſe torminibus, ac ſtillicidio laborare, acerrimi ipſius aduerſarij* Stoici, *occaſione ea arrepta, maledicebant illi, & affirmabant, meritò id ipſi euenire, quòd intemperatiſſimus eſſet, ac obſcœnis uoluptatibus deditus, res tota à nobis tunc explicata.* Indicauimus *epiſtolam* Epicuri, *in qua uerba illa erant, expreſſámque eſſe docuimus à* Ciceron*e elegantiſſimè: cuius tamen nunc (ut quærendi labore alios liberemus) partem illam adducemus, quæ hoc narrat,* τὴν μακαρίαν ἄγοντες καὶ ἅμα τελευτῶντες ἡμέραν τοῦ βίου, ἐγράφομεν ὑμῖν ταυτί. στραγγουρίατις τε παρηκολουθήκει καὶ δυσεντερικὰ πάθη ὑπερβολὴν οὐκ ἀπολείποντα τοῦ ἐν αὐτοῖς μεγέθους. Ita *autem à* Cicerone *reddita eſt.* Cùm *ageremus uitæ beatum, & eundem ſupremum diem, ſcribebamus hæc:* Tanti *autem morbi aderāt ueſicæ, & torminum, ut nihil ad eorum magnitudinem poſſit accedere.*

Lib. 7. Epiſtola 27.

Miror cur me accuſes. Si *ſemel, aut in tam longa oratione, aut ſexcentis alijs in locis* Cicero *ubi de* Seſtio *agit, ipſum* Gallum *appellaſſet, acutiſſimi, ac diligentiſſimi uiri ſententiam ualde probarem, quam tamen nulla in re accuſo.* Quòd *communem opinionem, non recentiorum modò, ſed etiam ueterum quorundam ſecutus, in hac re aliquantulum deceptus ſum (ſi aliquis in ea error eſt) non me pudet.*

det. Qui enim poſt ſuperiores duas ad Fabium Gallum *miſſas, ſtatim duas has collocarunt, uidentur & ipſi eundē eſſe hunc, & illum Gallum exiſtimaſſe. Me certè ſemper obſcuram hanc epiſtolam putaſſe, & nihil certi de illa ſtatuere auſum eſſe, priora mea ſcripta declarant.* Nam *illius partem, & ipſam huiuſcemodi, quæ multos fallere potuiſſet, me non inſulsè interpretatum eſſe, nemo inficias ibit:* Nedum *aliorum induſtriæ inuideamus, uolumus afferre locum ex epiſtolis ad* Q. Fratrem, *qui ſuſpicionem illam acutiſſimi hominis adiuuat: aperit enim multò antè obſcuras ſimultates inter Ciceronem, &* P. *Seſtium fuiſſe, quæ poſtea (ſi de his cum illo Cicero expoſtulat) eruperint,* 282. *Idq; fecimus præter hominum opinionem, qui nos ei iure ſuccenſere putabant, ut humaniſſimi, gratiſſimique & ipſi, & omnibus uideremur, itaque fecimus.* Et *infrà: Quæ tibi eò ſcribo, quòd me de retinenda Seſtij gratia literis ſæpe admonuiſti.*

Libro 7. *Epiſtola* 28.

Suis erga me. *Adnotauimus olim in antiquioribus libris hæc uerba deſiderari. in Mediceo certè non leguntur: neque tamen cuique autores fuimus, ut ea deleret: propoſitum nobis fuit, uitia etiā illius codicis indicare. Alij poſtea in nonnullis ea ſe inueniſſe affirmant: qui codices utinam ſemper, quemadmodum hic fortaſſe ſunt, noſtris meliores eſſent.*

Lib. 7. *Epiſtola* 30.

In campo certè non fuiſti, cùm H. II. comitijs Quæſtorijs inſtitutis. *Hiſtoria obſcurior, & quæ ſi ignoretur, magnas tenebras huic loco offundat.* Dion *hiſtoricus rerum* Roma. *non indiligēs ſcriptor, totum negotium quemadmodum geſtum ſit, exponit, & iocum etiam Cice=*

ronis adducit,qui ab ipſo in hac epiſtola Curio narratur (nam Plutarchus,& alij autores breuiores in hac re explicanda ſunt) tradit enim quemadmodum Cæſar abſens fieri uoluit COS. *& antequàm urbem ingrederetur magiſtratum cepit: nec tamen ad exitum anni tenuit,ſed poſteaquàm* Romæ *fuit,repudiauit,&* Q. Fabio,*&* C. Trebonio *tradidit.* Verùm *cùm* Fabius *poſtremo Conſulatus die mortuus eſſet,ſubitò illius loco alium,* C. *inquam Caninium,* Conſulem *fecit, qui reliquas horas Conſulatum gereret, ſed melius erit* Dionis *ipſius uerba adponere.*Dion *libro* XXXXIII. Τὴν οὖν ἀρχὴν τὴν ὑπάτων παραχρῆμα μὲν καὶ πρὶν ἐς τὴν πόλιν ἐσελθεῖν ἀνέλαβεν· οὐ μέντοι καὶ διατελοῦς ἔσχεν, ἀλλὰ ἐν τῇ ῥώμῃ γενόμενος ἀπεῖπεν αὐτὴν καὶ τῷ φαβίῳ τῷ κοΐντῳ, τῷ τε τρεβωνίῳ τῷ γαΐῳ ἐνεχείρισε. καὶ ἐπειδή γε ὁ φάβιος τῇ τελευταίᾳ τῆς ὑπατείας ἡμέρᾳ ἀπέθανεν. εὐθὺς ἀντ' αὐτοῦ ἕτερον πρὸς τὰς περιλοίπους ὥρας γάϊον κανίνιον ἀνθείλετο. πρῶτον μὲν δὴ τότε τοῦτο παρὰ τὸ καθεστηκὸς ἐγένετο καὶ τὸ μήτε ἐτησίαν, μήτε ἐς πάντα τὸν λοιπὸν χρόνον τοῦ ἔτους τὴν ἀρχὴν ἐκείνην τὸν αὐτὸν ἔχειν. ἀλλὰ ζῶντά τινα αὐτῆς, καὶ μὴ ἀναγκασθέντα, μήτε ἐκ πρώων, μήτε ἐξ ἐπηγορίας τινὸς ἐκστῆναι. καὶ ἕτερον ἀντ' αὐτοῦ ἀντικαταστῆναι. δεύτερον δὲ ὅτι ἀπεδείχθη τε ἅμα ὕπατος, καὶ ὑπάτευσε καὶ ἐπαύσατο ὅπερ καὶ ὁ κικέρων διασκώπτων, τοσαύτῃ ἔφη τὸν ὕπατον καὶ ἀνδρείᾳ καὶ φροντίδι ἐν τῇ ἀρχῇ κεχρῆσθαι ὥστε μηδὲ τὸ βραχύτατον ἐν αὐτῇ κεκοιμῆσθαι. Hunc etiã Ciceronis *iocum in* Caninium Rebilium *celebrauit* Macrobius,*qui oſtendit,non hunc tantum,ſed alios etiam illa occaſione à Cicerone,ut erat uir fœcundi ingenij,in Caninium dictos eſſe. Scrupulum alicui inijcere poſſent uerba illa* Dionis,*cũ dicit,*

cit, Cæſarem duos creaſſe Conſules, qui pro ſe magiſtratum eum gererent, qui hiſtoria cognita eximitur: factus enim COS. *Cæſar erat ſine collega, quod etiam ex antiquo lapide intelligitur, qui eſt in hortis Colotianis: ſic enim eſt in illo:*

C. IVLIVS CAESAR IIII. SINE CONLEGA DICT.
Q. FABIVS MAXIM. C. TREBONIVS. C. F. V. F.
C. CANINIVS. C. F.

Qui mirificè utilis eſſe poteſt ad hanc Ciceronis epiſtolam declarandam. uides enim Caninium locum Fabij mortui occupaſſe, & pro illo ſubſtitutum eſſe, quamuis ſpatio H. XVII. *conſulatum geſſerit.*

Ibidem.

Quem illi conſulem eſſe dicebant. *Ita loquitur Cicero, quia contra leges ac inſtituta ciuitatis factus erat, ut uerè Conſul uocari non poſſet: tunc enim primò incœptum eſt, quod poſtea ab Impp. Rom. qui totam Remp. occuparunt, frequenter uſurpatum fuit: quempiam habere magiſtratum, quem aliquis unius adhuc ſua ſponte non aliqua re coactus, reliquiſſet. Quamuis enim Maximus à Cæſare cum collega ipſius Trebonio Conſul factus eſſet: uiuente Cæſare, qui eo anno Conſul legibus creatus erat, magiſtratum illum habere non poterat.*

Ibidem.

Ille autem. *Cæſarem intelligit, quem ſæpe ita appellat, quemadmodum docuimus in prioribus caſtigationibus, cùm locum illum explicaremus. Eſt igitur aduentus in expectatione, neque tu id ignoras: Sed tamen cùm ille ſcripſiſſet. Quin hic certè per* ILLE *Cæſar intelligatur, negari non poteſt.*

Lib. 7. Epiſtola 37.

Deinde Eutrapelia literarum fecit. *Quid Eutrapelia ſit, notiſsimum eſt: utitur Ariſtoteles hac uoce ſæpe libro VIII. ἠθικῶν, in ſecundo autem de arte dicendi, quo loco de moribus ſingularum ætatum diſſerit, naturã, uimq; huius nominis expreſsit: quum enim adoleſcentes riſus ſtudioſos eſſe dixiſſet, addidit, διὸ καὶ εὐτράπελοι: ἡ γὰρ εὐτραπελία πεπαιδευμένη ὕβρις nihil aliud eſt, inquit, εὐτραπελία, niſi eruditum & urbanum conuitium. Mirificè igitur quadrabat cognomẽ hoc Volumnio (eutrapelus enim ille dicebatur, ut oſtendit Cicero in epiſtolis ad Pætum: Quæres ubi? apud Volumnium eutrapelum) ſi ex leporibus, quibus uſus eſt in epiſtola, & ſalibus à quo ſcripta erat, intelligi potuit, cùm aliter ſciri uix poſſet. Erat enim Volumnius quidam Senator temporibus iiſdem, Ciceroni ualde familiaris. Hic eutrapelus, de quo Cicero loquitur, eſt Volumnius ille (ut puto) qui cùm Antonium in caſtra ſecutus eſſet (delectabatur enim huiuſcemodi hominibus: neque in maximis etiam rebus has uoluptates, quas mimi & ſcurræ præbent, ſpernebat) incidit in manus Bruti, & ab amicis ipſius trucidatus eſt, cùm non benè illi uocem imperatoris accepiſſent, & antea Volumnio huic irati eſſent, & alteri eiuſdem ſtudij homini Saculioni appellato, quòd dicacitatem eorum, qui in ea etiam fortuna à ſcommatibus non abſtinerent, ferre non poſſent. Hæc tradit Plutarchus in M. Bruti uita his uerbis: ἦν δέ τις βολούμνιος μῖμος καὶ Σακουλίων γελωτοποιὸς ἠλωκότες, οὓς ἐν οὐδενὶ λόγῳ τιθεμένου τοῦ βρούτου. & quæ ſequuntur. Nam fuiſſe illum Antonio familiarem, teſtimonio Ciceronis confirmatur, qui in XIII. Philipp. inquit, Addite Antonij colluſores, & ſodales, Eutrapelum, Melam, Cælium.*

Ibid

Ibidem.

In his etiam Seſtiana. *Quis fuerit hic Seſtius, cuius dicta ita inſulſa eſſent, ut prouerbio locum fecerint, quærendum. Suſpicor illum intelligi, quem politiſſimus poëta Catullus & ipſe deridet, & ſecum peſſimè actum eſſe tradit, quòd eius conuiua eſſe uoluerit: cùm in illius ſcripta inciderit, quæ tantum morbum repentè ei conciliarent, ut uix in agellum ſuum confugiens, atque ibi ſe diligenter curans, illum pellere potuerit:*

Nam Seſtianus dum uolo eſſe conuiua.

cum enim iiſdem temporibus Cicero, Catullúſque uixerint, de iiſdem etiam hominibus mentionem faciunt: nam Seſtium inſulſum hominē fuiſſe, & ineptum ſcriptorem, ex loco illo ad Attic. perſpicuum eſt, 405. In quo accuſaui mecum ipſe Pompeium, qui cum ſcriptor luculentus eſſet, tantas res, atque eas, quæ in omnium manus uenturæ eſſent, Seſtio noſtro ſcribendas dederit: itaque nihil unquàm legi ſcriptum σηστιωδέστερον, id eſt inſulſius. quod facilius probari poſſet ab illo ſcriptum eſſe, quod melius illum redderet: luſit enim in Latina uoce Cicero Græcorum more illam conformans.

Libro 7. Epiſtola 33.

Pinnigero, non armigero in corpore. *Quemadmodum in antiquis codicibus ſcriptum inueni, ita ſcripſi: præcipuè enim Medicei ſcripturam animaduerſione dignā iudicaui: eadem enim eſt, quæ in uetuſtis lapidibus. Nam paulò ſuprà* INGEMESCEMVS, *in eo legitur, ut in epiſtola Cæcinnæ* CONTREMESCO, *& non multò antè ad Curium* AVEM ALVAM, *pro albam. nec me latet, ueteres literatos uiros de hac uoce, quomodo ſcribenda eſſet, inter ſe concertaſſe. Accurati quoque ac docti hominis uerba ſunt ſuper illo Vergilij, formidine pennæ. In Ro-*

mano pinnæ more ſuo,contra Capri ſententiam.

E *libro Cælij ad Ciceronem,Epiſtola 4.*

Noſtri equites. *Cuncti anteà,impreßi quoque codices,* EQVITES *habebant: Medicæus codex & ipſe eo loco perturbatus.*

Ibidem.

Ratione,& inſidijs vſus videretur in euitandis eorum conſilijs. *Nulla in re diſcrepat à uulgata lectione ſcriptura,quæ in Medicæo eſt:quare etſi quædam dura ſunt, nihil auſim immutare.*

Ibidem.

Lælios. *Medicæus item* LAELIOS *nulla uarietate, nam locus in epiſtola Metelli,ubi anteà* LAELIVM *legebatur,nunc* LOLLIVM, *à nobis ope Medicæi codicis caſtigatus eſt:cui ſi fidē tunc habuimus,quòd* LOLLIVM *habuit,ubi cæteri omnes* LAELIVM: *non poſſumus nūc facilè eidem non credere,quòd* LAELIOS, *cum omnibus alijs,& impreßis,& manu ſcriptis habet:nam coniectura illa leuis eſt, quòd* LOLLIOS *legendum ſit,quia illi Cæſaris amici in ciuili diſſenſione fuerunt:tunc enim Pompeianus erat Curio,& ſententias illas in Repub.defendebat,quæ Cæſari aduerſarentur,quod ab omnibus hiſtoricis traditur. Repentè autem ille totus mutatus eſt, quemadmodum etiā Cælius oſtendit,cum inquit* 110. *Quod tibi ſuprà ſcripſi,Curionem frigere,iam calet:nam frequentißimè concerpitur:leuißimè enim qui de intercalando non obtinuerat,transfugit ad populum, & pro Cæſare loqui cœpit.*

Libro 8. Epiſtola 5.

Nam ſi hoc more moderari poſſemus. *Ita olim in omnibus impreßis necnon etiā manu ſcriptis codicibus*

legebatur: ipſe coniectura ductus emendaui, ſi hoc modera-ri poſſemus: ſuperuacaneámque exiſtimaui totam uocem MORE, *& ex primis ſyllabis conſequentis dictionis ne-gligentia librarij conflatam, quemadmodum antea arbitra-tus ſum in uetere illa ſcriptura* INANIMO MAGI-STRATU, *à librario peccatum eſſe, &* INANI MA-GISTRATU, *legi oportere.* Nonnulla *ſunt huiuſcemo-di menda in priſcis exemplaribus, quæ inde in libros excu-ſos fluxerant: eorum autem partim ſublata ſunt, partim adhuc manent.* In *Medicæo ſic locus ille legitur in epiſtola ad* Cornificium, *primum in ſpem libem libertatis ingreſſus ſum.* Id *tamen erratum facilè cognitum.*

Eadem Epiſtola.

Quodam ſilice iam omnia. *Quid de hoc loco ſen-tiremus, olim planum fecimus, & quam ad illum reſtituen-dum opem dare potuimus, tunc præbuimus.* Non *poſſumus in tantis anguſtijs temporis tantiſque tenebris aliquid lu-cis uidere. quod de eo etiam loco dicimus, qui hunc ſequitur: ille enim quoque ut olim docuimus, non minoribus maculis inquinatus eſt.*

Libro 8. Epiſtola 6.

Leuiſsimè enim quia de intercalando non o-ptinuerat. *Sermo eſt de* Curione, *qui cùm antea ſenatum defenderet, & contra Cæſarem ſententias diceret, ſubitò transfugit ad populum, & pro Cæſare loqui cœpit, quod incredibilem ipſius inconſtantiam declarauit, quare uerè hic Cælius inquit, Leuiſſimè enim, & quæ ſequuntur. qui locus cum mendosè antea legeretur, à me purgatus eſt, & ratione ipſa hortante, & autoritate uetuſti codicis: ita e-nim legitur in Medicæo: quam animaduerſionem ut fir-mam, & apertam tunc argumentis, & teſtimonijs confir-*

R 5 mand

mandam eſſe non putaui. Manutij tamen BELLISSIME, *in poſteriore ſua editione, quemadmodum in priore fecerant ſcripſerunt.*

Eadem Epiſtola.

Turpe tibi erit pantheras Græcas me non habere. *Lectionem hanc inuentam à me in cunctis manuſcriptis, & impreßis codicibus retinui: Pantheras Græcas appellat, quæ in Pamphilia, & Cilicia caperentur, quibus prouinciis Cicero præerat. Græci autem homines eas incolebant, ut diſtinguat ab Africanis: nam in Africa etiam naſcuntur, quod non multò pòſt Cælius declarat, cùm inquit, Quæ ad ludos ei aduectæ erant Africanæ, eaſdem à nationibus ac populis, apud quos naſcerentur, uocauit Cicero, ad Atticum ſcribens, Cibyratas. Quàm rectè igitur fecerint, qui ex ingenio legunt,* PANTHERARVM GREGES, *facilè cognoſci poteſt. Vidimus Florentiæ Africanam, quam deuicto ſæuißimo archipirata, regnóque quod occuparat ſpoliato, Carolus imperat. ex Africa aſportauit, Florentiæque reliquit: ibi autem cum publicè aleretur, mortua eſt.*

Libro 8. Epiſtola 7.

Nondum retulerat. *Locus ualde obſcurus: Mediceus codex (nihil enim melius mihi facere poſſe uideor quàm ueterem ſcripturam in his difficultatibus indicare)* Nondum retuleras. *Aliorum coniecturas non reprehendo, etſi illis non ualde aſſentior.*

Libro 8. Epiſtola 8.

A' quodam ſuo emiſſario eſt factus. *Peccarunt noſtri librarij dum ueterem ſcripturam, & maximè Medicei codicis, exſcriberent: dictionem enim omiſerunt, quæ antè* RVSTEIO *poni debebat, ea autem hæc eſt.* EMISSA.

SA. *Dolet peccatum illorum cauſam fuiſſe erroris docto, ac diligenti uiro, & tamen quod ille ex Aſconij commentarijs erutũ huc accommodari poſſe cenſuit, adhuc, ſi modò uerum eſt, defendi poteſt: quod ſcilicet ad Tetium pertinet: legi enim poteſt.* A' quodam ſuo emiſſario eſt Tetio factus. *nam S, ſignificaſſe olim Sextum, uix credo: præterea poſt* FACTVS *in uetere exemplari* EST *non legitur, quod uerbum hic neceſſarium eſt, ut fortaſſe poßit concinnari ex literis illis quæ confícto emiſſario è priſcis ueſtigijs, reliquæ ſunt, ut nihil addi ad uulgatam lectionem niſi* TETIO *neceſſe ſit, quod tamen nec ualde confirmare, nec diluere uolumus: eſt enim res dura, ſed ſubtiliter excogitata.*

Ibidem.

L. Atteius L. F. A. N. Capito. *Cum diu anceps in hac lectione fuiſſem, exiſtimaui tandem, non incommodè ita legi poſſe: in qua ſi uitium ullum eſt, huiuſcemodi eſt, quod defendi poßit, nec abſurdam ullam ſententiam habeat. Manutij prima ſua editione literas illas, quæ ſcrupulum habebant, & quæ ipſis & alijs negotium faceſſebant, ſuſtulerũt, atque ita ſe putarunt omni moleſtia liberare. Hanc ipſorum culpam tacui, quæ & magna eſt, & antiquis ſcriptoribus periculoſa, ſi quis quæcunque non intelligit, in illis delet. Quanto modeſtius me, liberaliúſque geſſerim, dicere non oportet: nam me, fidémque meam laudare mihi nunc propoſitum non eſt. Quòd putant literas illas ſeiungi non oportere, non reprehendo: intelligo enim ipſas Tribum ſignificare poſſe. Si negant ueteres in titulis, monimentiſque non patris ſolùm nomen, ſed aui etiam ponere ſolitos, facilè redargui poſſunt: ex Ciceronis enim libris, & aliorum optimorum autorum hoc intelligitur. Qui Romæ priſcas inſcriptiones curioſius legerunt, paßim hoc animaduertere potuerunt*

tuerunt

tuerunt. poſſemus infinita exempla afferre, ſed non erimus nunc pluribus citandis teſtibus, quàm oporteat, ambitioſi. In magno illo uolumine, quod Epigrammata antiquæ urbis *inſcribitur, multis locis hoc obſeruari poteſt: Sed maximè pagina* CXXII. *nec non pagina* CXLVI. *in quibus plurima uirorum nomina ſcripta ſunt, quæ cuncta aui quoque nomen retinent, & notis his ſemper ſignata, quibus ea tunc ſignari conſuetudo fuerat.*

Ibidem.

Ad ex Kal. Mart. *Locus* Varronis *reſtitutus magno auxilio eſt ad docendum, immutari debere ordinem priorum harum uocum, & pro ad ex kal. legi debere* EX AD KAL. *quemadmodum* Paulus *quoque emendat. Illum autem iampridem nos caſtigauimus, ſtatimque ſuſpicati ſumus, hanc eſſe huius loci germanam lectionem. Cùm* Romæ, XXX. *ferè menſes ſunt, fuiſſem, ſæpe, multúmque cum* Marcello Cer*uino, qui poſtea in ampliſsimum ordinem à* Paulo III. Pont. Max. *cooptatus eſt, de ſtudijs literarum locutus ſum: cúmque ſemel ſermo incidiſſet de uetuſtis exemplaribus, dixi* Florentiæ *priſcum codicem* Terentij Varronis *inueniri, librorum quos ſcripſit de agricultura: magno ſtatim deſiderio ille affectus eſt librum hunc uidendi, à méque diligenter petijt, cùm* Florentiam *redijſſem, darem ſaltem operam, ut cum impreſſo aliquo conferrem, & ad ſe cuncta accuratè adnotata mitterem. Non potui hoc amiciſſimo, & optimo uiro denegare. Cúmque in antiquo docuiſſem menda quædam reperiri, uoluit ille notari à me locos, quos putarem caſtigatius illic legi, in impreßis autem deprauatius, in quo ei quoque morem geßi. Hunc autem in primis notaui, quem ibi ſincerè legi, in impreßis uerò mendoſißimè iudicabam. Volui autem codicem illum ſummo ſtudio à me, cum antiquo*

colla

collatum communem illi eſſe cum Angelo Colotio, ſancto, ac docto uiro. Citaui igitur huius rei optimos, ac locupletiſſimos teſtes. Sed aliud etiam auxilium habebam, non minoris momenti, quo locum hunc Cælij ita caſtigandum eſſe animaduerteram. nam eodem illo in Lapide Colotiano, de quo ſuprà mentionem feci, ita legitur, EX A. D. V. K. DEC. AD PR. K. IAN. SEXT. *Vtinam integer eſſet, magnam utilitatem ſtudioſis literarum afferret: eſt enim Ciceronis temporibus exaratus.* Vt *ut autem eſt, & ut à me exſcribi potuit, hic eum adponemus, nam huic præcipuè loco accommodatus eſt, in quo etiam bis ſunt literæ illæ, quæ in illo lapide ſæpe leguntur, id eſt.* V. F. *Quin autem* VERBA FECERVNT, *ſignificent, dubitari non poteſt: id enim Cicero infinitis locis declarat: apertè autem in* x. *Philipp.* 792. *Quod Panſa* COS. *uerba fecit de literis: & quæ ſequuntur.*

*

C. IVL

C.IVLIVS CÆSAR IIII.SINE CONLEGA DIC. IL.SESTIVS P.F.I
V.F. Q. FABIVS MAXIM. C. TREBONIVS C.F. M.CLAVDIVS M.F. LAP.
C. CANINIVS C.F. L.MVNATIVS PAVL.ÆMILIV
VLIVS CÆSAR DICT.IV.M.ÆMILIVS M.EQ. Q. ÆMILIVS LEPID.MLO
C.IVLIVS CÆSAR V.M. ANTONIVS M.F. M.APPVLEIVS SEX.F.P.SI
VF. P.CORNELIVS P.F. C.SENTIVS SATVRN. Q. LV.
C. VIBIVS C.F.PANSA. A.HIRTIVS A.F. VF. M.VINVCIVS P.F.
C. IVLIVS CÆSAR. Q. PELIVS. Q.F. P.CORNELIVS P.F. CN.C.
V.F. C. FVRNIVS CF. C.IV
C. CARRINAS. C.F. P.VENTIDIVS.P.F. CL. L.DOMITIVS CN.F.P. CO.
MILIVS M. ANTONIVS V.F.L.TA
EX A.O.V.K. DEC. AD. PR.K.IAN. SEXT. M.DRVSVS L.F. L.
MVNATIVS L.F.M.ÆMILIVS M.F. M.LICINIVS M.F.
NTONIVS P.SVLPICIVS CEN. LVSTR.N.F. TI. CLAVDIVS TI.F
ANTONIVS P.SERVILIVS. P.F. M. VALERIVS. M.F.
N.DOMITIVS M.F. C. ASINIVS CN.F.
VF. CORNELIVS.L.F. VF.P.CANIDIVS P.F.V.F.C. VALGIVS C.F.
C. CANINIVS

Ibidem.

S.C.A. Pridie Cal. Oct. in æde. *Mediceus codex cùm ſuprà nihil ab impreßis hac parte diſcreparit, hîc ab illis diuerſus eſt: neque enim habet tres illas priores literas, ſed earum loco* I. V. *ſic enim in eo ſcriptum eſt,* I. V. PR. CAL. OCT. *quam rem explicare, ut uerum fatear, non poſſum.*

Eadem Epiſtola.

Quo minus de R.P. quamprimum ad Senatum referri. *Ita in Mediceo ſcriptum eſt.* quominus de Rep. Q. P. ad Senatum referri. *Hoc autem adnotaui, non quòd in impreßis ullum mendum ſit: ſed ut notæ illæ ex hoc loco percipiantur, nam maiorem partem huiuſcemodi notis in S. Conſultis, & huiuſcemodi rebus uſos fuiſſe ueteres, planum eſt.*

Ibidem.

De ea re ad Senatum, populúmque referri. *Mediceus liber.* De ea re publica adhuc ordinem referri. *Arbitror legendum,* De ea re *ad hunc ordinem referri.*

Libro 8. Epiſtola 9.

Curionem prorſus non mediocriter obiurgatus hac repulſa ſe mutauit, *Mediceus liber.* Curionem prorſus Curionem non mediocriter obiurgatus hac repulſa ſe mutauit. *Quare non aſſentior illis qui uoce hac* OBIVRGATVS *offenſi, cenſent aliter legendum eſſe: nulla enim illius lectionis in antiquis codicibus ueſtigia inuenio.*

Libro 8. Epiſtola 11.

Et poſſet rem impedire, ſi vt numeraretur poſtularet. *Ad Atticum de hoc ipſo negotio agitur & de*

Hirri

Hirri uoce, qui & ipſe affirmabat in poteſtate ſua fuiſſe, ſi uoluiſſet impedire, cuius uoluntas mirificè Ciceroni grata fuit: & cùm uideret incipere illum ſibi placari, ſtudioſius ei rei operam dedit, ſi poſſet illius gratiam diligentia amicorum ſibi reconciliare. In *Medicæo nulla uarietas eſt: quod alij excogitarunt legi debere,* NVMERVS DARETVR, *non reprehendo, nec magnopere laudo: tota res melius perciperetur, ſi mos ille numerandi hoſtias cognitus eſſet, de quo hîc & ad* Q. Fratrem *agitur.* Nam HOSTIBVS, *nullo pacto legendum cenſeo, & ijs argumentis ductus quæ à me olim adlata ſunt, & autoritate priſcorum codicum, qui duobus in locis ubi impreßi omnes corrupti erant, fideliter, ut puto ueram lectionem cuſtodierunt.* V*tinam autem tam facilè meam lectionem tueri poſſem, quàm uulgatam refellere.*

Libro 8. Epiſtola 12.

Vix hoc erat Pola elocutus. *Hanc olim ipſe lectionem adnotaui ex Medicæo libro, quam tunc non reſtitui: quia non incideram in locum illum ad* Q. Fratrem, *ubi de* Pola *accuſatore mentio eſt, quod tamen non multò pòſt feci. Neque tamen is ſum, qui aut omnia legerim, aut quæcunque legerim memoria firmiter teneam:* V*num intelligi poteſt, hanc ſinceram lectionem (ut ipſi quoque affirmant) in nullis à quibuſdam inuentam eſſe uetuſtis codicibus: quos tamen, ut aiunt, & multos, & uetuſtißimos habuerunt: non enim teſtimonium citarent Medicæi codicis.* Hoc *autem ideo adnotaui, ut omnes intelligant, unum hunc & uetuſtate, & fidelitate longè omnibus alijs antecellere.*

Libro 8. Epiſtola 15. *ad finem.*

Ipſe catenatus. *Hunc totum locum peßimè acceptum*

olim

olim reſtitui, ac declaraui, & niſi fallor neque ad ſententiam, neque ad elegantiam uerborum aliquid deſiderari poterat: fuere tamen, qui legi melius putarint, pro IPSE CATENATVS PSECADE NATVS, *quorum acumen non contemno: maluiſſem tamen eos tantam ingenij aciem, ubi opus erat exercere: hoc enim ab illis excogitari nullo pacto hic neceſſarium fuit: ex uetere enim lectione egregius ſenſus ducitur, & illa nimis dura, & uiolenta eſt.* Q*uod autem facere uoluit Cælius, ſi ita legeretur, non feciſſet: ſtuduit enim afferre antithcton ſuperioribus illis uerbis,* VENERE PROGNATVS. *nec maius excogitare potuit, quàm appellare* Bellienum *ipſum, catenatum: quæ fortuna etiam in ſeruis deterrima eſt.* Nam *quòd ancilla natus eſſet, iam antè oſtenderat, cùm eum uernam appellauerat, neque hoc conterere, ac deprimere conditionem illius erat.* Dolet *ac uehementer quidem dolet, mihi eam neceßitatem impoſitam, ut ijs aduerſer à quibus nulla in re diſſentire uellem, id tamen feci quàm parcißimè potui.* Nam *quod in antiquis* CADENATVS *legitur, nullo diſcrimine ueteres librarij duabus illis literis utebantur, quod ex* Medicæo *facilè colligitur: nam crebro* IN QVID *ſcriptum eſt, & contra* ILLVT, ALIVT, ANIMATVERSVM, AT, *pro* AD, In *epiſt.* C*ælij,* P*aucis uerbis iterum, qui multos ſæpe dies at te, cùm hic eras, non accedebam. nunc cotidie non eſſe te, at quem curſitem, diſcrucior.*

E *libro ad* V*arronem,* E*piſtola* 2.

Caninius idem & idem noſter. H*æc eſt* M*edicæi codicis cum alijs, quos uidi, manu ſcriptis lectio, iam tunc à nobis reſtituta: quam ueriorem credimus, quia eadem eſt in indice antè librum illum poſito: unde facilè exiſtimari*

non poteſt, culpa librarij hoc commiſſum eſſe, cum duobus locis nulla uarietate eadem uerba ſcripta ſint: nam quomodo locus ille de Diuinatione ſimilis priſtinæ huius loci lectioni dici poßit cogitent doctiores.

Eadem epiſtola prope finem.

Nauare Reipub. Priſcam huius loci ſcripturam iam pridem notam fecimus, & quid turbatum in ea eſſet docuimus, ac penè inuiti, ac coacti: tamen quondam ſuſpicionem noſtram expoſuimus, cui nihil nunc addimus, niſi quod locus eſt in proœmio ſecundi libri de Diuinatione, qui huic ſimilem, uel eandem potius ſententiam habet: illum igitur adſcribam, uidetur autem mirificè hanc ſententiam adiuuare. In libris enim ſententiam dicebamus, concionabamur, philoſophiam nobis pro reipub. procuratione ſubſtitutam putabamus. In communi lectione manifeſtum uitium, quomodo enim rectè nauare reipub. dictum eſſe poßit, niſi intelligatur opus, aut ſtudium, non uideo: hoc autem nimis durum.

Libro 9. epiſtola 3.

Etſi quid ſcriberem non habebam, tamen Caninio ad te eunti. Ita olim emendauimus, & autoritate ueterum codicum moti, qui huius lectionis non parua ueſtigia retinent, & elegantiore hoc ſermone delectati. Medicæus igitur liber, ut alios taceam, tamen animo ad te eunti. Quod ſi primam literam huius nominis illi uoci addas, & ex penultima duas facias, qui error procliuis eſt: prorſus CANINIO effeceris. Quòd ſicui audax meum inceptum uidetur, cogitet eundem librarium eodem pacto non multò pòſt in eodem nomine ſcribendo peccaſſe: ubi enim in impreßis omnibus Caninius legitur, ſed plus ſacio, quàm Caninius mandauit. in Medicæo, ANIMVS

MANDAVIT. *Quemadmodum olim feci de hac tenui animaduerſione, nunc uerbum non feciſſem, niſi Manutij uulgarem lectionem meæ, non inſipienter excogitatæ præpoſuiſſent.*

Libro 9. Epiſtola 5.

Conſilij noſtri. *Hieronymi Ferrarij, magni ingenij, ac multarum literarum iuuenis, animaduerſionem laudo, eiúſque ſententiam, & ut amici hominis, & ueritatis defenſoris libenter ſequor, ſanè in Medicæo ita legitur* Conſilij noſtri, niſi eos qui id ſecuti non ſunt non pœniteret n.p.p. *Quare minus à uetere lectione diſcedit, qui eam quam Hieronymus excogitauit lectionem ſequitur, quàm qui uulgatam lectionem retinere uellet: ex illa enim &* non *tollendum eſſet quod fecerant, & fortaſſe etiam plura: nam illud* quidem *non parum mihi quoque ipſam turbare uidetur. in noua igitur (nouam appello, quæ nuper exorta eſt) & elegantior ſenſus eſt, & plura priſcæ ſcripturæ ueſtigia.*

Libro 9. Epiſtola 6.

O ſtiæ uideri commodius. *Ita olim ex uetuſtis libris ſcripſimus: Medicæus certè* OPTIAE *habet: quare mendum omnino in uulgata, & communi lectione eſſe arbitramur, cùm tantopere à uetere diſſentiat. Qui noſtram non probat, ipſe meliorem ex antiquis ueſtigijs eruat.*

Libro 9. Epiſtola 7.

Quin æquis viris. *Communem lectionem cùm liber editus eſt, ſecuti ſumus, nam in omnibus impreſſis (exceptis Manutianis in quorum priore, ac poſteriore editione mendoſius adhuc* EQVIS VELIS *ſcriptum eſt)* AEQVIS VIRIS *perperam legebatur: animaduertimus tamen non multò pòſt in Medicæo codice* EQVIS

VIRIS, ſcriptum eſſe, longè diuerſo prioris uocis ſignificatu: & de tota re accuratius diſſeruimus in fine noſtri libelli, ubi errata impreſſorum correximus. Quare in ea ſententia perduramus, & hîc omnino EQVIS VIRIS legendum eſſe putamus, quemadmodum ad Q. Fratrē etiam & in oratione VIII. contra Antonium. Locus etiam ille in extremo III. libri de officijs, qui mendosè in cunctis impreßis legitur, in manu ſcriptis nonnullis integer eſt, Cum his uiris equíſque ut dicitur, &c. Quare hoc exemplis quæ hanc lectionem confirmant, addere nunc libuit, quum olim relictum eſſet. Quòd ſi ullus mihi ſcrupulus reſtabat, ſtatim euulſus eſt, quòd uidi Iacobum Sadoletum ſanctißimum atque integerrimum uirum (quem honoris, & amplitudinis cauſa nomino) ita ſcripſiſſe, cùm hoc prouerbium in ſuis illis elegantißimis libris uſurparet, quibus deſiderium nobis lenire uoluit, quo cōficiebamur libri Ciceronis Hortenſij appellati, & quod cupijt mirificè cōſecutus eſt. Quis enim nunc librum Ciceronis magnopere deſiderat? Cur autem autoritatem, & iudicium illius uiri in purgandis Ciceronis ſcriptis non ſequar? qui non tantum menda tollere conſueuit, ſed totos etiam libros uetuſtate amiſſos nobis reſtituit.

Lib. 9. Epiſtola 10.

De P. Syllæ morte. Trib. locis Syllæ huius ſectoris à Cicerone mentio facta eſt, quamuis ſemper diuerſis prænominibus ille diſtinctus ſit, quod culpa librariorū factum puto: eundem omnino hominem in ijs omnibus locis affirmarim: nam, quin in epiſtolis ad Caßium idem, de quo nunc ſermo eſt, intelligatur, dubium eſſe non poteſt: tempora enim conueniunt, & ijſdem penè uerbis tota res narratur: iam iocatus eſt de morte illius Cicero cum Caßio, quemadmodum

admodum nunc cum Dolabella facit. Tertius locus eſt, ubi auaritia illius accuſatur in II. libro de Officijs, ſic enim inquit: De haſta autem agebat, quam L. Sylla cum uibraſſet, dictatore propinquo ſuo, idem ſexto & trigeſimo anno poſt à ſceleratione haſta non receßit: nihil mirum igitur, ſi magno in odio erat apud omnes, cùm calamitatibus aliorum ciuium patrimonium ſuum conſtituere ſoleret, & in eodem nefario quæſtu auidè pòſt tot annos iterum uerſaretur.

Libro 9. Epiſtola 12.

Munuſculum mittere uolui. Officij mei quondam eſſe putaui ueterem huius loci ſcripturam notam facere, quod nunc repeto, quia alij in pluribus antiquißimis uocem, quam tunc diximus, in noſtris melioribus non inueniri, inueniſſe ſe affirmant, quibus fidem deeſſe non credimus, quemadmodum nos etiam hæc non fingimus. Medicæus certè codex ita legit: munuſculum mittere leui denſæ craſſo filo. Nihil tamen ne nũnc quidẽ immutamus. Eruditißimi illi, atque humanißimi uiri, de quibus antea locutus ſum, qui plura manu ſcripta exemplaria huius mei laboris adiuuandi cauſa accurate inſpexerunt, affirmant ſe in nullo VOLVI inueniſſe.

Libro 9. Epiſtola 14.

Deinde multa de facto, ac de re geſta. Interpretatur Græcam uocem πρᾶξιν, qua in epiſtolis ad Atticum in hac re exponenda non ſemel uſus eſt: multis etiam alijs in locis eodem Latino uerbo Græcum expreßit. In Philip. prima: Erectus enim maximi, & pulcherrimi facti conſcientiam. Ad Attic. ὦ πράξεως καλῆς μὲν, ἀτελοῦς δέ. & ſi cùm commode facere poteſt, Græco potius utitur. Recentiores interpretes Ariſtotelis in libris, quos confecit de ui-

ta, & moribus, actionem potius appellarent: putant enim diſtingui oportere apud Latinos diuerſas res diuerſis nominibus, quemadmodum apud Græcos fit: illi enim habent ποίησιν & πρᾶξιν, poſterioremque ſemper ſeruarunt, ut actionem redderent: quod Cicero, quemadmodum apparet, neglexit: nam hic non de manuum opere, ſed de ciuili facinore agitur.

Lib. 9. Epiſtola 15.

Intellexi pergratam illi. *Locum quem in optimis ac uetuſtiſſimis codicibus lacerum comminutumque eſſe docuimus, alij qui nullos locos iacere, ac deſperatos eſſe patiuntur, quoquomodo potuerunt reſtituere: de quorum lectione ſollicitus non fui, compertum habens, illam nouam commentitiamque eſſe.*

Lib. 9. Epiſtola 16.

Facetè dictorum famam. *Hic in paruo negotio dicere poſſum, quod fortiſſimus uir Braſidas Lacedæmonius multo maiore in re dixit: cùm enim traiecto clypeo ſpiculo transfixus in prælio fuiſſet, interrogatus poſtea, quomodo id factum eſſet, reſpondit, Clypeus me prodidit: idem ego dicere poſſum optimum, ac fideliſſimum Mediceum librum me prodidiſſe: cuius enim ope tanquam ſcuto me tegere conſueueram, id mihi uitio fuit. Cum* OFFENSIONEM, *non inueniſſem in eo, cogitaui non incommodè* FAMAM *legi poſſe: quæ res diu me ſollicitum habuit: tamen multis in locis inueniens Ciceronem ita locutum eſſe, cognoui erratum librarij, me quoque in errorem induxiſſe. In Verr.* III. *92. offenſionem negligentiæ uitare, atque effugere non poſſum. In epiſt. ad Sulpitium 48. Sed tamen quoniam effugi eius offenſionem, &c. Hæc exempla, quanquàm alia quoque ſunt, me in margine mei exemplaris damnata*

mnata lectione, quam repoſueram, adnotaſſe, teſtis erit mihi Proſperus Pacetus, doctus & officioſus iuuenis: qui mihi Ciceronis epiſtolarum uolumen nuper à Paulo impreſſum in Decimanum meum attulit, nonnulláſque horas mecum conſumpſit, quibus & quid de hoc, & de nonnullis Ciceronis locis ſentirem narraui.

Ibidem.

Cum volumina iam confecerit, ἀποφθεγμάτων ſi quid. *Scribi uolumus in noſtris libris tres dictiones has* VEL PER SE, *quas antea cuncti impreßi habebant, quia in antiquis libris non erant, nec idoneam ſententiam habere uidebantur: quòd ſi quis illas amat, hunc intellectum ex illis eliciat neceſſe eſt, Cæſarem per ſe, & à nullo admonitum diſtinguere poſſe ueras facetias Ciceronis à falſis. Si autem recordabimur quod paulò antè de admirabili ipſius ingenio Cicero dixit, nullo pacto hæc neceſſaria exiſtimabimus, ſed potius omnem ſententiam illa conturbare iudicabimus.* Non *laudamus igitur illos, qui has uoces in ſedem ab ipſis improbè occupatam reſtituerunt: cùm in ſermone de amicitia Cicero inquit, Multa breuiter & commodè dicta: intellexit* ἀποφθέγματα*: nam primo de Officijs Græcam etiam uocem adponens, iiſdem penè uerbis eam expreßit.*

Libro 9. Epiſtola 16.

Etſi poſuiſti loco verſus Accianos. *Ita olim emendauimus, cum in omnibus impreßis libris deprauatè* POSVISTI IOCO *legeretur: neque tamen ullum poſtea de hac caſtigatione uerbum fecimus. Quia tamen uidemus aliquos deprauatam potius lectionem, quàm integram ſequi uelle, ideo nunc ipſam coacti ueram eſſe docebimus, ab autoritatéque ueterum codicum initium ſumemus: nam in*

Medicæo,& in alijs uetuſtioribus LOCO *legitur:præterea ſententia elegantior eſt,& modus hic loquendi crebro à Cicerone uſurpatus* POSVISTI LOCO, *ubi congruebant,& mirificè quadrabant: in epiſtolis ad Q. Fratrem. Quod & ampla erāt,& loco poſita:* Top.343. *Concedunt tamen aliquid emptori,quod ornandi cauſa aptè,& loco poſitum uideatur.* Varro *de re Ruſtica lib.*1. *Quòd quæ ſuo quidque loco ſunt poſita,ea minus loci occupant. Cùm idem ſignificare uellet* Cicero II. *Tuſc. inquit adiungere loco.* Philo,*& proprium numerum,& electa poëmata & loco adiungebat. Quod exemplum mirificè huic loco aptum eſt,quamuis uerbum in eo diuerſum ſit.*

Epiſtola Eadem.

Quod mihi bonam copiam iures. *Probo Ferrarij declarationem,diligentiámque ipſius ualde amo,qui ex laceris,decurtatiſque* Terentij Varronis *commentarijs huius loci interpretationem ſedulò eruerit:& ne ullus alicui ſcrupulus relinquatur,affirmo infinitis locis in Medicæo ubi* I,*eſſe debebat* EI, *ſcriptum eſſe:ut in epiſtola* D.Bruti, ſine eiumentis, *ad Lentulum,* iei declarant. *paucis poſt uerſibus.* eidem ille Plato. *& ad Q. Valeriū,* Municipibus volaterraneeis. *Id etiam Latini librarij in Græcis uocibus faciebant,ut ſæpe non ſuis locis hanc diphthongum ponerent,ad Gallum, Quæ uidetur* λειπτήτητα *attuliſſe. ad Trebatium, Si tu ſtatueris* πολειτεύεσθαι *non oportere. Quod in priſcis etiam lapidibus non ſemel obſeruaui. Quibus omnibus exemplis,& ſexcentis alijs,ſi opus eſſet,planum fit,peruerſionem hanc nullam uim habere ad labefactandam ueram lectionem.*

Ibidem.

Cum rem habebas,quæſticulis te faciebam at-

tentio

tentiorem. *Hæc eſt Medicæi codicis lectio, quam uehementer probo: déque ipſa olim accuratius diſputaui. cùm rem habebas, cùm diues eras: quæſticulis, & lucellis te attentiorem faciebam: ut enim à lucro lucellum, ita à quæſtu quæſticulus ὑποκοριστικῶς. Verbum præterea* ATTENTIOREM, *quod quaſi patrimonij augendi rationem docet, & quo in hac re exprimenda optimi autores paßim utuntur, ualde ueterem ſcripturam confirmat. Terentius Adelphis: Attentiores ſumus ad rem omnes, quàm ſat eſt. Cicero ipſe in Verrem: Qui in re aduentitia, & hæreditaria tam diligens, & attentus fuiſſet.*

Lib. 9. Epiſtola 17.

Non modo me. *Hic quoque locus à me ope Medicæi codicis iam tum purgatus fuit: cum in cunctis antea impreſſis mendoſè* non modo non me, *legeretur.*

Eadem Epiſtola.

Et diſce iam προλεσομένας quas quæris. *Vereor ne hic locus aliquid mendi contineat, quod tamen ubi ſit indicare non poſſum: in tantis anguſtijs temporis, nihil melius mihi facere poſſe uideor, quàm ueterem ſcripturam notam facere, maioris ingenij, ac doctrinæ uiri totum hoc diligentius conſiderabunt. In Græcis autem, & Latinis uerbis uarietates aliquæ cernuntur: nam ſunt etiam qui Græca uerba commutent, & neutro genere* προλεγόμενα *ſcribànt qui etiam conſequens Latinum uerbum, ita conformant, ut Græco reſpondeat. Medicæus codex*, Et diſceam, προλεσομένας quas quæris, & ſi ſus Mineruam, ſed quomodo uidero, ſi æſtimationes tuas, *& quæ ſequuntur.*

Libro 9. Epiſtola 20.

Cum in ſumptus habeas. *Qui mendoſißimus antea erat, hunc locum reſtituimus, quod ita in noſtris priſcis*

exemplaribus ſcriptum offendimus, quem tamen leuiter ſuſpectum immeritò habuimus. Non ægrè ferimus, ſi aliquos huius laudis ſocios habemus, qui ſaltem nos amare deberent, quòd induſtriæ ipſorum locum inuenimus. Medicæus codex (illum autem antè oculos habemus, quo fidelius hoc opus nauemus) ut nunc animaduertimus IN SVMPTVM, *unitatis numero habet.*

Ibidem.

Ὀψιμαθεῖς autem homines. *Expreßit ut opinor Græcam uocem Horatius Sat. x. prioris ſermonum libri, cum inquit, O'ſeri ſtudiorum. Multa autem Græca uerba Horatius elegantißimè expreßit: cum enim plures ſententias ab eius nationis philoſophis ac poëtis acciperet, conſuetudinem quoque ſermonis ſtudioſè imitatus eſt.*

Ibidem.

Nos iam, & artis tantum habemus. *Medicæus* codex nos iam ex artis. *Quare ſuſpicati olim ſumus legi poſſe* ET ARTIS: *quam caſtigationem, aut ſequemur, aut abijciemus, prout illam ab eruditis aut laudari, aut damnari acceperimus. Hunc autem ſenſum eliciebamus: (dixerat enim antea ſe rationem uitæ mutaſſe, & cui ualde prius aduerſatus erat, Epicuro in diſciplinam ſe tradidiſſe) tantum in hoc ſtudio profecimus: non enim uſum tantum, & exercitationem habemus, ſed iam tantum artis, ut: & quæ ſequuntur. nec tamen huic ualde confidimus. non latet autem nos genus quoddam poſſeßionum Arcas eſſe, ex quo certi quæſtus capiebantur, & quibus minimè noceri poſſet, ut Cicero quoque in admirabilibus illis diſputationibus oſtendit. Quòd ſi quis communem lectionem amabit,* ex areis habemus: *opinor interpretabitur, ex areis tantos fructus capimus, ut nos impenſa non deterreat, ſed poßimus*

cœnas

cœnas ſumptuoſas facere.

Libro 9. Epiſtola 21.

Sed potius ἀπότευγμα meum. *Medicæus liber* NAΠΟΤΕΥΓΜΑ. *quare iam nunc* ἀπότευγμα *cenſuimus eſſe legendum: ita autem ueterem hanc lectionem confirmauimus ut, miremur aliquos deteriorem meritóque eiectam ſequi maluiſſe.*

Libro 9. Epiſtola 22.

Penicillus. *Non uideo cur neceſſe ſit receptam lectionem mutare: in noſtris ſanè priſcis exemplaribus eam inuenimus: potuit enim quemadmodum Sext.Pompeius Peniculus inquit, ita Cicero* ὑποκοριστικῶς *Penicillus dicere. Medicæus hic nulla in re ab impreſſis diſcrepat, niſi quòd* PENVM *habet, non* PENEM: *quod an probari poßit, doctiores uidebunt.*

Eadem Epiſtola.

Cum nos te volumus conuenire. *Quintilianus lib.*VIII.*(qui & ipſe de hac re doctè,& accuratè diſſeruit) ſiue iunctura deformiter ſonat, ut ſi cum hominibus notis loqui nos dicimus, niſi hoc ipſum* hominibus *medium ſit, in præfata uidemur incidere.*

Ibidem.

Non honeſtum verbum eſt diuiſor. *Medicæus codex* DIVISIOR, *quare* DIVISIO *legendum fortaſſe ſit: accuratè tamen uidendum, quid ſit obſcœni in hoc uerbo* DIVISIO, *ita enim loquitur Cicero, ut ſignificare uideatur, quamuis totum honeſtum ſit, in eo tamen deformitatem aliquam latere. nam in dictione Intercapedine, ſi nominatiuo caſu quis utatur, manifeſtum eſt: tunc enim Pedo dicetur, quod obſcœnum eſt, quia rem fœdam ſignificat: & ſi multi hunc locum ridiculè interpretantur, & ut*

ego

ego quid ſentio, liberè exponam, arbitror, qui DIVISIO *utitur in ſermone pudorem uiolare, quod in ea uoce pronuntianda dicat diuiſi, quod non aliter, ac* Pedo *obſcenum eſt quamuis diuerſum flagitium denotet: qui enim* Diuiſi *inquit, nefariam rem ſe feciſſe oſtendit.* Plautus *hoc uerbo eodem intellectu uſus eſt.*

Pol equidem dicam palàm, me non diuides.

Vt in uerbis etiam illis quæ honeſtiore ſignificatu huic reſpondent, quibus uſi ſunt qui confecerunt epigrammata in cuſtodem hortorum.

Præcidêre puer moneo. *& in alio,*

Furum ſcindere podices ſolebam.

Ideóque niſi fallimur, Cicero *inquit, cui reſpondet intercapedo. Nam ut qui* INCERCAPEDO *dicit, extrema nominis illius parte peccat: ita qui* DIVISIO *priore. An non oportet uerbum* DIVISIO *frangere, ac diſſecare? ut obſcenitas in eo intelligatur, in* intercapedo *ſanè neceſſe eſt, deformitas enim in eo diſſecto ac diſiuncto eſt, ſed in toto uerbo* DIVISIO *obſcenum ineſt, quod rem nefariam alio occultiore ſignificatu contineat. hæc autem uitia in oratione fiunt, cùm aut coniungitur, quod ſeparatum eſſe debet, aut quod coniunctum diſſecatur. Illis quæ quondam excogitata à nobis ſunt ad purgandam, & explicandam hanc epiſtolam neceſſaria (quæ doctrinæ, & elegantiæ plena eſt) hoc addere non inutile eſſe exiſtimauimus.*

Libro 9. Epiſtola 24.

Rufum iſtum amicum tuum. *Hanc epiſtolam (niſi fallor) ſcripſit Cicero poſt Cæſaris necem: quod uerba quoque hæc, quæ in ipſa poſita ſunt, declarant: Nam & Aquini & Fabrateriæ conſilia ſunt inita de me. De eadem enim re Cicero in Philipp. egit.*

Libro

Libro 9. Epiſtola 26.

Habeo inquit, non habeor à Laide. *Sic omnes ueteres libri, non ut Manutij iterum iam impreſſerunt.* Habeo, inquit, Laida, non habeor à Laide. *Suſpicari potius aliquis poſſet, ne ſemel quidem Laidis nomen ponendum eſſe, nedum bis collocetur: nam in Græco Ariſtippi dicto, quod à nobis apud Athenæum inuentum eſt, nuſquam eſt, & hæ uoces, quanto magis breues, conciſæq́; ſunt, tanto magis elegantes, & acutæ uidentur. Quod ex plurimis ueterum apophthegmatibus facile intelligi poteſt: ſunt enim illa pronunciata mira breuitate. Demetrius etiam ille Phalereus hoc apertè docet: ipſius enim uerba ſunt in commentario:* περὶ ἑρμηνείας: Ἐστὶ δὲ ἀποφθεγματικὸν ἡ βραχύτης, *præterea Cicero in Lælio, cùm naturam apophthegmatis exprimeret, inquit: Multa breuiter, & commodè dicta memoriæ mandabam. Et hæc fortaſſe cauſa eſt, cur Cicero exiſtimarit, melius hanc ſententiam Græcè dici poſſe, quàm Latinè, quòd breuius, conciſiúſque eo ſermone enuntietur: niſi potius quia non eandem uim apud Latinos homines habet* HABEO, *quam apud Græcos* ἔχω: & HABEOR, *quàm* ἔχομαι: *doctiores hoc iudicabunt: Clemens etiam ipſe in* II. *Stromate uocem hanc Ariſtippi, non tam preſſe tamen concinnéque eam protulit, hæc ipſius uerba ſunt.* ταύτῃ δῆλον οὖν τῇ δόξῃ καὶ ἀείστιππος ὁ κυρηναῖος προσέβαλλεν τὴν ἀλήθειαν αὐχοῦντος σοφιστοῦ ὀνειδιζόμενος οὖν ἐπὶ τῷ συνεχῶς ὁμιλεῖν τῇ ἑταίρᾳ τῇ κορινθίᾳ ἔχω γὰρ ἔλεγεν λαΐδα καὶ οὐκ ἔχομαι ὑπ' αὐτῆς. *Sententia igitur hic contentus fuit uerba non ualde eleganter compoſuit.*

Ibidem.

Et gemitum, & in riſus maximos transfero. *Hæc noſtra eſt in cunctis à nobis antiquis codicibus inuenta lec*

ta lectio: alij & gemitum etiam emendant, quos nec reprehendo, nec laudo, locus ſanè obſcurus eſt. Quare cum antè de omni hac parte accuratè diſſeruerim, uerbum de ea amplius non faciam.

Ibidem.

Cenam te quærere à mane dixeris. *Ita ſanè olim imprimi iuſſimus, quam lectionem alij poſtea probarunt, ac receperunt: ueruntamen cum accuratius de hac re cogitaremus, animaduertimus omnibus in locis ubi* A' MANE *eſt, ſequi ſtatim* AD NOCTEM, *aut* AD VESPERUM, *quemadmodum Plautus ſæpe locus eſt: quod ſcrupulum mihi iniecit an cum id ſeruatum hic non ſit, mendum inſit: & num prior lectio accommodatior ſit. Hirtius tamen libro dixit: Præſertim cum milites à mane diei ieiunij ſub armis ſtetiſſent defatigati.*

E' *Libro ad Plancum, Epiſtola* 1.

Et abſui proficiſcens in Græciam. *Vnum eſt, quod quamuis parui omnino ponderis fortaſſe multis uideatur, cùm plurimis in locis inuenerim, hìc potiſſimum adnotare uolui, in Mediceo codice* AFVI, *ſcriptum eſt: quod ſemper ille ſeruat: cùm* F *ſequitur, ut poſteriorem præpoſitionis literam abijciat: cuius rei Grammatici, ſi cum cauſa factum eſt, rationem inuenient: ego tamen hanc animaduerſionem ſpernere nolui ad Appium, Vt cùm tam longè affuturus eſſem. ad Trebatium, ſin fruſtra diutius afueris. ad eundem: Eram enim afuturus menſe Decembri. ad Cornificium, ſi culpa à quibuſdam afuiſſet. in epiſt. Lentuli. Tantum enim afuit. & alijs omnibus in locis. In Pandectis etiam Florentinis idem ſemper obſeruatum eſt, quo libro nullus nec antiquior, nec integrior eſſe exiſtimatur. Hoc tantum uariatum eſt hac parte, in antiquis quos*

uidi

uidi: nam non multò pòſt uulgatam lectionem habent.

Libro 10. *Epiſtola* 3.

Quam mihi tecum ſtatuo eſſe communem. *Mediceus liber.* ſtatuo habere eſſe communem. *arbitror legendum eſt*, debere eſſe communem, *elegantius omnino, quod tamen doctiores iudicabunt. Nunquam ferè tam deprauatum hunc codicem inueni, quin aliquid commodi ex eo capi poſſit, ad reſtituendos locos illos, qui integri falsò exiſtimantur.*

Libro 10. *Epiſtola* 8.

Victoriam partiremur. *Cum docuiſſem in Mediceo, & alijs uetuſtis* PATIREMVR *ſcriptum eſſe, non uideo cur nonnulli me ex ingenio* PARTIREMVR *legere doceant: nam quod ijdem rationes quibus uſus ſum parum firmas appellant, non ſunt fortaſſe tam inanes, quàm putant: non poſſunt autem hæc oſtendi* γεωμετρικῶς, *& ſi argumentis (ut illi dicunt) uſus non ſum, ſed potius autoritate priſcorum codicum addam exemplum Ciceronis, quod aliquam uim habet ad hoc confirmandum. In Philipp. Partirentúrque inter ſe, qui Capitolium, qui Hoſtia, qui urbis portas occuparent.*

Libro 10. *Epiſtola* 11.

Vnam Lepidi, ipſius alteram exercitus. *Ita puto legi debere, Vnam Lepidi ipſius, alteram exercitus: nam elegantior multò hæc eſt lectio, & nullo periculo corrigi poteſt: nulla enim deprauatio in uerbis, in diſtinctione tantum peccatum fuerat.*

Libro 10. *Epiſtola* 12.

Tua dignitas adferat. *In Mediceo* adfert *ſcriptum eſt:* AFFERT *igitur legi debet: contaminata ab imperito uera lectio fuit, qui dum credidit ſe emendare,*

corr

corrupit: quod Paulus etiam animaduertit.

Eadem Epiſtola.

Brauia, fugacia, caduca. *Receptam iampridem lectionem retinendam cenſeo, & ſi fuit cum & ipſe* FVCATA *legi poſſe exiſtimarim, quod tamen nunc non ualde probo: hæc enim ſententia eſt (ut opinor) huius loci, ut oſtendat, inanem gloriam* ὀλιγοχρόνιον *eſſe, & paruo tempore perdurare: cùm enim ſuprà inquit, Atque hæc omnia, quæ habent ſpeciem gloriæ, intellexit res fucatas, & quæ ſplendidæ, ac honeſtæ uidentur, non tamen habent ueram ac ſolidam gloriam, neque ueram dignitatem, quas omnes imbecillas rectè dixit, & facilè euolare è manibus. Si enim hîc* FVCATA *legeretur, cùm uerba illa, quæ habent inanem ſpeciem gloriæ, nihil ſignificent, niſi quæ fucata ſunt (ſi quis* μεταφορικῶς *loqui uult) dixiſſet Cicero quæ fucata ſunt, fucata ſunt, quod probari nullo pacto poteſt.*

Libro 10. Epiſtola 15.

Cunctatus non ſum in curſu bonorum conſiliorum: Lepidum adiuuandum putaui. *Interpunctiones non ſuo loco collocatæ, ut puto corrumpunt elegantiſsimam ſententiam: ipſe enim prorſus ita legendum exiſtimo.* Quibus rebus ego cognitis cũctatus non ſum: in curſu bonorum conſiliorum lepidum adiuuandum putaui. *Quamuis omnia nunc plana & aperta eſſe opiner, præclaréque intelligi, ac probari etiam iudicium meum, tamen ſenſum meæ lectionis breuiter exponam: Quibus rebus cognitis ſummam celeritatem adhibui putauique officium meum eſſe Lepidum adiuuare, dum bona ac reipub. utilia conſilia animo uerſaret: quod non ſæpe ille faciebat: Nam ſi legemus quemadmodum antè in cunctis impreßus*

erat,

erat, Cunctatus non ſum in curſu bonorum conſiliorum: *aut nullus, aut durus, & inſulſus prorſus ex hac lectione ſenſus elicietur.*

Libro 10. *Epiſtola* 16.

Tum erant grauiſsimis verbis, ac ſententijs. *Ita hunc locum emendauimus, cùm in omnibus impreßis,* Sententijs plenæ *legeretur: id autē fecimus, ſecuti fidem priſcorum codicum, in quibus poſtremæ uocis ueſtigium nullum reperitur: & Quintiliani autoritatem, qui affirmat, Ciceronem ita ſemper hoc uerbo uſum eſſe, ut diceret,* Plenum uini, *&* non Vino, *ut poſteriores fecerunt: non dixiſſet igitur* Plenæ uerbis, ac ſentētijs *Cicero. Quemadmodum autem ſine ea uoce ſenſus manere poßit, obſcurum non eſt. Quod in Catone maiore Cicero inquit,* Haud magna cum re, ſed fide plenus, *non eſt ſeptimus caſus* FIDE, *neq; contra teſtimonium Quintiliani hoc facit: ſed ita ab eo dictum eſt, ut in epiſtola quæ hanc ſequitur à* Planco *dictum fuit,* quo obſide fide illius ac ſocietatis. *Quod nos olim accuratè adnotauimus, nullam huius loci mentionem feciſſemus, niſi Manutij in poſteriore, quemadmodum in priore ſua editione fecerant,* Verbis, ac ſententijs plenæ, *legerent.*

Libro 10. *Epiſtolà* 17.

Quod me iuuare poſſet in caſtris. *Non receperunt hanc à me reſtitutam lectionem Manutij, quæ mihi ualdè probatur: aperui anteà unde mendum, quod impreſſos codices occupauerat, ortum eſſe poſſet: in antiquis enim libris* IVARE *ſemper ſcriptum eſt: ut in loco, de quo paulò antè egimus:* In curſu bonorum cōſiliorum Lepidum adiuandum putaui.

Ibidem.

De tribus fratribus Segauiano probauit. Ve-

reor ſanè, ne aliqua macula hunc locum fœdauerit: ſed cùm ita in cunctis manu ſcriptis legatur, & negotium de quo agitur obſcurũ ſit, periculoſum eſſe puto aliquid immutare.

Libro 10. *Epiſtola* 18.

Ventidijque mulionis caſtra deſpicio. De *admirabili huius fortuna plurimi ueteres autores locuti ſunt: nota ſunt omnibus quæ Gellius, quæ Dion, quæ alij quoque tradidere: cùm infimo loco natus eſſet, conſecutum fuiſſe ſummos honores: & gentem, cui nulli antea Romani Impp. pares fuerant, ipſum profligaſſe, ac tribus maximis prælijs uiciſſe. Quemadmodũ neceſſe erat, hæc res inuſitata, ac noua inuidiam illi faciebat: & non ſine ſtomacho, quibus cognita erat obſcuritas parentum ipſius, uidebant eum in maximis honoris, ac dignitatis gradibus collocatum. Plures in illum uerſus facti ſunt, quorum nonnullos etiam A. Gellius adponit, qui grauiter eum perſtringerent. Puto etiam elegantiſſimum epigramma, quod poſt luſus in Priapum Vergilij nomine ſcribitur, eundem accuſare: quamuis enim nomen eius in quem factum eſt poſitum non ſit, ſi quis tamen acutè perſpiciet, uidebit omnia illa mirificè Ventidio huic conuenire. intelligo epigramma cuius initium eſt,*

Sabius ille. quod imitatione nobiliſſimi illius Iambi Catulli factum eſt.

Phaſelus ille, quem uidetis hoſpites.

elegantis enim ingenij uir, quicunque ille fuit, uerbis penè Catulli ei ignobilitatem generis, & ſordidiſſimã artem obiecit. Quòd Sabinum ipſum appellat, exiſtimo à regione, in qua ortus erat, ita appellatum fuiſſe, nam Gellius Picentem illum tradit, qui populi uicini Sabinis ſunt. Neque repugnat, ut arbitror, quòd teſtes adducit, qui epigramma confecit Galliæ Ciſalpinæ ciuitates ſordium iſtius, & uiliſſimæ

artis quam tractauerat: quãuis enim in Sabinis ortus eſſet, in Gallia Ciſalpina artem mulionicam exercere potuit: aut ſi non in illis locis exercere, illac ſaltem ſæpe iter facere, ut incolæ eorum locorum ipſum hunc quæſtum facientem uidere potuerint. Gellius tradit, ipſum curandis mulis uictitaſſe: nam quæ in fine epigrammatis exponuntur, de altiſſimo dignitatis gradu ab ipſo occupato, reſpondent fęlicitati iſtius, & mirè quadrant ijs, quæ ab alijs de ipſo tradita ſunt. Sunt maculæ plures in epigrammate, quarum nonnullæ facilè tolli poſſunt, aliæ ægrè ut puto. ſed omnia doctiores, acutioréſque uiri accuratius conſiderabunt. Poſtquàm autem mentio ſemel elegantiſſimi carminis facta eſt, non malum erit, locum in eo deprauatum reſtituere: omnem enim occaſionem ſtudioſos adiuuandi arripiendam puto. In Iambo igitur cuius initium eſt,

Quid hoc negotij eſt: ita hic uerſiculus legitur,

Vuæq́; quales flaua non legit Crete.

legi autem debet,

Vuæq́; quales flaua legit Arete.

Hanc ueriorem eſſe lectionem dicimus, nam in manuſcriptis libris eam inuenimus, & habemus etiam non parua argumenta, quibus confirmetur: quemadmodum enim ſi ita legamus, omnia conueniunt, ita ſi modo repoſitam ſequamur, nonnulla parum reſpondent. nomen in primis quod ad CRETE *adiunctum eſt, nõ benè quadrat prouiniciæ, mulieri autem aptiſſimum eſt: neque quamuis nunc Cretenſe uinum in honore ſit, quæ optimũ uinum fundunt uites, eædem uuas* τρωξίμους, *ita enim appellant Græci edules, gignunt. Sed ijs argumentationibus relictis concinnior eſt hæc ſententia, & poëtæ familiarior. Arete enim uxor Alcinoi Phæacum regis fuit, cuius horti nobiles erant, & ab omni-*

bus poëtis decántati, nam in iiſdem his luſibus duo illi uerſiculi leguntur,

Si quot habes uerſus, tot haberes poma Priape,
Eſſes antiquo ditior Alcinoo.

Acuti ingenij, ac politæ eruditionis uir, hæc olim epigrammata caſtigauit, ac multa ex ipſis menda ſuſtulit: hunc tamen locum, dum corrigere uoluit, niſi fallor, deprauauit.

Libro 10. *Epiſtola* 18.

Itaque ad XII. cal. Iun. *Medicæus codex* A. D. XII. K. Iun. *Quemadmodum in lapide Colotiano legi ante oſtendimus*: EX. A. D. K. DEC. *id eſt, ante diem* XII. K. Iun. *Quam interpretationem harum literarum Paulus quoque probat. Ex his locis intelligi facilè poteſt integritas, ac fides Medicæi codicis.*

Libro 10. *Epiſtola* 23.

Quos legatos fide Lepidi miſſos. *Anteà Lepidi dimiſſos. Quis non uideat, qui attentè legat, ita ſcribendum eſſe, mendúmque ortum, quòd negligenter librarius poſtremam ſyllabam Lepidi bis ſcripſerit. Exponit Plancus, cur tantopere ſibi Antonius, ac Lepidus infenſi ſint, & in alijs rebus narrat ſibi illos ualde iratos, quòd Antonij legatos ad ſe miſſos Lepidi fide, nedum audire uoluerit, in conſpectum ſuum uenire prohibuit. Lepidi autem fide: quia fidem ſuam Lepidus interpoſuerat, à Planco illos uiolatum non iri. Legatos miſſos, ut paulò pòſt inquit, C. Catienum miſſum ab Antonio ad eum cum literis.*

Libro 10. *Epiſtola* 30.

Decimoſeptimo K. Mai. *Medicæus codex in hoc loco* Galba Ciceroni Sal. XVII. K. Mai, *In indice*: Galba Ciceroni Sal. ad XVII. K. Mai. *paruo omnino diſcrimine, ſed quod adnotari debuit.*

Eadem Epiſtola.

Amplius paſſus * vltra aciem. *In Mediceo, & in alij uetuſtis libris numerus defecit: alij repoſuerunt quingentos, qui nullum locum lacerum uideri uolunt: nobis diuerſum ſtudium, atque illis eſſe, iam omnibus manifeſtũ eſſe potuit: magnopere nos laboramus, nequid commentitium ac nouum in his epiſtolis legatur: illi non ſine cauſa omnia integra uideri uolunt, quaſi non multis in locis, & apud Græcos, & apud Latinos autores, & numeri, & notæ ponderum defecerint: melius autem nobiſcum ageretur, ſi ut ſunt manci illi, & laceri à typographis traderẽtur. In apophthegmatibus Plutarchi, quis nõ uidet, qui ſubtiliter illum locum animaduertit, notas defeciſſe, quæ pondus ſignificarent: uerba ſunt ex epiſtola Alexandri magni ad Leonidam pædagogum,* ἀπέσταλκά σοι τάλαντα λιβανωτοῦ καὶ κασίας. *hic enim prorſus pondus eſſe debebat, in ipſius uita idem autor cum pondus ponere nollet, aliter locutus eſt,* ἀπεστάλκαμέν σοι λιβανωτὸν ἄφθονον καὶ σμύρναν. *miſimus inquit tibi magnam uim & uberem copiam thuris, & myrrhæ. Sexcenta alia exempla huius erroris afferre poſſemus.*

Libro 10. Epiſtola 31.

Quæ res quanti æſtimem. *Culpa librariorũ primæ uoces diſiunctæ in noſtris ſunt, quod niſi quæres legi debere uidiſſem, nunquam receptam lectionem, quæ commodum habet ſenſum reieciſſem, ut hanc non benè ſibi hærentem reponerem. Eadẽ locutio eſt in epiſt. ad Catonẽ, Quæ res fortaſſe quid ſit quod ego hoc, neſcio quid gratulationis, & honoris, à Senatu, tanti æſtimem.*

Libro 10. Epiſtola 32.

Varo procons. *In Mediceo ſunt hæc uerba, & in*

cunctis quos uidi manuſcriptis: hoc autem adnotaui, quia nonnulli tradunt ſe uetuſtiſsimum codicem habere, in quo non legantur.

Eadem Epiſtola.

C. R. natus ſum. *Ita in Medicæo hic locus ſcriptus eſt. Ingenioſus, & eruditus iuuenis* Hieronymus *Corrigienſis ſuſpectum hunc locum, aut audio, habet, neque ut ego arbitror, ſine cauſa. cùm alijs in locis, in quibus* Cicero *induxit aliquos quiritantes, & hanc uocem edentes,* NATVS *non ediderit:* Cum *tamen in noſtris, ut omnes uidere iam poſſunt, non contemnendis, ut in impreſsis legatur, uidendum eſt an ideo ſe natum* Fatidius *ciuē* Rom. *diceret, ut magis* Galbam *abſterreret: quod maiore ſcelere, ei qui ciuis* Rom. *natus eſſet, manus afferretur, quàm illi qui factus: nā plurimis, uarijsq; de cauſis ciues* Rom. *fiebant, ut omnibus planum eſt: & in oratione pro* L. *Balbo diligentius de hac re diſputatur.* Domitius *etiam* Cos. Nouocomenſem *pulſauit, beneficio* C. *Cæſaris ciuem* Rom. *factum, ut oſtenderet, quòd à malo autore factus eſſet, illum ciuem* Rom. *non eſſe, & in beneficijs Cæſaris nullam uim eſſe.*

Eadem Epiſtola.

Denarios quingenos. *Codex uetuſtus qui quingentos habet, mendoſus eſt, & coniectura, quam nonnulli ſequuntur, inanis: qualis enim grandis illa pecunia ſit, tamen non ſine magna mercede legiones à Senatu defeciſſent, & imperatorem ſuum prodidiſſent.* Quàm *apertè autem decepti ſint, hic locus è lib.* XVI. *ad* Attic. *oſtendit, de* Octauiano *puero ſermo eſt.* Veteranos *quiqui* Caſilini, & Calatiæ, *perduxit adſuam ſententiam, nec mirum, quingenos denarios dat.*

Libro

Libro 10. *Epiſtola* 33.

Habere equitum *. *Nibil addimus ad ea, quæ olim hoc in loco à nobis diſputata ſunt, præſertim cùm nõ multò antè de ſimili loco diligenter diſſeruerimus.*

Libro 10. *Epiſtola* 34.

Imp. iterum. *Cur nonnulli hanc caſtigationem tantopere criminentur, non uideo: ſi caſtigatio appellari poteſt, & non potius antiqua, & ſyncera lectio, fideliter in Mediceo codice quatuor locis conſeruata, & nunc in ſuam ſedem in omnibus libris reſtituta. quemadmodum enim hic ante epiſtolas ipſas bis* IMP. ITER. *legitur, ita etiam in indice libri bis, ubi & tituli, & initia epiſtolarum adnotantur. Cur igitur credendum eſt non negligentem omnino librarium in eadem uoce ſemper peccaſſe, & eodẽ etiam pacto peccaſſe? In quibuſdam manu ſcriptis libris* TER *legi, me nunquam latuit, quin explicaui unde iſtud ortum eſſet accurate. An alij hoc uſurparint ante* Rempub. *ab Auguſto oppreſſam: ut quoties* Impp. *appellati ſint, ob rem bene geſtam, toties in titulis, monumentíſque id notari uoluerint, mihi compertum nõ eſt.* Vſurpaſſe Lepidum *quamuis nullum aliud teſtimonium habeam, quàm priſcorum codicum, affirmarem: nam in* S. C. *quod de ipſo factum eſt, & à* Cicerone *in oratione* 5. *contra* Antonium *poſitum, uidi antiquos libros, qui eundem hunc titulum ſeruarent.* Quòd *ſi argumentis in huiuſcemodi rebus locus eſt, quamuis à nullis anteà hoc* Imperatoribus *uſurpatum eſſet, non mirarer* Lepidum *leuiſſimum, ac uentoſiſſimum hominem, hoc primùm uſurpaſſe: ab aliquo enim hæc conſuetudo fluxerit, neceſſe eſt.*

Eadem Epiſtola.

Ab confluente Rhodano. *Tantæ apud me autori-*

tatis eſt,ac meritò quidem Mediceus codex,ut ſcripturam eius nunquam penitus negligã,quamuis in ea quam hic habet macularum aliquid omnino ſit.Sic autem in illo legitur Ab confluente,ab Rhodano. *ut fortaſſe poſteriores duæ uoces ambæ uacent:& illud ab Rhodano declaratio ſit priorum uocum:nam ſi tertia ſyllaba ex eo tollenda eſt,ut in impreßis nunc eſt,* RHODANI *fortaſſe melius legeretur,ſic enim Tacit.lib.17.locutus eſt:Cõfluentes Padi & Aduiæ fluminum* XVI. *inde millium ſpatio diſtantes petebant.Nihil certi habemus,& tamẽ hanc tenuem,& fortaſſe inanem animaduerſionem adnotaſſe quid obfuit?*

E' *Libro ad M. Brutum,Epiſtola* 8.

Si autem hoc tempore. *Qui dum liber ederetur purgari non potuit locus,quomodo reſtitui deberet in caſtigationibus noſtris perſcriptum eſt:quem tamen nonnulli uideri uolunt ope ſe aliorum librorum caſtigaſſe,cùm puſilla tantũ in re,ac fortaſſe ſine cauſa,à me diſſentiant,temporis cauſa ſæpe etiam Cicero dixit,ut ad Q. Fratrẽ* 270. *Si temporis cauſa cõſtituerentur,leuis.Et in Verrem,*102. *Fingi à me totum temporis cauſa putatote.*

Libro 11. *Epiſtola* 13.

Iam non ago tibi gratias. *Poſt hanc D. Bruti epiſtolam alia eiuſdem erat,quæ uetuſtate, aut negligentia librariorum periit.eius autem initium fuit,Parmenſes miſerrimos:Cognouimus hoc ex indice libri, de quo ſæpe anteà mentionem fecimus: poſt titulum enim & initium huius,Iam non ago tibi gratias,ita in eo ſcriptum eſt:D. Brutus* COS. DESIG. *M. Ciceroni* S. D. *Parmenſes miſerrimos.in libro autem ipſo,ubi eſſe debuit,nullum ueſtigiũ illius apparet.Credimus omnino hanc D.Bruti epiſtolã amiſſam eſſe,neq; temerè initium illius in indice*

Medic

Medicæi libri ſcriptum fuiſſe. Id etiam res ipſa declarat: ſcimus enim Parmenſes ab Antonijs his temporibus magnis incommodis affectos eſſe. In Philipp. XII. *Quæque eſſet facturus in hac urbe, niſi enim hinc ipſe Iupiter ab his mœnibus repuliſſet, declarauit in Parmenſium calamitate. Et non multò pòſt: Refugit animus P. C. atque reformidat dicere, quæ L. Antonius in Parmenſium liberis, & coniugibus effecerit. Sed etiam Aſinius in epiſtola ad Ciceronem ſcripſit, ſe audiſſe Parmam direptam: quod tamen potuit falſum eſſe, quemadmodum nonnulla alia, quæ rumor ad illum pertulerat.*

Libro II. *Epiſtola* 20.

Video facultatem fore, ex agris Silani, & agro Campano. *Hæc eſt Medicæi codicis, & aliorum etiam manuſcriptorum lectio: nam in impreßis*, ex agris Syllanis, *legitur. Accuratè animaduertendum, utra lectio melior ſit. Non me fugit, de agris Syllanis in Senatu ſæpe actum eſſe, & qui eos poßidebant, magna inuidia eos tenuiſſe: neſcio tamen, an his temporibus cogitauerint eos ueteribus poſſeſſoribus eripere: & quicquid de illis agendum fuit, uerisimile eſt multò antè conſtitutum fuiſſe. Quare cum meliores libri* SILANI *habeant, uidendum eſt, an intelligat Brutus Silanum illum Lepidi legatum: qui cùm ab eo cum legionibus in Italiam miſſus eſſet, & ipſe, & Culleo alter legatus, ad Antonium ierant, de quo in epiſtola ſua ad Ciceronem Lepidus queritur, Silanus & Culleo ab eo diſceſſerunt: nam ita eo loco ſcriptum eſt, non Syllanus, ut in impreßis codicibus: uerisimile enim eſt, ob id factum hoſtem illum appellatum, & bonis multatum. Priuati autem homines nonnulli magnas ſæpe poſſeßiones habebant: dabat enim Senatus agros eorum, qui Antonium*

ſecuti eſſent, & à Repub. *deſciuiſſent, ijs qui* Remp. *& ſenatus autoritatem defendiſſent.* Res *tamen obſcura, & de qua nihil certi tradi poßit.*

Libro 11. *Epiſtola* 28.

Patriæ amicitiam. *Si amicitiam appellauit amorem, ut nos credimus,* Matius *(nam Græci quoque* φιλίαν *ſæpe* τὴν φίλησιν *uocant) non uideo cur priſca lectio reijci debeat.* Quòd *ita olim ſcripſimus, dedimus id uetuſtati, ac fidelitati librorum, cum quibus poſtea minoris autoritatis codices conſentire cognouimus, uel potius in nullo aliter reperimus. Sed magnum negotium eſt, receptam aliquam opinionem, niſi prorſus abſurda ſit, ex animis hominum euellere.*

Eadem Epiſtola.

Digniſsimo Cæſari petenti. *Medicæus liber* Cæſare repetenti: *quod* Pauli *lectionem adiuuat, ut tantum à librario peccatum ſit, quòd extremam prioris uocis ſyllabam iterum ſcripſit: multæ huiuſcemodi maculæ in antiquis, & in impreßis libris inueniuntur. Simile huic erratum erat, de quo antea locuti ſumus, quod in cunctis libris* fide Lepidi dimiſſos, *legebatur: cum* Lepidi miſſos, *legi debeat. apud* Tacit. *lib.* IIII. *(uolo enim à me quoque aliquid opis capere ſtudioſos literarum) eodem modo peccatum fuit: Circumgredi terga hoſtium iubet, qui iam acie compoſiti pelluntur: turmas ſociales, equitéſque ſubſidio miſſos: legi enim debet,* pellunt turmas ſociales. *ut* Matius *inquit, dignißimo Cæſare, adoleſcenti. ita etiam* Cicero *ad* Alienum *proconſ. eius filios dignißimos illo patre dixit.*

E' *libro ad* C. *Caßium, Epiſtola* 2.

Ad quem paratus venerat. *Ita in manu ſcriptis legimus:*

gimus: arbitramur tamen AT QVAM *legendum eſſe, unius tantum literæ immutatione: nam* D, *pro* T, *in antiquis libris frequenter ponitur, ut in* C. *Matij epiſtola hæc ipſa dictio bis eodem pacto ſcripta eſt*, Ad ludos, quos Cæſaris uictoriæ Cæſar adoleſcens fecit, curaui, ad id. *& quæ ſequuntur. cùm utroque in loco* AT, *intelligi debeat. nam quòd nonnulli putant per* QVAM, *cædem intelligi, hanc ipſorum interpretationem non probamus: in uilla enim Metelli Antonius orationem commentatus erat, non cædem, & in dicendo ſe exercuerat, ut qui cogitaret Ciceronem accuſare, & contra eum in Senatu accuratè dicere. Hoc apertè oſtendit Cicero in* 2. *Philipp. cum inquit:* Hæc ut colligeres, homo amentiſsime, tot dies in aliena uilla declamaſti. *Ideo autem nunc inquit illum paratum ueniſſe, quia commentatus erat: addit igitur,* Itaque omnibus eſt uiſus uomere ſuo more, non dicere. *Huic ſimilis eſt locus ille ad Attic.* At quàm iratus uenit? *Nec non ille in* 11. *Philipp.* At quàm multos dies in ea uilla turpiſsimè es perbacchatus?

Ibidem.

Itaque omnibus eſt viſus vomere ſuo more, non dicere. *Multa à Cicerone dicta ſunt in Antonij ebrietatem, quæ omnibus nota, & manifeſta ſunt: ſed nihil acerbius, quódque eum magis multis modis uulneraret, quàm quod in* XII. *Philipp. de illo loquens, inquit,* Cuius acerbitas morum, immanitáſque naturæ, ne uino quidem permixta temperari ſolet: *ut cùm multis detrimentis illum affecerit uinum, quemadmodum omnes facit, qui copioſius bibant: quod bonum in ſe illud habet, propter ſæuiſsimum ingenium Antonij nullum ei commodum afferre potuerit: uicit enim diritas illius, & feritas morum uini ipſius uim.*

Omnes

Omnes autem autores tradunt quod Cicero *hic ſignificat uinum lenire mores, & omnem ingenij aſperitatem tollere, unde ſapiens uir* Zeno, *ille ſectæ* Stoicæ *principes, aiebat uinum in ſe efficere, quod aqua in lupinis: quæ cùm amara ſint, macerata dulcia redduntur.* Hoc intellexit Vergilius, *cum inquit mitem* Bacchum, *mitem uindemiam: &* Catullus *mitem uuam. accepta autem omnia ſunt ab* Homero, *qui primus uitem* ἡμερίδα *appellauit, ut gratiſſimam ſtirpem, quemadmodum dignitas illius poſcebat, ornaret: animaduerſum enim hoc eſt à doctiſſimis hominibus, qui affirmant,* Homerum *amore fructus illius captum, ſummis laudibus eam extuliſſe.* Plutarchus *in elegantiſſimo ſermone, quem appellauit* ἐρωτικὸν *inquit,* οὗ δὴ ἣν Ὅμηρος ἡμερίδα σεμνύνων προσεῖπεν. *Ita autem ipſam appellauit quinto libro* Odyſſeæ, *ubi agit de antro* Calypſonis:

Ἡ δ' αὐτοῦ τετάνυστο περὶ σπείους γλαφυροῖο
Ἡμερὶς ἡβώωσα, τεθήλει δὲ σταφυλῇσι.

Sed alio etiam in loco de hac uoce Homeri Plutarchus *egerat: uerùm ille ita deprauatus eſt, ut omnes lateat.* In commentario *igitur, quo præparat adules ſcentes ad lectionem poëtarum, cùm docuiſſet* Lycurgum *ſtultè feciſſe, qui cùm uideret uinum lædere, uites inciderat, cùm potius fontes admouere debuiſſet: temperamentum enim hoc pellere omne detrimentum poterat, & multas utilitates eius retinere, inquit,* Neque *igitur nos poëticam amputemus* ἡμερίδα μουσῶν, *neque ipſam penitus extinguamus, ſed ea remedia adhibeamus, quibus incommoda quæ afferre ſolet ijs, qui imparati ad eam accedunt, euitemus, & fructus ipſius retineamus.* Vocauit autem poëticam doctiſſimus uir, Muſarum *uitem, propter ſuauitatem: pendet enim totus ſermo à ſuperiore illo exemplo* Lycurgi, *qui peſſimo conſilio ui-*

tes

tes ſubſtulerat. Multi autem erant, qui Lycurgum imitati, poëticam omnem eijcerent, atque delerent: quos non minus quàm Lycurgum ſtolidè facere oſtendit Plutarchus. In impreßis codicibus μειδα *legitur, quaſi particulam, cùm manu ſcripti, qui melioris notæ ſunt,* ἡμειδα *retineant. dictio autem hæc deprauata corrumpit omnem ſententiam, quæ elegantißima eſt, & ſummo artificio expreſſa.*

Libro 12. Epiſtola 12.

Habeo paullulum moræ. *Mediceus liber,* Habui pollulum moræ. *Pollulum autem pro paululum, in quo duo animaduertenda ſunt, & O pro AV poſitum, & paulum per duo ll ſcribi ſæpe ſolitum. Nam idem liber in epiſtolarum titulis, quæ ſunt ad Paulum* COS. PAVLLO *ſcriptum habet, quod in alijs etiam priſcis monimentis adnotatum eſt. Quibus argumentis confirmari poteſt: Pollam in epiſtola Ciceronis ad D. Brutum non aliam eſſe à Paula Valeria, de qua Cælius in epiſtola ſua locutus eſt, ut ab alijs accuratè animaduerſum eſt.*

Libro 12. Epiſtola 13.

Non ſubita nec inconuenientia. *Non uidebar mihi peccaſſe, qui, recepta lectione conſeruata, fidelißimi codicis ſcripturam (præſertim cum in alijs etiam minoris autoritatis libris eam inuenerim) notam eſſe uoluiſſem, déque ea non negligenter diſſeruiſſem: non deſunt tamen qui reprehendant.*

Eadem Epiſtola.

Caſtra habet poſita πάλτω. *Locum hunc, qui multis ſeculis iacuerat, ope meliorum codicum reſtitui, qui non ueſtigium aliquod ſinceræ lectionis ut ſæpe, retinebant, ſed ipſam incorruptam, integrámque conſeruarant,* ΠΑΛΤΩΙ *enim in illis eſt. Sunt tamen qui* παλτοῖ *malint,*

qua autem ratione hic πάλλῳ dictum eſſet, expoſui. Quantum ego exiſtimo cum ι quod nunc ſubſcribunt in illo exemplari, ut in Medicæo codice ultimum eſſet Græcæ uocis, & à librarijs in penultima litera peccatum eſſet, quòd paruam illam pro magna feciſſent, crediderunt nonnulli παλλοῖ ſcriptum fuiſſe: in Medicæo tamen nihil maculæ.

Ibidem.

Et volo bene ſperare. *Arbitror legendum eſſe* TE VOLO, *non ut alij, qui cùm anteà in impreſſis libris,* Et volo vos bene ſperare, *legeretur, maluerunt hanc delere, quæ penè in antiquis libris conſeruatur, & illam retinere, cuius in eiſdem exemplaribus ueſtigium nullum, qui etiam* IGITVR *addiderunt.*

Ibidem.

Cui Lucilius præerat. *Dion huius præfecti claſſis Dolabellæ non meminit. Appianus lib.* IIII. τῶν ἐμφυλίων *L. Figuli mentionem fecit, qui mercede claſſem conducebat Dolabellæ: inquit enim* καὶ ναυτικὸν ἀγείρων ἐπὶ μισθῷ διὰ λευκίου φίγλου παρά τε ῥοδίων καὶ παμφυλίων, καὶ ἐκ κιλικίας. *Videndum igitur accuratè, an L. Lucilius Figulus appellatus ſit: non facilè enim credo in cunctis, & impreſſis, & manu ſcriptis Ciceronis libris mendum eſſe, neque ſatis mihi uidetur ille pronomine tantum ſignificari potuiſſe.*

Ibidem.

Cypro à crommyu acride. *Quibus argumentis, autoritatibúſque cenſuerimus ita legendum eſſe, explicauimus antea diligenter. Qui Acamantide magis probant, non uerè iudicant: ſatis certum huius rei ſignum eſt, quòd quid Acamantide ſit ignorant: nemo enim unquàm ueterum autorum Acamantida promontorium eſſe dixit, quod illi credunt*

credunt. Acamas promontorium eſt, à quo, ut tradit Plinius, tota inſula quandoque Acamantis appellata fuit. Strabo lib. XIIII. *pag.* 98. ὁ δ' ἀκάμας ἐστιν ἄκρα δύο μαστοὺς ἔχουσα, καὶ ὕλην πολλήν. *Si legeretur igitur Acamantide cum ante Cypro dixerit, inanis, ac nimis otioſus ſermo eſſet.*

Libro 12. *Epiſtola* 14.

Multo parcius ſcripſi. mirari noli. *Nonnulli hic plura uerba inculcant, quæ tradunt in manuſcripto codice ſe inueniſſe. de quorum fide non dubito: uidendum tamen eſt, an nouæ ſint, & ab aliquo adpoſitæ, quod quidem ego facilè credo, nam duriuſculus in illis ſermo eſt, neque ſatis concinnus. Exiſtimarunt fortaſſe imperiti aliqui homines elegantem locutionem,* MIRARI NOLI, *ſine illis mancam eſſe: ideóque quod deeſſe crediderunt, reſtituere. Mirari autem noli, arbitror hic dictum, ut in epiſtola ad Sulpitium, Noli quærere. Nihil tamen de hac re ſtatuimus. Quid ſuſpicaremur ſolum enuntiare uoluimus: multæ huiuſcemodi maculæ ſunt in impreßis libris, quorum maior pars ab aliquo manu ſcripto fluxit. Accepi poſtea à doctis uiris qui ſummo ſtudio has epiſtolas cum manuſcriptis ſex ſeptém ue exemplaribus contulerunt, in nullo eorum aliter atque in Mediceo legi.*

Eadem Epiſtola

Sed παλαιὸν ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν. *Non ſunt hæc Græca uerba à Lentulo ipſo compoſita, ſed ſumpta è Tragœdia: priſcis autem temporibus illa propter ſententiæ grauitatem ualdè celebratur, nam à Plutarcho etiam in commentario, quo præcepta dat ad Remp. adminiſtrandam utilia, recitantur:* εἰ γὰρ εὐγενὲς καὶ φρονήματος μεγάλου τὸ ἀναφωνῆσαι, φιλῶ τέκν' ἀλλὰ παλαιὸν ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ,

πῶς

πῶς ὢν &c. Nec tamen autor eorum adducitur. Ego ſanè uerſiculos ipſos in his, quæ conſeruatæ ſunt, Tragœdijs me legiſſe non memini. Huiuſmodi ſanè multas grandes, generoſáſque ſententias pronuntiari facit Euripides à Praxithea Erechthei regis uxore, quæ libens, uolénſque filiam ſuam pro ſalute Athenarum morti obtulit. Cùm autem Tragœdia ipſa, in qua erant, perierit, leguntur apud Lycurgum acerbum illum accuſatorem in oratione quam ſcripſit contra Leocratem, quamuis in uerſiculis ipſis, qui plurimi ſunt Praxithea oſtendat, ſe unam tantum filiam ad ſupplicium tradere, Cicero autem in prima quæſtione Tuſculana, & in oratione quoque pro P. Seſtio narret plures Erechthei regis filias cupidè mortem pro uita ciuium oppetiſſe.

Libro 12. Epiſtola 17.

In iſta ſolitudine. *Ita iampridem caſtigauimus, in noſtriſque libris ſcribi iuſsimus, ſecuti Medicæi codicis, & aliorum manu ſcriptorum autoritatem, nec non rationem ipſam: nihil enim certius hac lectione, nihil clarius eſſe poteſt: & hoc eſt cur in explicationbus noſtris eam ſilentio præterijmus: neque enim confirmatione egebat, quam tamen alij ſibi poſtea uendicarunt.*

Libro 12. Epiſtola 25.

Vt Minerua noſtra cuſtos vrbis. *Libro 11. de legibus, de Pallade hac cuſtode urbis egit: Ita autem illam appellauit, opinor, ut memoria ſuorum beneficiorum ſemper recens eſſet, qui ope huius ſapientiſsimæ Deæ patriam conſeruarat. Nominabantur autem Dij à priſcis illis quemadmodum à nobis etiam in noſtra religione, uel à munere aliquo, quo putarentur iuuare mortales: uel à locis, in quibus templa illis erecta eſſent, & ubi præſentiores eſſe conſueuerant. Cicero Mineruam ſuam Cuſtodem urbis appellauit Ciſalpinæ Gall*

næ Galliæ populi Mineruam quam & ipſi ualde colebant, Memorem appellabant, quòd uota precéſque mortalium audire, nec obliuiſci ſoleret. Templum autem illi in agro Placentino ædificauerāt, putabántque eam morbos curare. Infra Cabardiacum, nō longè à Trebia, lapides plures uiſuntur, in quibus uota huic Deæ ſoluta inciſa ſunt. E remotis etiam locis ad opem illius confugiebant, nec tantum uicinæ gentes præſidio ipſius fidebant, quod ex epigrammatibus illis intelligitur: unius lapidis inſcriptionem ponemus.

MINERVAE
MEMORI
COELIA IVLIANA
INDVLGENTIA
MEDICINARVM
EIVS INFIRMITATE
GRAVI LIBERATA
D. P.

Sed etiam alterius, quæ oſtendit eandem illam Cabardiacenſem appellatam, quam mulier quæ uoti compos facta erat, dedicauerat.

MINERVAE
CABARDIACENSI
MARIA. C. MARI
VMBONIS F.
V. S. L. M.

Vt autem hæc Minerua à ſede Cabardiacenſis appellabatur, ita Diana quædam Limnatis dicebatur, de qua potiſſimum nunc mentionem facimus: ubi enim de ipſa agitur in IIII. *lib. hiſtoriæ Taciti, ſcripturæ peruerſio eſt: uolumus autem eam tollere. Audite dehinc Lacedæmoniorum, & Meſſeniorum legationes, de iure templi Dianæ Limenitidis: legēdum*

V enim

[illegible] exemplar unde ex[illegible]
[illegible] Medices biblio[illegible]
[illegible] Quamuis autem à illi[illegible]
[illegible] tamen hoc
[illegible] neque uete[illegible]
[illegible] patuit
[illegible] ſit olim
[illegible] 1517
[illegible]
[illegible]
[illegible] ipſo
[illegible] pag. 159 ſuper
[illegible] è uetuſtis
[illegible] Hieronymus Fondulus excel[illegible]
[illegible] paucis his
[illegible] amicis re[illegible]
[illegible]

[illegible]

Quam [illegible], ac nauicantem conieci
[illegible] plagas. Quamuis ex recepta
[illegible] dicatur, conſilium tamen
[illegible] diuerſa eſt: CONFECI
[illegible] in alio quoque ſatis probato,
[illegible] Quod niſi [illegible] eo caſu po[illegible]
[illegible] putarem. doctiores uidebant,
[illegible] in locis probi auto[illegible]
[illegible] illius uerbi CONFECI, præ[illegible]
[illegible] reſponſis in[illegible]
[illegible] quàm
[illegible] Sed infini[illegible]
[illegible] CO[illegible]
FECERE

FICERE IN PLAGAS, *dictum uidetur, ut inſuere in culleum, & ut in epiſtola Aſinij deprenſus in ludum: ita enim arbitror locum illũ legi debere, non* DEPRESSVS, *quemadmodum aliàs oſtendimus, nam ſic ferè in Mediceo, & uerbum ipſum* DEPRENDO, *& quæ ab eo deriuantur, ſcribuntur. Quintilianus quoque lib. IX. oſtendit, utroque modo ſine culpa dici poſſe, cùm inquit: Vtrum uolet, ſumat compoſitio, Vitauiſſe, uel uitaſſe: Deprehendere, uel deprendere: ut Vementer quoque, & aliæ etiã huiuſcemodi dictiones, eruditiores de tota re nunc ſtatuent. Senſus autem huius loci facit, ut recorder alium item deprauatum in Epitome primi libri* δειπνοσοφιςῶν *Athenei: ille tamen, quemadmodum puto, ſatis tutò emendari poteſt. Priſcum autem quendam Macedonum morem exponit: qui, ut ad fortitudinem iuuenes excitarent, non patiebantur in conuiuijs accumbere, qui extra plagas aprum non confeciſſet: ſed in menſa, donec hoc præſtaſſent, ſedere uolebant: id enim multò minus in ſe dignitatis habebat. Quàm deprauata autem apud eum autorem uerba ſint, quæ hanc ſententiam exprimere debebant, facilè animaduerti poteſt, ut non ſine cauſſa in impreſſis libris ad locum tot maculis inquinatum mendi nota adpoſita fuerit: ita autem totus legi debet,* ἡγήσανδρος δὲ φησὶ ὅτι ἔθος εἶναι ἐν μακεδονίᾳ κατακλίνεσθαί τινα ἐν δείπνῳ εἰ μήτις ἔξω λίνων ὗν κεντήσειεν. ἕως ϗ τότε καθήμενοι ἐδείπνουν. *Addit idem quemadmodum Caſſander annorum triginta quinque adhuc iuxta patrem ipſe ſederet, quòd nunquam certamen conficere potuiſſet, quamuis & uir fortis, & bonus uenator eſſet.*

Eadem Epiſtola.

Quam quidem nos damus operam, vt rectam

cunctis quos uidi manuſcriptis: hoc autem adnotaui, quia nonnulli tradunt ſe uetuſtißimum codicem habere, in quo non legantur.

Eadem Epiſtola.

C. R. natus ſum. *Ita in Mediceo hic locus ſcriptus eſt. Ingenioſus, & eruditus iuuenis Hieronymus Corrigienſis ſuſpectum hunc locum, aut audio, habet, neque ut ego arbitror, ſine cauſa. cùm alijs in locis, in quibus Cicero induxit aliquos quiritantes, & hanc uocem edentes,* NATVS *non ediderit: Cum tamen in noſtris, ut omnes uidere iam poſſunt, non contemnendis, ut in impreßis legatur, uidendum eſt an ideo ſe natum Fatidius ciuẽ Rom. diceret, ut magis Galbam abſterreret: quod maiore ſcelere, ei qui ciuis Rom. natus eſſet, manus afferretur, quàm illi qui factus: nã plurimis, uarijsq; de cauſis ciues Rom. fiebant, ut omnibus planum eſt: & in oratione pro L. Balbo diligentius de hac re diſputatur. Domitius etiam Cos. Nouocomenſem pulſauit, beneficio C. Cæſaris ciuem Rom. factum, ut oſtenderet, quòd à malo autore factus eſſet, illum ciuem Rom. non eſſe, & in beneficijs Cæſaris nullam uim eſſe.*

Eadem Epiſtola.

Denarios quingenos. *Codex uetuſtus qui quingentos habet, mendoſus eſt, & coniectura, quam nonnulli ſequuntur, inanis: qualis enim grandis illa pecunia ſit, tamen non ſine magna mercede legiones à Senatu defeciſſent, & imperatorem ſuum prodidiſſent. Quàm apertè autem decepti ſint, hic locus è lib. XVI. ad Attic. oſtendit, de Octauiano puero ſermo eſt. Veteranos quiqui Caſilini, & Calatiæ, perduxit ad ſuam ſententiam, nec mirum, quingenos denarios dat.*

Libro

Libro 10. Epiſtola 33.

Habere equitum *. *Nihil addimus ad ea, quæ olim hoc in loco à nobis diſputata ſunt, præſertim cùm nõ multò antè de ſimili loco diligenter diſſeruerimus.*

Libro 10. Epiſtola 34.

Imp. iterum. *Cur nonnulli hanc caſtigationem tantopere criminentur, non uideo: ſi caſtigatio appellari poteſt, & non potius antiqua, & ſyncera lectio, fideliter in Mediceo codice quatuor locis conſeruata, & nunc in ſuam ſedem in omnibus libris reſtituta. quemadmodum enim hic ante epiſtolas ipſas bis* IMP. ITER. *legitur, ita etiam in indice libri bis, ubi & tituli, & initia epiſtolarum adnotantur. Cur igitur credendum eſt non negligentem omnino librarium in eadem uoce ſemper peccaſſe, & eodẽ etiam pacto peccaſſe? In quibuſdam manu ſcriptis libris* TER *legi, me nunquam latuit, quin explicaui unde iſtud ortum eſſet accurate. An alij hoc uſurparint ante* Rempub. *ab Auguſto oppreſſam: ut quoties* Impp. *appellati ſint, ob rem bene geſtam, toties in titulis, monumentiſque id notari uoluerint, mihi compertum nõ eſt.* Vſurpaſſe Lepidum *quamuis nullum aliud teſtimonium habeam, quàm priſcorum codicum, affirmarem: nam in* S. C. *quod de ipſo factum eſt, & à* Cicerone *in oratione 5. contra* Antonium *poſitum, uidi antiquos libros, qui eundem hunc titulum ſeruarent. Quòd ſi argumentis in huiuſcemodi rebus locus eſt, quamuis à nullis anteà hoc* Imperatoribus *uſurpatum eſſet, non mirarer* Lepidum *leuiſſimum, ac uentoſiſſimum hominem, hoc primùm uſurpaſſe: ab aliquo enim hæc conſuetudo fluxerit, neceſſe eſt.*

Eadem Epiſtola.

Ab confluente Rhodano. *Tantæ apud me autori-*

tatis eſt, ac meritò quidem Mediceus codex, ut ſcripturam eius nunquam penitus negligā, quamuis in ea quam hic habet macularum aliquid omnino ſit. Sic autem in illo legitur Ab confluente, ab Rhodano. *ut fortaſſe poſteriores duæ uoces ambæ uacent: & illud ab Rhodano declaratio ſit priorum uocum: nam ſi tertia ſyllaba ex eo tollenda eſt, ut in impreſsis nunc eſt,* RHODANI *fortaſſe melius legeretur, ſic enim Tacit. lib. 17. locutus eſt: Cōfluentes Padi & Aduiæ fluminum* XVI. *inde millium ſpatio diſtantes petebant. Nihil certi habemus, & tamē hanc tenuem, & fortaſſe inanem animaduerſionem adnotaſſe quid obfuit?*

E' *Libro ad* M. Brutum, *Epiſtola* 8.

Si autem hoc tempore. *Qui dum liber ederetur purgari non potuit locus, quomodo reſtitui deberet in caſtigationibus noſtris perſcriptum eſt: quem tamen nonnulli uideri uolunt ope ſe aliorum librorum caſtigaſſe, cùm puſilla tantū in re, ac fortaſſe ſine cauſa, à me diſſentiant, temporis cauſa ſæpe etiam Cicero dixit, ut ad Q. Fratrē 270. Si temporis cauſa cōſtituerentur, leuis. Et in* Verrem, 102. *Fingi à me totum temporis cauſa putatote.*

Libro 11. *Epiſtola* 13.

Iam non ago tibi gratias. *Poſt hanc* D. *Bruti epiſtolam alia eiuſdem erat, quæ uetuſtate, aut negligentia librariorum perijt. eius autem initium fuit, Parmenſes miſerrimos: Cognouimus hoc ex indice libri, de quo ſæpe anteà mentionem fecimus: poſt titulum enim & initium huius, Iam non ago tibi gratias, ita in eo ſcriptum eſt:* D. *Brutus* COS. DESIG. M. *Ciceroni* S. D. *Parmenſes miſerrimos. in libro autem ipſo, ubi eſſe debuit, nullum ueſtigiū illius apparet. Credimus omnino hanc* D. *Bruti epiſtolā amiſſam eſſe, neq; temerè initium illius in indice*

Medicæi libri ſcriptum fuiſſe. Id etiam res ipſa declarat: ſcimus enim Parmenſes ab Antonijs his temporibus magnis incommodis affectos eſſe. In Philipp. XII. *Quæque eſſet facturus in hac urbe, niſi enim hinc ipſe Iupiter ab his mœnibus repuliſſet, declarauit in Parmenſium calamitate. Et non multò pòſt: Refugit animus P. C. atque reformidat dicere, quæ L. Antonius in Parmenſium liberis, & coniugibus effecerit. Sed etiam Aſinius in epiſtola ad Ciceronem ſcripſit, ſe audiſſe Parmam direptam: quod tamen potuit falſum eſſe, quemadmodum nonnulla alia, quæ rumor ad illum pertulerat.*

Libro II. *Epiſtola* 20.

Video facultatem fore, ex agris Silani, & agro Campano. *Hæc eſt Medicæi codicis, & aliorum etiam manuſcriptorum lectio: nam in impreſſis,* ex agris Syllanis, *legitur. Accuratè animaduertendum, utra lectio melior ſit. Non me fugit, de agris Syllanis in Senatu ſæpe actum eſſe, & qui eos poßidebant, magna inuidia eos tenuiſſe: neſcio tamen, an his temporibus cogitauerint eos ueteribus poſſeſſoribus eripere: & quicquid de illis agendum fuit, uериſimile eſt multò antè conſtitutum fuiſſe. Quare cum meliores libri* SILANI *habeant, uidendum eſt, an intelligat Brutus Silanum illum Lepidi legatum: qui cùm ab eo cum legionibus in Italiam miſſus eſſet, & ipſe, & Culleo alter legatus, ad Antonium ierant, de quo in epiſtola ſua ad Ciceronem Lepidus queritur, Silanus & Culleo ab eo diſceſſerunt: nam ita eo loco ſcriptum eſt, non Syllanus, ut in impreßis codicibus: uериſimile enim eſt, ob id factum hoſtem illum appellatum, & bonis multatum. Priuati autem homines nonnulli magnas ſæpe poſſeßiones habebant: dabat enim Senatus agros eorum, qui Antonium*

ſecuti eſſent, & à Repub. deſciuiſſent, ijs qui Remp. & ſenatus autoritatem defendiſſent. Res tamen obſcura, & de qua nihil certi tradi poßit.

Libro 11. *Epiſtola* 28.

Patriæ amicitiam. *Si amicitiam appellauit amorem, ut nos credimus, Matius (nam Græci quoque* φιλίαν *ſæpe* τὴν φίλησιν *uocant) non uideo cur priſca lectio reijci debeat. Quòd ita olim ſcripſimus, dedimus id uetuſtati, ac fidelitati librorum, cum quibus poſtea minoris autoritatis codices conſentire cognouimus, uel potius in nullo aliter reperimus. Sed magnum negotium eſt, receptam aliquam opinionem, niſi prorſus abſurda ſit, ex animis hominum euellere.*

Eadem *Epiſtola.*

Dignißimo Cæſari petenti. *Medicæus liber* Cæſare repetenti: *quod Pauli lectionem adiuuat, ut tantum à librario peccatum ſit, quòd extremam prioris uocis ſyllabam iterum ſcripſit: multæ huiuſcemodi maculæ in antiquis, & in impreßis libris inueniuntur. Simile huic erratum erat, de quo antea locuti ſumus, quod in cunctis libris* fide Lepidi dimiſſos, *legebatur: cum* Lepidi miſſos, *legi debeat. apud Tacit. lib.* IIII. *(uolo enim à me quoque aliquid opis capere ſtudioſos literarum) eodem modo peccatum fuit: Circumgredi terga hoſtium iubet, qui iam acie compoſiti pelluntur: turmas ſociales, equitéſque ſubſidio miſſos: legi enim debet,* pellunt turmas ſociales. *ut Matius inquit, dignißimo Cæſare, adoleſcenti. ita etiam Cicero ad Alienum proconſ. eius filios dignißimos illo patre dixit.*

È *libro ad C. Caßium, Epiſtola* 2.

Ad quem paratus venerat. *Ita in manu ſcriptis legimus:*

gimus: arbitramur tamen AT QVAM *legendum eſſe, unius tantum literæ immutatione: nam* D, *pro* T, *in antiquis libris frequenter ponitur, ut in* C. *Matij epiſtola hæc ipſa dictio bis eodem pacto ſcripta eſt*, Ad ludos, quos Cæſaris *uictoriæ Cæſar adoleſcens fecit, curaui, ad id. & quæ ſequuntur. cùm utroque in loco* AT, *intelligi debeat. nam quòd nonnulli putant per* QVAM, *cædem intelligi, hanc ipſorum interpretationem non probamus: in uilla enim Metelli Antonius orationem commentatus erat, non cædem, & in dicendo ſe exercuerat, ut qui cogitaret Ciceronem accuſare, & contra eum in Senatu accuratè dicere. Hoc apertè oſtendit Cicero in 2. Philipp. cum inquit: Hæc ut colligeres, homo amentiſsime, tot dies in aliena uilla declamaſti. Ideo autem nunc inquit illum paratum ueniſſe, quia commentatus erat: addit igitur, Itaque omnibus eſt uiſus uomere ſuo more, non dicere. Huic ſimilis eſt locus ille ad Attic. At quàm iratus uenit? Nec non ille in* II. *Philipp. At quàm multos dies in ea uilla turpiſsimè es perbacchatus?*

Ibidem.

Itaque omnibus eſt viſus vomere ſuo more, non dicere. *Multa à Cicerone dicta ſunt in Antonij ebrietatem, quæ omnibus nota, & manifeſta ſunt: ſed nihil acerbius, quódque eum magis multis modis uulneraret, quàm quod in* XII. *Philipp. de illo loquens, inquit, Cuius acerbitas morum, immanitáſque naturæ, ne uino quidem permixta temperari ſolet: ut cùm multis detrimentis illum affecerit uinum, quemadmodum omnes facit, qui copioſius bibant: quod bonum in ſe illud habet, propter ſæuiſsimum ingenium Antonij nullum ei commodum afferre potuerit: uicit enim diritas illius, & feritas morum uini ipſius uim.*

Omnes

Omnes autem autores tradunt quod Cicero hic ſignificat uinum lenire mores, & omnem ingenij aſperitatem tollere, unde ſapiens uir Zeno, ille ſectæ Stoicæ principes, aiebat uinum in ſe efficere, quod aqua in lupinis: quæ cùm amara ſint, macerata dulcia redduntur. Hoc intellexit Vergilius, cum inquit mitem Bacchum, mitem uindemiam: & Catullus mitem uuam. accepta autem omnia ſunt ab Homero, qui primus uitem ἡμερίδα *appellauit, ut gratiſſimam ſtirpem, quemadmodum dignitas illius poſcebat, ornaret: animaduerſum enim hoc eſt à doctiſſimis hominibus, qui affirmant, Homerum amore fructus illius captum, ſummis laudibus eam extuliſſe. Plutarchus in elegantiſſimo ſermone, quem appellauit* ἐρωτικὸν *inquit,* οὗ δή ἦν ὅμηρος ἡμερίδα σεμνύνων προσεῖπεν. *Ita autem ipſam appellauit quinto libro Odyſſeæ, ubi agit de antro Calypſonis:*

Ἡ δ' αὐτοῦ τετάνυστο περὶ σπείους γλαφυροῖο
Ἡμερὶς ἡβώωσα, τεθήλει δὲ σταφυλῇσι.

Sed alio etiam in loco de hac uoce Homeri Plutarchus egerat: uerùm ille ita deprauatus eſt, ut omnes lateat. In commentario igitur, quo præparat adoleſcentes ad lectionem poëtarum, cùm docuiſſet Lycurgum ſtultè feciſſe, qui cùm uideret uinum lædere, uites inciderat, cùm potius fontes admouere debuiſſet: temperamentum enim hoc pellere omne detrimentum poterat, & multas utilitates eius retinere, inquit, Neque igitur nos poëticam amputemus ἡμερίδα μουσῶν, *neque ipſam penitus extinguamus, ſed ea remedia adhibeamus, quibus incommoda quæ afferre ſolet ijs, qui imparati ad eam accedunt, euitemus, & fructus ipſius retineamus. Vocauit autem poëticam doctiſſimus uir, Muſarum uitem, propter ſuauitatem: pendet enim totus ſermo à ſuperiore illo exemplo Lycurgi, qui peſſimo conſilio uites*

tes ſubſtulerat. Multi autem erant, qui Lycurgum imitati, poëticam omnem eijcerent, atque delerent: quos non minus quàm Lycurgum ſtolidè facere oſtendit Plutarchus. In impreßis codicibus μειδᾷ legitur, quaſi particulam, cùm manuſcripti, qui melioris notæ ſunt, ἠμείδα retineant. dictio autem hæc deprauata corrumpit omnem ſententiam, quæ elegantißima eſt, & ſummo artificio expreſſa.

Libro 12. Epiſtola 12.

Habeo paullulum moræ. Mediceus liber, Habui pollulum moræ. Pollulum autem pro paulului, in quo duo animaduertenda ſunt, & o pro AV poſitum, & paulum per duo ll ſcribi ſæpe ſolitum. Nam idem liber in epiſtolarum titulis, quæ ſunt ad Paulum COS. PAVLLO ſcriptum habet, quod in alijs etiam priſcis monimentis adnotatum eſt. Quibus argumentis confirmari poteſt: Pollam in epiſtola Ciceronis ad D. Brutum non aliam eſſe à Paula Valeria, de qua Cælius in epiſtola ſua locutus eſt, ut ab alijs accuratè animaduerſum eſt.

Libro 12. Epiſtola 13.

Non ſubita nec inconuenientia. Non uidebar mihi peccaſſe, qui, recepta lectione conſeruata, fideliſsimi codicis ſcripturam (præſertim cum in alijs etiam minoris autoritatis libris eam inuenerim) notam eſſe uoluiſſem, déque ea non negligenter diſſeruiſſem: non deſunt tamen qui reprehendant.

Eadem Epiſtola.

Caſtra habet poſita παλτῷ. Locum hunc, qui multis ſeculis iacuerat, ope meliorum codicum reſtitui, qui non ueſtigium aliquod ſinceræ lectionis ut ſæpe, retinebant, ſed ipſam incorruptam, integrámque conſeruarant, ΠΑΛΤΩΙ enim in illis eſt. Sunt tamen qui παλτοῖ malint,

qua

qua autem ratione hic παλτῷ *dictum eſſet, expoſui. Quantum ego exiſtimo cum* ι *quod nunc ſubſcribunt in illo exemplari, ut in Medicæo codice ultimum eſſet Græcæ uocis, & à librarijs in penultima litera peccatum eſſet, quòd paruam illam pro magna feciſſent, crediderunt nonnulli* παλτοῖ *ſcriptum fuiſſe: in Medicæo tamen nihil maculæ.*

Ibidem.

Et volo bene ſperare. *Arbitror legendum eſſe* TE VOLO, *non ut alij, qui cùm anteà in impreſſis libris,* Et volo vos bene ſperare, *legeretur, maluerunt hanc delere, quæ penè in antiquis libris conſeruatur, & illam retinere, cuius in eiſdem exemplaribus ueſtigium nullum, qui etiam* IGITVR *addiderunt.*

Ibidem.

Cui Lucilius præerat. *Dion huius præfecti claßis Dolabellæ non meminit. Appianus lib.* IIII. τῶν ἐμφυλίων *L. Figuli mentionem fecit, qui mercede classem conducebat Dolabellæ: inquit enim* καὶ ναυτικὸν ἀγείρων ἐπὶ μισθῷ διὰ λευκίου φίγλου παρά τε ῥοδίων καὶ παμφυλίων, καὶ ἐκ κιλικίας. *Videndum igitur accuratè, an L. Lucilius Figulus appellatus ſit: non facilè enim credo in cunctis, & impreßis, & manu ſcriptis Ciceronis libris mendum eſſe, neque ſatis mihi uidetur ille pronomine tantum ſignificari potuiſſe.*

Ibidem.

Cypro à crommyu acride. *Quibus argumentis, autoritatibúſque cenſuerimus ita legendum eſſe, explicauimus antea diligenter. Qui Acamantide magis probant, non uerè iudicant: ſatis certum huius rei ſignum eſt, quòd quid Acamantide ſit ignorant: nemo enim unquàm ueterum autorum Acamantida promontorium eſſe dixit, quod illi*

credunt

credunt. Acamas promontorium eſt, à quo, ut tradit Plinius, tota inſula quandoque Acamantis appellata fuit. Strabo lib. XIIII. *pag.* 98. ὁ δ᾽ ἀκάμας ἐστιν ἄκρα δύο μαστοὺς ἔχουσα, καὶ ὕλην πολλήν. *Si legeretur igitur Acamantide cum ante Cypro dixerit, inanis, ac nimis otioſus ſermo eſſet.*

Libro 12. Epiſtola 14.

Multo parcius ſcripſi. mirari noli. *Nonnulli hic plura uerba inculcant, quæ tradunt in manuſcripto codice ſe inueniſſe. de quorum fide non dubito: uidendum tamen eſt, an nouæ ſint, & ab aliquo adpoſitæ, quod quidem ego facilè credo, nam duriuſculus in illis ſermo eſt, neque ſatis concinnus. Exiſtimarunt fortaſſe imperiti aliqui homines elegantem locutionem,* MIRARI NOLI, *ſine illis mancam eſſe: ideóque quod deeſſe crediderunt, reſtituere. Mirari autem noli, arbitror hic dictum, ut in epiſtola ad Sulpitium, Noli quærere. Nihil tamen de hac re ſtatuimus. Quid ſuſpicaremur ſolum enuntiare uoluimus: multæ huiuſcemodi maculæ ſunt in impreßis libris, quorum maior pars ab aliquo manu ſcripto fluxit. Accepi poſtea à doctis uiris qui ſummo ſtudio has epiſtolas cum manuſcriptis ſex ſeptém ue exemplaribus contulerunt, in nullo eorum aliter atque in Mediceo legi.*

Eadem Epiſtola

Sed παίδας ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν. *Non ſunt hæc Græca uerba à Lentulo ipſo compoſita, ſed ſumpta è Tragœdia: priſcis autem temporibus illa propter ſententiæ grauitatem ualdè celebratur, nam à Plutarcho etiam in commentario, quo præcepta dat ad Remp. adminiſtrandam utilia, recitantur:* εἰ γὰρ εὐγενὴς καὶ φρονήματος μεγάλου τὸ ἀναφωνῆσαι, φιλῶ τέκν᾽ ἀλλὰ παῖδας ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ,

πῶς

πῶς ὧν &c. Nec tamen autor eorum adducitur. Ego ſanè uerſiculos ipſos in his, quæ conſeruatæ ſunt, Tragœdijs me legiſſe non memini. Huiuſmodi ſanè multas grandes, generoſáſque ſententias pronuntiari facit Euripides à Praxithea Erechthei regis uxore, quæ libens, uolénſque filiam ſuam pro ſalute Athenarum morti obtulit. Cùm autem Tragœdia ipſa, in qua erant, perierit, leguntur apud Lycurgum acerbum illum accuſatorem in oratione quam ſcripſit contra Leocratem, quamuis in uerſiculis ipſis, qui plurimi ſunt Praxithea oſtendat, ſe unam tantum filiam ad ſupplicium tradere, Cicero autem in prima quæſtione Tuſculana, & in oratione quoque pro P. Seſtio narret plures Erechthei regis filias cupidè mortem pro uita ciuium oppetiſſe.

Libro 12. Epiſtola 17.

In iſta ſolitudine. Ita iampridem caſtigauimus, in noſtríſque libris ſcribi iuſsimus, ſecuti Medicæi codicis, & aliorum manu ſcriptorum autoritatem, nec non rationem ipſam: nihil enim certius hac lectione, nihil clarius eſſe poteſt: & hoc eſt cur in explicationbus noſtris eam ſilentio præterijmus: neque enim confirmatione egebat, quam tamen alij ſibi poſtea uendicarunt.

Libro 12. Epiſtola 25.

Vt Minerua noſtra cuſtos vrbis. Libro 11. de legibus, de Pallade hac cuſtode urbis egit: Ita autem illam appellauit, opinor, ut memoria ſuorum beneficiorum ſemper recens eſſet, qui ope huius ſapientiſsimæ Deæ patriam conſeruarat. Nominabantur autem Dij à priſcis illis quemadmodum à nobis etiam in noſtra religione, uel à munere aliquo, quo putarentur iuuare mortales: uel à locis, in quibus templa illis erecta eſſent, & ubi præſentiores eſſe conſueuerant. Cicero Mineruam ſuam Cuſtodem urbis appellauit Ciſalpinæ Gall

næ Galliæ populi Mineruam quam & ipſi ualde colebant, Memorem appellabant, quòd uota precéſque mortalium audire, nec obliuiſci ſoleret. Templum autem illi in agro Placentino ædificauerāt, putabántque eam morbos curare. Infra Cabardiacum, nō longè à Trebia, lapides plures uiſuntur, in quibus uota huic Deæ ſoluta inciſa ſunt. E remotis etiam locis ad opem illius confugiebant, nec tantum uicinæ gentes præſidio ipſius fidebant, quod ex epigrammatibus illis intelligitur: unius lapidis inſcriptionem ponemus.

MINERVAE
MEMORI
COELIA IVLIANA
INDVLGENTIA
MEDICINARVM
EIVS INFIRMITATE
GRAVI LIBERATA
D. P.

Sed etiam alterius, quæ oſtendit eandem illam Cabardiacenſem appellatam, quam mulier quæ uoti compos facta erat, dedicauerat.

MINERVAE
CABARDIACENSI
MARIA. C. MARI
VMBONIS F.
V. S. L. M.

Vt autem hæc Minerua à ſede Cabardiacenſis appellabatur, ita Diana quædam Limnatis dicebatur, de qua potiſſimum nunc mentionem facimus: ubi enim de ipſa agitur in IIII. *lib. hiſtoriæ Taciti, ſcripturæ peruerſio eſt: uolumus autem eam tollere. Audite dehinc Lacedæmoniorum, & Meſſeniorum legationes, de iure templi Dianæ Limenitidis: legēdum*

V enim

enim eſt Limnatidis, priſcum ſanè illud exemplar, unde exſcripti ſunt primi quinque libri, quod in Medicæa bibliotheca ſeruatur, Liminatidis habet. Quamuis autem à diligente, & erudito uiro libri editi ſint, mendum tamen hoc cauere ille non potuit: manu enim ipſius in margine ueteris codicis ἄρτεμις λιμνῖτις; *ſcriptum eſt, quam putauit ueram eſſe lectionem. Quantopere autem deceptus ſit oſtendunt Græci autores. Pauſanias in Meſſeniacis 89.* ἔστιν ἐπὶ τοῖς ὅροις τῆς μεσσηνίας ἱερὸν ἀρτέμιδος καλουμένης λιμνάτιδος. *Item 109.* ἔστι δὲ ἐν τῇ μεσογαίῳ κώμη καλάμαι καὶ λίμναι χωρίον· ἐν δὲ αὐτῷ λιμνάτιδος ἱερὸν ἀρτέμιδος. *Sed etiam Strabo libro* VIII. *pag. 158. ſuperiores duas, & nonnullas alias uoti ſolutiones è uetuſtis lapidibus acceptas dedit mihi Hieronymus Fondulus excellentis ingenij, & multarum literarum uir, qui paucis his menſibus morte obita magnum ſui deſiderium amicis reliquit.*

Eadem Epiſtola.

Quem ego ructantem, ac nauſeantem conieci in Cæſaris Octauiani plagas. *Quamuis ex recepta hac lectione commodus ſenſus eliciatur, conſilium tamen non fuit ueterem præterire, quæ diuerſa eſt:* CONFECI *enim in Medicæo legitur, & in alio quoque ſatis probato, non* CONIECI. *Quòd niſi poſtrema dictio eo caſu poſita impediret, hanc ueriorem putarem. doctiores uidebunt, an tolerari poßit, & num alijs etiam in locis probi autores ita locuti ſint: nam uis illius uerbi* CONFECI, *præclarè hic conuenit, niſi fallor, ut de Aruſpicum reſponſis inquit: Haud poteſt grauioribus à me uerbis uulnerari, quàm eſt ſtatim in facto ipſo à P. Seruilio confectus. Sed infinita exempla huius locutionis eſſe poſſent. Illud autē* CON-

FICERE IN PLAGAS, *dictum uidetur, ut inſuere in culleum, & ut in epiſtola Aſinij deprenſus in ludum: ita enim arbitror locum illũ legi debere, non* DEPRESSVS, *quemadmodum aliàs oſtendimus, nam ſic ferè in Mediceo, & uerbum ipſum* DEPRENDO, *& quæ ab eo deriuantur, ſcribuntur. Quintilianus quoque lib.* IX. *oſtendit, utroque modo ſine culpa dici poſſe, cùm inquit:* Vtrum *uolet, ſumat compoſitio,* Vitauiſſe, *uel uitaſſe:* Deprehendere, *uel deprendere: ut* Vementer *quoque, & aliæ etiã huiuſcemodi dictiones, eruditiores de tota re nunc ſtatuent. Senſus autem huius loci facit, ut recorder alium item deprauatum in* Epitome *primi libri* δειπνοσοφιστῶν Athenei: *ille tamen, quemadmodum puto, ſatis tutò emendari poteſt.* Priſcum *autem quendam* Macedonum *morem exponit: qui, ut ad fortitudinem iuuenes excitarent, non patiebantur in conuiuijs accumbere, qui extra plagas aprum non confeciſſet: ſed in menſa, donec hoc præſtaſſent, ſedere uolebant: id enim multò minus in ſe dignitatis habebat. Quàm deprauata autem apud eum autorem uerba ſint, quæ hanc ſententiam exprimere debebant, facilè animaduerti poteſt, ut non ſine cauſſa in impreßis libris ad locum tot maculis inquinatum mendi nota adpoſita fuerit: ita autem totus legi debet,* ἡγήσανδρος δὲ φησὶ ὅτι ἔθος εἶναι ἐν μακεδονία κατακλίνεσθαί τινα ἐν δείπνῳ εἰ μήτις ἔξω λίνων ὗν κεντήσειεν. ἕως ὃ τότε καθήμενοι ἐδείπνουν. Addit idem *quemadmodum* Caſſander *annorum triginta quinque adhuc iuxta patrem ipſe ſederet, quòd nunquam certamen conficere potuiſſet, quamuis & uir fortis, & bonus uenator eſſet.*

Eadem Epiſtola.

Quam quidem nos damus operam, vt rectam

teneamus. *Alludit ad ſententiam illam Græci poëtæ, quam ad Q. Fratrem ſcribens tetigit: eiúſque quam hîc Latinis uerbis exprimit Græca uerba poſuit, uel potius initium ipſius* ὀρθὰν τὰν ναῦν. *De illa autem nos in eo loco copioſius diſſeruimus.*

Libro 12. *Epiſtola* 27.

Senatus ſæpius pro dignitate tua appellaretur. *Diximus olim Medicæum, & alios manuſcriptos habere* APPELLARET, *quam lectionem ſi tunc non contempſimus, nunc multò magis probamus: uidetur enim hîc Cicero dixiſſe, Senatus appellaret: ut in epiſt. ad Tironem: nobis inter has turbas Senatus tamen frequens flagitauit triumphum. ſtatuant nunc eruditi.*

É Libro ad C. Memmium, Epiſtola 8.

Cuius ex filia. *Si aliqua in re, quæ inſcitiam literarum, ingeniíq; tarditatem argueret reprehẽderer, æquo animo paterer, uel potius gratias agerem: nihil enim tam cupio, quàm doceri, & de ſententijs illis, quibus anteà multum tribuerim, ſi falſæ ſunt depelli. Cùm autem in rebus, quæ ad uitam, moréſque pertinent iniuſtè accuſor, ferre non poſſum: non ſum adeo anguſto, & ieiuno animo Paule, ut mihi aliorum induſtria inuentas res uendicem ipſe potius ſiquando aliquid labore, ac diligentia mea è tenebris eruo, alijs deferre conſueui: cuius rei mihi multi teſtes eſſe poſſunt: neque enim in obſcuris locis uiximus, & multorum etiam doctorum, clarorúmque uirorum amicitia floremus. Non uideo cur quæ à te, ut ais excogitata ſunt, mihi quoq; in mentem uenire non potuerint. Ipſe ſanè arbitror, ſiquid eruditum, & acutum unquam inueni, ab alijs prius id, meliúſque excogitatum fuiſſe. Quòd me cupidè dicis librum tuum reprehendere, falleris: nunquam enim iſtius laudis magnopere*

gnopere

gnopere auidus fui, neque uerò eſſe debui. Odioſum *genus hoc eſt ſcribendi mi* Paule, *nec poteſt ita tractari, ut nō uoluntas alicuius offendatur: neque ego hoc non uidebam, ſed mos gerendus fuit amicis. puto etiam me apud alios offendiſſe, poſtquàm tu, contra quem dicere nunquàm cogitaui, tam grauiter tibi læſus uideris.* Falſum *etiam illud eſt, me de te male exiſtimaſſe, quem ne notum quidem habebam: quòd tua ſanè culpa factum non eſt: omnia enim feciſti, ut ab omnibus cognoſcaris: neque ego tam negligens fui, ut nō edito tuo libro, de doctrina, & ingenio tuo percunctatus ſim: culpa illius fuit, qui interrogatus ea mihi confirmauit, quæ ipſe falsò credebat. poſtquàm te cognoui, ac de ingenio, & eruditione tua multa à melioribus autoribus accepi, de te mehercule ſemper bene exiſtimaui, & mirificè amare cœpi, cuius rei argumentum eſſe poteſt, quòd cùm audiſſem te Ciceronis epiſtolarum libros imprimere, dixi me libenter tibi, ſi id ſciſſem, nonnulla traditurum fuiſſe, quæ uidebar mihi non inſulsè poſt primam illam editionem animaduertiſſe: quod ſtatim tibi per uiros honeſtiſsimos, amiciſsimóſque tuos ſignificatum eſt.* Et *nunc quoque à te prouocatus, ac ſcriptis laceſsitus, non poſſum tibi non amicus eſſe, ſempérque ero, dum te tanto ſtudio ſcripta antiquorum multis modis deprauata caſtigare, & caſtigata ad communem fructum edere cognouero, quamuis mihi placatus nō ſis.* Quòd *ſi animum tuum, tam infenſum mihi, aut leui, aut nulla de cauſa ſciſſem, operam dediſſem, ut tibi ſatisfacerem: neque enim mihi unquam cum literatis & ingenioſis hominibus inimicitias eſſe gerendas putaui: ſed eos & amandos & omni officio colendos perpetuo duxi.* Nam *quòd quereris me nonnulla potius Germanis accepta referre, hoc me penitus omni culpa liberat, docétque, nunquam diſsimulaſſe, à qui-*

bus adiutus ſim. cur enim potius Germanis, quàm Italis hominibus? qui mecum nulla re, neque publicè, neque priuatim coniuncti ſunt. Amo ſanè nationem illam, ut non minus belli artibus quàm pacis ſtudijs claram: nec tamen Italos homines odio proſequi debeo. omnibus denique me magno beneficio obſtrictum fatebor, quicunque hanc partem literarum impigrè adiuuerint. Hic potiſſimum purgare nos uoluimus, quia hoc in loco acerbiſſimè nos accuſaueras.

Lib. 13. Epiſtola 9.

P. Rupilius P. F. men. *In uetuſtis libris ita ſcriptum offendemus. quam lectionem uariare, cùm nihil certi haberemus, conſilium non fuit: qua in ſententia permanemus, præſertim cum alios in hac re ualde inconſtantes uideamus.*

Lib. 13. Epiſtola 15.

Peruſtum, etiam num. *Quidam lectionē quam anteà amarant ſine cauſa damnant, eam nos quoque in Mediceo inuenimus, ideóque tunc recepimus:* Sic enim in illo eſt, etiam hominem peruſtum, etiam num gloria. *nam alijs quoque locis animaduerti in illo exemplari hanc uocem ita ſcriptam eſſe, ut in prima epiſtola ad* Brutum *huius libri*, quo etiam nunc maximè delectamur. *Ipſi quàm deprauati ſint libri, quibus magnam fidem habent, nolentes oſtendunt.*

Lib. 13. Epiſtola 21.

Vir cum bonus, tum perhumanus, & in omni officij genere diligendus. *Rectum non puto, receptam lectionem cum antiqua conſentientem immutare, quæ præſertim egregium ſenſum habeat: neque enim ſemper eodem pacto loquitur* Cicero, *& fruſtra tam eloquēs habitus eſſet ſi elocutionem uariare non potuiſſet. In omni igitur officij*

genere

genere diligendus, qui ita ſe gerit in omni officij genere, ut meritò amari diligique poßit, qui cumulatè omnibus officijs ſatisfacit: non pauci enim in hoc, aut illo officio laudari, in aliquo tamen (non enim perfecti & abſoluti ſumus) non ualde commendari poſſunt: ex ijs erat Auianus, qui uno tenore in omnibus officijs reſponderet.

Libro 13. *Epiſtola* 14.

Vniſque ſe literis meis. *Ita olim ope noſtrorum antiquorum codicum hunc locum caſtigauimus, nõnulli tamen affirmant, ſe nunc cum in omnibus impreßis antea* iſque ſe literis, *legeretur,* vniſque ſe literis, *emendaſſe: in noſtro autem libello de hac, ut plana, certáque animaduerſione non diſputaramus.*

Libro 13. *Epiſtola* 27.

Et vt vos ſoletis in formulis. *Anteà in omnibus impreßis legebatur,* & vt vos in veſtris formulis. *corruptus eſt hac parte Medicæus codex: ita tamen corruptus, ut arbiter ex ipſo elegantiorem uulgata lectionem elici poſſe, quam ipſe ſanè probaui: an peccauerim nunc eruditi cognita illa animaduertent,* & vt voletis in formulis, *eius igitur autoritatem ſecutus, tollendam cenſui dictionem* VESTRIS, *&* ex VOLETIS, *uos* SOLETIS, *feci. Sic etiam cum* Trebatio, *qui & ipſe iuriſconſultus erat, locutus eſt.* Hoc *(quemadmodum uos ſcribere ſoletis in ueſtris libris) idem* Q. *Cornelio uidebatur.*

Libro 13. *Epiſtola* 41.

Omnino oſtenderunt Bulliones. *Impreßi ante meum* BELLIONES, *mendosè habebant, meus* BVLLIONES, *ut in antiquis libris rectè. Si literam* V, *pro* Y, *frequenter ponebant ueteres, ut nonnulli exemplis quoque confirmant, non uideo cur priſcam ſcripturam damnent,*

& ueram lectionem uelint eſſe BYLLIONES. *Si Græci ſuo ſermone Bylliones pronuntiabant, nihil abſurdum, ac nouum Rom. homines faciebāt, cùm Bulliones dicebāt: erat enim hæc ipſorum in Græcis nominibus conſuetudo, ut* Y, *in* V, *uerterent. Eadem ratione Plinius eoſdē populos Bullidenſes appellauit. In priſcis Terentij Varronis exemplaribus, Subaris & Subaritanus ager pro Sybaris & Sybaritanus ſcriptum eſt, in pandectis quoque Florentinis Berutus pro Berytus ſemper.*

E' Libro ad Terentiam uxorem.

In hoc libro hoc imprimis adnotandum exiſtimo, nullo certo ordine epiſtolas quas continet, collocatas eſſe, quod ignoratum magnopere improuidum lectorem perturbare poſſet: & quantum ego perſpexi, tria ſunt tempora quibus ad Terentiam epiſtolas ſcripſit Cicero: de his loquor, quæ nunc inueniuntur: cùm in exilium pulſus eſt: cùm in Prouinciam Ciliciam Procos. miſſus, cùm bellum ciuile inter Cæſarem Pompeiúmque exortum, ac geſtum eſt: nam poſt aduerſum in Pharſalia prælium, cùm in Italiam rediſſet, non multò pòſt uxori nuntium remiſit: primas quattuor ſine dubitatione ſcripſit, cùm à Clodio è patria eiectus eſt.

Libro 14. epiſtola 2.

In nouis Tribb. pleb. intelligo ſpem te habere. *Auxilio huius maximè loci & alterius, qui in ſequente epiſtola, huic par eſt, emendatur locus inquinatiſſimus in epiſtola ad Q. Fratrem, qui in cunctis, & impreſſis, & manu ſcriptis codicibus eodem pacto deprauatus eſt. De notius autem Trib. pl. eſt ille quidem in me officioſiſſimus Seſtius, & ſpero, &c. Sic enim legendum eſt, De nouis autem Tribb. pleb. eſt ille quidem in me officioſiſſimus Seſtius. Quamuis*

con

coniectura tantum ac iudicio ductus ita legendum eſſe uiderim: non arbitror propter claritatem quam res habet, me temerarium iudicatum iri, qui omnino affirmem ita legi debere.

Libro 14. *Epiſtola 5.*

Si tu, & Tullia lux noſtra. *Quo tempore ſcripta ſit, patet.*

Libro 14. *Epiſtola 6.*

Nec ſæpe eſt. *Noluiſſe intelligi à quo ſcripta epiſtola eſſet, ſi forte in alienas manus ueniſſet, multis modis cognoſci poteſt: de hoc olim accuratè diſſeruimus, titulúmque ipſius inuentum in optimis libris notum eſſe uoluimus. Quod núnc etiam obſeruatur ab iјs, qui ad eos ſcribunt, quibus periculum crearent, ſi literas ad eos mitti, & eos reſcribere intelligeretur. Tempus quo ſcripta ſit, non affirmarim: arbitror cum in caſtris Pompeianis eſſet, uel paulò antè quàm ex Italia diſcederet, ad Pompeium nauigans. Quod agit de pecunia, & prædiorum uenditione, tradit Plutarchus iratum fuiſſe Terentiæ Ciceronem, quòd belli tempore commoda illius neglexiſſet, neque ei ſuppeditaſſet, quæ ad conſilium, itérque illud neceſſaria erant, ut ex Italia diſceſſerit in magnis anguſtijs exiſtens, ac penè ſine uiatico.*

Libro 14. *Epiſtola 7.*

Omnes moleſtias. *Manifeſto ſcripta epiſtola cùm iam nauim conſcendiſſet, in Pompeiana caſtra nauigans.*

Tres puſillæ quæ ſequuntur epiſtolæ nulla certa indicia habent, quibus temporibus ſcriptæ ſint: arbitramur tamen cùm Brundiſij eſſet Ciceronem eas ſcripſiſſe. In prima agit de Cæſaris literis de quibus etiam ad Atticum ſcribens illis uerbis (niſi fallimur) egit. Non meo uitio fit hoc quidem tempore (antè enim eſt peccatum) ut me iſta epiſtola nihil

conſoletur. & in Oratione pro Q. Ligario: Qui ad me ex Aegypto literas miſit, ut eſſem idem qui fuiſſem. Quamuis penultima huius libri epiſtola agat de Cæſaris literis ſibi redditis, & non antea Romam allatis: quas ſanè eſſe credimus illas, quas in oratione pro Ligario intellexit, ut eæ fortaſſe de quibus Terentia, & Atticus ſcripſerant, diuerſæ ab illis fuerint, nam multis modis priores has Cicero ſuſpectas habebat, & à Cæſare non eſſe iudicabat: de illis autem, quas accepit ipſe uereri non uidetur, ne fictæ ſint. In ſecunda de ualetudine Tulliæ, de qua etiam ad Att. Tulliæ meæ morbus, & imbecillitas corporis me exanimat. In tertia iubet Terentiam cum Attico loqui, ab eo enim intellecturam eſſe quid fieri uelit. Scribebat autem de omnibus rebus ad Pomponium, ut cognoſci poteſt ex epiſtolis, quæ ſunt in XI. *lib. ad Atticum ipſum miſsis.*

Libro 14. *Epiſtola* 11.

Tullia noſtra venit. *Poſt uictoriam Cæſaris in Pharſalia ſcripta, cùm diſceßiſſet à Pompeianis, & Brundiſij eſſet: quod multis coniecturis intelligi poteſt: & quantum ego ſuſpicor, poſt illam quæ ſequitur data: ea enim ſcripta eſſe uidetur, cùm paucos dies in Italia fuiſſet: gratulata enim erat illi Terentia de reditu in Italiam, & ſalute ipſius è tot, tantiſque periculis. Cui illa epiſtola Cicero reſpondit. Tulliam ad eum, cùm Brundiſij eſſet, ueniſſe, multi autores tradunt, & ipſe quoque oſtendit: quod cauſa inimicitiarum, ac diuortij illi cum uxore fuit: neque enim uiaticum ei dedit, neque comites præbuit, quos ætas illius, ac dignitas patris poſcere uidebatur. Omne autem illud tempus Cicero ibi manſit, quod in Alexandria, & Aſia Cæſar conſumpſit, quod longum fuiſſe ex hiſtoria illarum rerum intelligitur, & à Plutarcho etiam apertè narratur.*

Libro 14. Epiſtola 13.

Quod ſcripſi ad te. *Incertum tempus quo ſcripta ſit, & ſanè nonnullis locis obſcurior epiſtola: quamuis ſuſpicer cum Brundiſij eſſet: nam in epiſtola quadam ad Att. de quo hic etiam agit, inquit: Placet mihi igitur, & idem etiam tibi nuntium remitti: non tamen affirmarim idem negotium in hac, & in illa tractari.*

Libro 14. Epiſtola 14.

Veſtrum iam conſilium eſt. *Importunè in hunc locum inculcata hæc epiſtola eſt. Quis enim non uidet illam ſcriptam initio belli ciuilis inter Pompeium, & Cæſarem?*

Libro 14. Epiſtola 15.

Conſtitueramus. *Hæc poſt pugnam Pharſalicam ſcripta eſt, cùm Brundiſij eſſet, quod ſignificatur primis uerbis: dixerat enim antea, Nobis erat in animo Ciceronem ad Cæſarem mittere. Præterea quod inquit, Tulliam adhuc mecum teneo.*

Libro 14. Epiſtola 16.

Et ſi eiuſmodi tempora. *Non poſſum facilè conſtituere, quo tempore hæc epiſtola ſcripta ſit, utrúmne poſt uictoriam Cæſaris cùm Brundiſij ſederet, an multo tempore antea cùm exularet. Verba illa, ut ij uoluerunt, qui me de mea ſententia detruſerunt, aperire uidentur tempus, quo ſcripta ſit: nam alijs in locis reprehendit conſilium ſuum, qui ijs paruerit qui in uita eum retinere uoluerunt, cùm ipſe ſibi manus afferre cogitaret, poſtquam patria pulſus eſt. Quamuis accommodari etiam etiam poßint tempori, quod Brundiſij manſit, ut ſcilicet queratur de illis qui inuitum eum coëgerunt partes Pompeianas relinquere: docet enim ſe ſuprà magnis iniurijs compulſum id conſilium cepiſſe, quod non facilè explicari poſſet. In epiſt. ad Att. inquit,*

Quæ me cauſæ mouerint, quàm acerbæ, quàm graues, quàm noua & quæ ſequuntur. ut hoc uerius eſſe putem.

Libro 14. Epiſtola 17.

Siquid haberem. *Conſtat ſcriptam fuiſſe, cùm Brundiſij eſſet: nam ad Atticum etiam tunc ſcribens, inquit: 463. Quantis curis afficiar, & ſi profectò uides, tamen cognoſces ex Lepta, & Trebatio.*

Libro 14. Epiſtola 18.

Conſiderandum vobis. *Scripta initio belli ciuilis, quare & ipſa huc importunè inculcata. Vnum admonere uolo, inſcriptiones harum epiſtolarum, quæ & elegantiſsimæ ſunt, & amoris, ac ſuauitatis pleniſsimæ, quales in meo libro ſunt, tales in Medicæo inueniri: id enim ſumma diligentia cuſtodiuimus. Idem etiam in epiſtolis, quæ ad Tironem ſcriptæ ſunt obſeruauimus, nam illarum quoque inſcriptiones, & ſuauiſsimæ, & ardentiſsimæ ſunt.*

Libro 14. Epiſtola 19.

In maximis meis doloribus. *Scripta ut arbitror cum Brundiſij eſſet, poſt deuictum Pompeium: id mihi ſignificant uerba illa, Quòd me propius uultis accedere. nam ad Att. etiam ſcribens, eodem tempore, inquit, Quòd ſcribis placere, ut propius accedam. in hac etiam epiſtola narrat ſe expectare à Pomponio literas, quid enim de hac re ille ſentiret, ſcire uolebat.*

Libro 14. Epiſtola 20.

In Tuſculanum nos venturos. *Hæc quoque non ſeruato ordine hic collocata eſt, tempus etiam incertum, quo ſcripta ſit: fortaſſe cùm è prouincia rediјt: potuit etiam cum ad urbem appropinquaret, poſt reditum Cæſaris in Italiam: nam non antè Brundiſio diſceſsit, quàm illum bello Alexandrino confecto, & Pharnace ſuperato, uictorem*

Tarent

Tarentum nauibus appuliſſe audiuit. De duabus *quæ ſe-quuntur, nihil certi tradi poteſt, ſuſpicor tamen ſcriptas eſſe à Cicerone cùm Brundiſij maneret.*

Libro 14. Epiſtola 22.

Redditæ mihi iam tandem. *Dubitari non poteſt, quin hæ literæ & inferiores poſt reditum ipſius in Italiam ſcriptæ ſint, relictis partibus Pompeianis, cùm iam multum tempus Brundiſij manſiſſet. Quod autem ſe adhuc non ſtatuiſſe inquit, utrum illi obuiam procedat, an illic enim expectet: quid poſtea fecit, narrat Plutarchus in uita ipſius:* καταχθὼν δ' εἰς βρεντέσιον ἐν ταῦθα διέτριβε. καίσαρα περιμένων βραδύνοντα διὰ τὰς ἐν ἀσίᾳ καὶ περὶ αἴγυπτον ἀσχολίας· ἐπεὶ δ' εἰς τάραντα καθωρμισμένος ἀπηγγέλλετο καὶ πεζῇ περιιὼν ἐκεῖθεν εἰς βρεντέσιον, ὥρμησεν πρὸς αὐτόν.

È Libro ad Senatum, Epiſtola 1.

À Tarcondimoto. *Nec à ueteſtis codicibus diſcedo (nam in Mediceo, cui multum tribuo, nulla uarietas) nec receptam lectionem muto, res ipſa libérque meus teſtantur, nec ullo modo reprehendi debeo, ſi in manu ſcripto Dione oſtendi* TARCONDOMOTVM *legi: cui enim hæc puſilla in re diligentia mea obeſſe poteſt? Idem tamen in melioribus poſtea codicibus Dionis* TARCONDIMOTVM *ſcriptum eſſe obſeruaui.*

Eadem Epiſtola.

Quíque noſtram conſuetudinem. *Probo lectionem Corrigienſis, ingeniúmque ac diligentiam ipſius laudo, qui* MANSVETVDINEM *potius, quàm* CONSVETVDINEM *legendum putet.*

Eadem Epiſtola.

Pœna afficeret eós, quos neceſſe eſſet, cæteros metu

metu liberaret. *Quomodo regnare oporteret, præclarè intelligebat Cicero: ſciebátque inutile eſſe, quemadmodum non grauiter animaduertere in eos, qui in uitam principis conſpiraſſent, ita etiam eos, qui non ualdè illi culpæ affines eſſent, in diuturniore metu continere: homines enim propter metum ſæpe fortia, & callida conſilia in animo uerſant: ac deſperatione ſuadente, ea tentant, quæ niſi omnem ſpem ſuæ ſalutis abieciſſent, nunquam attingerent. Eſt igitur conſilium Ciceronis, Ariobarzani ipſi, & iis, qui in eum leuiter peccaſſent, ſalutare: nam eos tantum necandos cenſet, quos neceſſe eſſet, reliquis autem ignoſcendum: ac non ſolùm ignoſcendum, ſed etiam omnem timorem illis eripiendum. Plato in epiſtola ſua oſtendit, Dionyſium Syracuſarum tyrannum à nullo doctum, ut ualdè regnandi peritum hoc pulchrè tenuiſſe. cùm enim & ſe, & alios læſiſſet, animaduertiſſétque ipſos propter has iniurias malè affectos eſſe, ueritus, ne metu inducti, audax aliquod facinus aggrederentur, conabatur blandis uerbis, & omni genere comitatis omnem metum ex animis ipſorum pellere, ipſúmque in primis Platonem bene ſperare iubebat. Verba Platonis hæc ſunt, quæ quia elegantiſſima ſunt, & huic loco ualdè accommodata, libenter adpoſuimus, ὁ δὲ αἰσθανόμενος πάντας ἡμᾶς οὕτω διατεθέντας φοβούμενος μὴ μεῖζον ἐκ τῶν φόβων γένοιτό τι φιλοφρόνως πάντας ἀντελάμβανε καὶ δὴ καὶ αὐτὸν ἐμὲ παρεμυθεῖτο καὶ βαρρεῖν διεκελεύετο.*

Libro 15. Epiſtola 2.

Vt intelligeretis ex iis, quæ penè acciderunt. *Mediceus codex* VT *non habet, quod culpa librarij factum procul dubio arbitrarer, niſi in ſimili ſententia, & elocutione hod idem non multò pòſt commiſiſſet: nam in altera epiſtola ad Catonem ſic locus ille in eo libro ſcriptus eſt:*

Cuius

Cuius etiam interitum facilè intelligerem, mihi quantum tribueres Milonis cauſa in ſenatu defendenda approbaris, Ac ne nunc quidem *affirmarim mendo hos locos uacare: eſt enim durus ſermo, & auribus meis nouus: hoc tamen propter libri ipſius autoritatem adnotare uolui, ſi fortè elocutio uera, & recta (quod non puto) eſſet diligentia mea, ſi non doctrina, æquis probiſque uiris ingrata non erit.*

Libro 15. Epiſtola 3.

Tum præſenti magnitudine. *Ego ex illis ſum, qui cùm* PRÆSENTIA *in Medicæo ſcriptum inueniſſem, uitioſum locum putaui, minus tamen quàm in impreßis inquinatum. Quòd* PRÆSTANTI, *aut* PRÆSENTI MAGNITVDINE *animi rectè dici poſſe nonnulli negant, ſeipſos quoque reprehendunt, qui in priore ſua editione* PRÆSENTI MAGNITVDINE *ſcripſerunt: nam quòd multos accuſant, qui ex* PRÆSENTE PRÆSTANTEM *faciunt: me laudent neceſſe eſt, qui contrà ex* PRÆSTANTI PRÆSENTI *feci. Si uetus autem ſcriptura, elocutióque recta, & integra eſſe ab eruditis uiris: & non dura, & aſpera iudicabitur, ego illam ualde amabo, quippe quam in libris iis, quibus multum tribuo inuenerim.*

Libro 15. Epiſtola 4.

Et omnino iis, qui nouari aliquid volebant. ET TOTO IIS, *antea legebatur, non in impreßis tantùm, ſed etiam manu ſcriptis codicibus, unum excipio, qui* ET SOCIIS, *habebat. Locum uitium habere ſuſpicati ſumus, &* OMNINO *non incommodè legi poſſe iudicauimus: arbitrati locum quondam ita ſcriptum fuiſſe,* ET OĪO, *ex qua ſcriptura poſtea ab imperitis librariis* ET TOTO *factum ſit,* Decepti ne tunc ſimus, *eruditi iudicabunt: nos*

quidem

quidem, niſi aliud contra nos excogitatur, in ſententia permaneamus. Nam *quòd quidam uulgatam lectionem, à ſe quoque olim damnatam, tuentur, utuntúrque ad eam probandam loco Ciceronis ad* Atticum: *uerum id eſſe crederem, ſi hic ut alibi fecit, & quod totum eſt, dixiſſet.* Semper e*nim inueni ita Ciceronem locutum eſſe, cùm hoc ſignificare uult, ut præter exemplum ab illis adductum, hoc ad* Q. *Fratrem apertè oſtendit,* 290. T*otum in eo eſt (quod mihi erit curæ) tectorium ut concinnum ſit. nam* ET TOTO, *hac ſententia nimis durum eſt, & niſi ualde fallor, probari nullo pacto poteſt.*

Eadem *Epiſtola.*

Quas is conſul in vrbe geſsiſſet. *Antiqui mei uulgatam, receptámque lectionem habent: alius codex (ut quidam tradunt)* quas conſul in vrbe geſsiſſet. *Verius tutiúſque de tota hac re ſtatui poſſet, ſi uir, de quo loquitur, & negotium etiam ipſum, de quo agit, intelligeretur.* Q*uis enim ſcit an intelligat* P. *Lentulum, qui cum* Ciceronis *cauſam* COS. *enixè adiuuiſſet, poſteáque fortaſſe ob res foris geſtas ſupplicationes ſibi decerni poſtulaſſet, aduerſum habuerit* Catonem, *qui in ea re diſputanda uocem illam coniecerit,* Se *decreturum fuiſſe, ſi referretur ob eas res, quas idem* COS. *in urbe geßiſſet.* Nam *ita etiam* Cato *præclarum de* Cicerone *iudicium fecerit: cùm cenſuerit res illas, quæ pro ſalute ipſius ſine armis geſtæ eſſent, dignas eſſe ſupplicatione, ac præponendas ijs, quas in imperio cum exercitu idem ille, qui ei quondam ſaluti fuerat, pro* Repub. *geßiſſet.* Neque *tamen hoc, quod à nobis cogitatum eſt, uerum eſſe affirmamus, ſed huiuſcemodi aliquid, quod idoneum ſenſum habet, conſeruata recepta lectione, intelligi commodè poſſe, iudicamus.*

Libro

Libro 15 Epiſtola 16.

Cum hæc tertia iam epiſtola ante operis ſit. *Quod ita olim ſcripſimus, dedimus id antiquorum codicum autoritati, in quibus ita ſcriptum offendimus. uetuſtam lectionem quibus potuimus argumentis cõfirmauimus, quam qui non probat, receptam ſequatur.*

Ibidem.

Quod vel ijs ipſa occurrunt. *Locum inquinatiſſimum ita purgari poſſe cenſuimus, non inſulsè (ut opinor) neque ineleganter: alij ſtudioſos in iiſdem uolutari ſordibus uoluerunt. Magnas labes in antiquis ſcriptoribus factas eſſe, quòd ab imperitis librarijs quandoque ex duabus una dictio facta ſit, aut contrà, ex una duæ, fatebuntur. Quod ſi quis hîc quoque factum eſſe concedit, nullus labor eſt reliqua reſtituere. Infinitis locis in Medicæo codice duarum uocalium, quas appellant, altera abſorpta eſt, ad Pætum: Salis enim ſatis eſt, ſannonum parum. ad eundem: Tunuculo apparatu ſignificas Balbum fuiſſe contentum, pro* SANNIONVM, *&* TENVICVLO. *poſſemus infinita alia exempla afferre, & hoc frequentius. Eſt, cùm eædem literæ ſunt, ut in epiſtola Q. Ciceronis. Res eſt aut Tribunicis, aut priuatis conſilijs munienda, pro Tribunicijs. Nam de Germanorum fide bene exiſtimo, uideo enim illos epiſtolarum antiquos codices habuiſſe, multáque adnotaſſe, quæ ficta non eſſe & commentitia auſim affirmare. De ſententia horum uerborum non laborabo: puto enim me affatim oſtendiſſe citatis teſtimonijs magnorum uirorum, decretíſq; illorum explicatis, ſi ita legatur, omnia opinionibus illius familiæ reſpondere.*

Ibidem.

Quidem in culina. *Quid de his uerbis ſentiremus,*

antea locuti ſumus: operam dederunt alij, ut ex hoc tam deprauato loco commodus aliquis ſenſus eliceretur, in quo mihi laborandum eſſe non putaui, in tanta enim caligine, ac tenebris, me lucem aliquam diſpicere poſſe non ſperaui. Illorum lectionem, ut acutè excogitatam, non reprehendo: ut ueram, germanámque laudare, nullo modo poſſum: nam uerba etiam illa, quæ adiunguntur, pudet enim ſeruire, non ualde mihi uidentur ſententiæ, quam excogitarunt, conuenire.

Libro 15. Epiſtola 19.

ἡδονὴν verò & ἀταραξίαν. Ita accuratè de hoc loco diſſeruimus, ut aliquid nunc addere ſuperuacaneum exiſtimemus. Mediceus ueræ lectionis ueſtigia, & ipſe retinet: habet enim ΑΙΑΧΙΑΝ ut ſi ſecundæ literæ apicem addas, ἀταξίαν facias, quod in alijs etiam manu ſcriptis inuenitur. Animaduertimus autem librarium, qui cum codicem ſcripſit, in hoc ſæpe peccaſſe, & ut imperitum Græci ſermonis Ι pro Τ crebro ſumpſiſſe, ut paulò ſuprà, ΙΟΚΛΛΟΝ. & ad Fabium ΤΕΛΩΙΑ ΚΑΡΔΩΝΙΩΝ. In cunctis autem media ſyllaba defecit. Præclara etiam uox Epicuri à Clemente in VI. commentario de uera philoſophia adducitur: qua docuit ille non paruum iuſtitiæ fructum eſſe, quòd ea reddit animum omni perturbatione uacuum: in ea autem explicanda ille hoc nomine uſus eſt. δικαιοσύνης καρπὸς μέγιστος ἀταραξία. Sed altera etiam eiuſdem à Plutarcho in commentario aduerſus Colotem Epicureum: qua dignitatem huius ſecuritatis mirum in modum celebrauerat, Plutarchi ipſius uerba ſunt: ἀλλὰ τίνες εἰσὶν οἱ ταῦτα συγχέοντες καὶ ἄρδην ἀναιροῦντες οὐχ οἱ τῆς ἀταραξίας στέφανον ἀσύμβλητον ταῖς μεγάλαις ἡγεμονίαις λέγοντες.

Hanc,

Hanc, & ſuperiorem illã, de incurſione ſimulacrorum, caſtigationem, quæ non paruam doctrinam continent, & ab eo qui Epicuri ſententiarum rudis ſit, intelligi non poſſunt, expoſui nuper Franciſco Medici optimo ac nobiliſſimo iuueni, ut quid de hac omni re ſentiret, intelligerem: non quò Epicureus ille ſit: eſt enim omni liberali doctrina eruditiſſimus: Sed quum omnes Peripateticorum ſententias cognitas habere uoluerit: non ſpreuit etiam huius familiæ decreta, in primiſque Romanum poëtam qui inuenta Epicuri politiſſimè expreſſit, amauit: eámque operam in eo poſuit, quæ & illi neceſſaria erat, & omnibus ipſius ſtudioſis grata eſſe debebit. Ita autem loquor, quia ſpero illum cum per grauiora ſtudia, quibus deditus eſt, ei licuerit, non paſſurum tot, támque utiles ſuos labores fruſtra ab alijs deſiderari. Vt autem omnes intelligant, me non ſine cauſa de illius doctrina, & ſedulitate tam egregiè ſentire, locum è multis ab ipſo feliciſſimè reſtitutis, qui nunc mihi ſuccurrit exponam. In II. libro Lucretius, ubi docet corpora indiuidua, cùm multitudine infinita ſint, figuris eſſe finita: narrátque quod incommodum ſequeretur, ſi formæ illorum ſine fine eſſent: quod Democritus, & Leucippus uoluerant, inquit (ut Franciſci opera cognoſcimus)

Aurea pauonum ridenti imbuta lepôre
Secla, nouo rerum ſuperata colore, iacerent.

Qui uerſus, quàm deformati antea in omnibus libris eſſent, & quàm planam, elegantémque nunc ſententiam habeant, omnibus notum eſſe poteſt. Præſidio autem ille antiquorum codicum, adhibito etiam iudicio, quo plurimum ualet, omnes illinc maculas deleuit. Hanc libẽter ipſius hìc caſtigationem adiunxi, quia non paruo ornamento huic meo libello fore putaui. Cõſultus igitur ille à me ſuper duo-

bus his locis iudicium meum probauit, & hanc dixit ſe ue-ram eſſe illorum lectionem arbitrari.

Eadem Epiſtola.

Nam habet damnatos, quos pro illo nobis reſtituat. *Ita in manuſcriptis legitur, quam lectionem Paulus quoque poſteriore ſua editione ſequitur, & illius ſenſum declarat, cùm in priore* DOMI NOTOS, *legiſſet, culpa impreſſorum, ut arbitror cùm* DOMI NATOS *ſcribi uellet. Quòd ſi priſca exemplaria* DOMI NATOS *haberent, non inſulſus fortaſſe ſenſus ex illa ſcriptura duci poſſet, ut appellaſſet domi natos paratos, qui in manu eius ſemper eſſent, quorum magna copia nunquàm illum deficeret (*RESTITVAT, *autem ſupponat ſignificaret, & in eius locum ſubſtituat) hic enim eſt ſignificatus illius elegantiſsimæ uocis, crebro à Cicerone uſurpatæ, nec tamen hanc receptæ lectioni præponendam cenſemus. Potiúſque è genere illarum caſtigationum eſſe cenſemus, quæ ſubtiliter magis, quàm uerè excogitantur.*

Libro 15. Epiſtola 20.

Aliquantulum olim addidiſti. *In Mediceo nulla uarietas.*

E' Libro ad Tironem, Epiſtola 6.

Ius enim tibi dandum non fuerat, cum κακοςόμαχος. *Celſus quoque lib. I I. cap. 24. inter ea quæ aliena ſtomacho ſunt, iurulenta ponit. meritò igitur culpauit Aſclaponem medicum Cicero: ſi enim firmo ſtomacho iurulenta nō conueniunt, quanto magis infirmum affectúmq; Tironis ius quod ei dederat, lædere potuit.* κακοςόμαχον *appellauit, qui ſtomacho laboraret. Idem medicinæ candidiſsimus autor, cùm inquit, at imbecillis ſtomacho, quo in numero magna pars urbanorum, omnéſque penè cupidi literarum*

terarum ſunt, καχοςομάχοις *intellexit.*

Ibidem.

Quod dixiſſes daret medico.ipſi puto aliquid dandum eſſe. *Hæc uerba (niſi fallor) perperam diſtinɛta ſunt: & , ut arbitror, ita interpungi debent,* Quod dixiſſes, daret. medico ipſi puto aliquid dandum eſſe. *ut certiorem faciat Cicero* Tironẽ, *ſe ad Curium ſcripſiſſe, ut ei daret, numeraretque pecuniam, quam dixiſſet, ac popoſciſſet, ut illa ipſe in ſumptum uti poſſet.* Admonet *tamen* Tironem, *ut antè omnia medico ipſi partem aliquam illius pecuniæ ſoluat, quo ſtudioſior, ac diligentior ille ſit. neque enim ueriſimile eſt, iubere Ciceronem mercedem aliquam* Curio *dari, qui ciuis* Romanus *erat, & locuples homo, & Ciceronis in primis familiaris, quemadmodum ex epiſtolis ipſius intelligi poteſt, quæ ſunt in libro ad* Marium, *necnon ex epiſtola Curij ad Ciceronẽ: quicquid enim ille pro ſalute, & commodis* Tironis *faciebat, officij gratia faciebat & iure amicitiæ, qua cum patrono ipſius arctè coniunctus erat.* Hanc *etiam ſuſpicionem confirmant uerba illa, quæ ſunt in tertia ab hac epiſtola.* Curio *miſi, ut medico honos haberetur, & tibi daret quod opus eſſet: me cui iußiſſet curaturum. Oſtendunt enim uoluiſſe Ciceronem in poteſtate* Tironis *nummos eſſe, quamuis hic ei mandet, quod prætermitti non potuit, ut medico ſtatim mercedem diſſoluat.*

Libro 16. Epiſtola 10.

Poſteaquàm Senatus coss. Prætt. Tribb. ple. & nobis, qui Procoſs. ſumus. *Præſidio huius loci emendatur alter in* Oratione, *pro* Deiotaro *rege: qui cùm eandem ſententiam haberet, negligentia librariorum corruptus fuerat, uel potius uitio ueteris illius ſcripturæ ali-*

quantulum perturbatus:Cùm audiſſet ſenatus conſentientis autoritate arma ſumpta C O S S. *Prætt. Tribb. nobis imperatoribus remp. defendendam datam. ita enim legendum eſt, non* N O V I S. *ut nunc in omnibus impreſſis mendosè legitur.* Notum *autem iam omnibus eſt, ueteres librarios nullo penè diſcrimine illis literis uſos eſſe, quæ etiam ſcriptura in lapidibus antiquis reperitur:* Erat enim tunc Cicero *Cum imperio,& habebat faſces laureatos, quare & illum, & reliquos omnes, qui cum imperio eſſent, uoluit Senatus prouidere publicæ ſaluti. In* I I. Philipp. *Tum contra te dedit arma hic ordo* C O S S. *reliquiſque imperijs & poteſtatibus.* Cæſar *etiam in primo comment. cum de hoc* S. C. *loqueretur, inquit :* Dent operam C O S S. Prætt. Tribb. pl. *quique cum imperio ſunt ad urbem, nequid reſp. detrimenti capiat.* Romæ *de hac re hac animaduerſione cum eruditis uiris locuti ſumus.*

Eadem Epiſtola.

Sed mirus inuaſerat furor, non ſolùm improbos. *Admonuimus olim* M*edicæum codicem, & alium item bonum* I M P R O B I S *habere, tertio multitudinis caſu: & paulò pòſt eadem ratione* H I S: *nec tamen tanti mihi fuit autoritas illorum, ut ita ſcriberem, quamuis non ſine cauſa id factum eſſe exiſtimarim: animaduertimus poſtea optimos autores ita locutos eſſe. quare ueterem omnino lectionem, recipiendam cenſemus. citatur teſtimonium* Accij Meleagro, *à* Nonio Marcello *in* Vaſtities. *Quæ uaſtitudo hæc, aut unde inuaſit mihi? Item* Terentij Varronis *è* I I I I. *libro de uita populi* R. I 4 I 3. *Tanta porrò inuaſit cupiditas honorum pleriſque, ut uel cœlum ruere, dummodo magiſtratus adipiſcantur, exoptent. Alijs etiam in locis apud eundem, niſi memoria me decipit, ueteres ſcriptores ita lo-*

cuti

cuti eſſe reperiuntur, & (ut arbitror) exempla paßim occurrerent, niſi omnia, quæ contra certas quaſdam ipſorum regulas facerent, à recentioribus grāmaticis temere deleta eſſent.

Libro 16. Epiſtola 12.

Noſtram ad diem dictam fient. *Modus loquendi ſumptus à Græcis: illi enim* ἐς ῥητὴν ἡμέραν. *Vtuntur eo ſæpe Romanarū rerum Græci ſcriptores, Plutarchus, Dion, Appianus. Terentius, Ad præſtitutam diem, inquit: quemadmodum etiam ſæpe Cicero, qui Ad præfinitam quoque dixit. Plutar. in Cæſare,* ἂν ἐν ἡμέρᾳ ῥητῇ, μὴ καταθῶνται τὰ ὅπλα. *Appianus in Lybicis, de Scipione, qui primus Africanus eſt appellatus,* σκηνῶν δ' αὖ τριακοσίους καταγράψας εὐδαίμονας, ἐκέλευσεν ἥκειν ἐς ἡμέραν ῥητήν. *Dion libro* XLVII. *de Dolabella poſt Trebonij cædem.* καὶ τοῖς τε συνοῦσιν οἱ ῥητὴν ἡμέραν ἐς ἔκλειψιν τῆς φιλίας αὐτῶν προεῖπον. *Et militibus certam diem præfinierunt, intra quam illis fraudi non eſſet, ſi à Dolabella diſceßiſſent.*

Libro 16. Epiſtola 19.

Quoquidem comitatu ἀφωμίλησε, ſatis ſcis. *Locus obſcurus, & fortaſſe deprauatus, nullam in priſcis exemplaribus uarietatem inueni: nam quod paulò antè dixit, doctrinam fidelem, non incommodè dici poſſe, & eſſe tranſlationem quæ ferri poßit. ipſe ea uſus eſt, cùm de Oratore inquit, & habeas qui docere fideliter poßis.*

Libro 16. Epiſtola 19.

Helico nequiſsimus. *Sic omnes quos uidi manu ſcripti, Medicæus in primis: impreßi enim* HELLVO. *Ex uetere ſcriptura libenter legerem* SALACO *nequißimus: qua Græca uoce uſus eſt in epiſtolis ad Gallum, Cognoſti meam cauſam, & iſtius Salaconis iniquitatem. & in epiſtolis ad Att. Declaratio huius uocis qua naturam ipſius Græ-*

[illegible]pretantur, mirè quadrat huic ſententiæ Ciceronis: ait [illegible]m Salaconas dici θρυπτομένους, qui delicatè uiuunt, καὶ [illegible] μηδεῖ δαπανῶντας. & qui ſumptum faciunt, ubi minimè oportet: Cicero enim inquit, H-S. c I ↄ. dabat nullo aprico loco, nullo emiſſario, nulla maceria, nulla caſa: grandem igitur pecuniam pendebat, ubi non decebat, & in rebus quæ nihil haberent commoditatis, aut oblectationis. Ariſt. libro I I. rhet. ubi de morib. diuitum diſſerit & in quibus ferè peccent, oſtendit, inquit: τρυφεροὶ δὲ καὶ σαλάκωνες, quo etiam in loco aperit, cur illi his uitijs obnoxij ſint. Mirè igitur exprimit Græca uox huiuſcemodi ingenium, quale in eo quem acerbè accuſat, Cicero deſcribit. s. autem ultima erat litera antecedentis dictionis, quæ cum geminata eſſe deberet (conſequens enim uox ab eadem litera incipiebat) negligentia librarij relicta eſt, maculæ plurimæ huiuſcemodi ſunt. Par huic eſt, & eodem pacto conformata, quæ fœdauit locum Taciti in primo libro, ea autem tanti incommodi fuit ut perſuaſerit docto, & diligenti uiro locum illum ſtellula, ut deſperatum notare. ſic autem legendus totus eſt: Atque idem cum Valerius Meſſalinus huius ſignum aureum in æde Martis ultoris, Cæcina Seuerus aram ultioni ſtatuendam cenſuiſſent, prohibuit: ob externas ea uictorias ſacrari dictitans, domeſtica mala triſtitia operienda. Potuit etiam hæc in Cicerone peruerſio naſci, quòd ſuperioribus temporibus mala quædam conſuetudo erat libros corrigendi: non pauci enim fuerunt, neque hi omnino imperiti, nec parum in hoc munere iactati homines, qui cuncta, quæ ſtatim non intelligebant, tollerent: à quibus multæ, quæ nunc in bonis autoribus maculæ ſunt, fluxerunt. Oſtendimus aliàs, non pauca in Lucretio quondam ab eo, qui corrigere uoluit, deprauata fuiſſe: idem etiam de Catullo dicimus: cùm enim

ille uetuſtate ex maiore parte dilapſus eſſet, non pauca præterea uulnera ab his ſiniſtris correctoribus accepit. De una ipſius plaga nunc mentionem faciam, quæ ab eo impoſita eſt, qui rariorem uocem ignorabat, & malo conſilio uſus eam deleuit, ac communem peruulgatámque repoſuit: illum autem nomine etiam appellare poſſem, quod tamen non faciam, parcámque dignitati hominis. Verſiculi Catulli ſunt in carmine de Atti.

Ait hæc minax Cybele: religátque iuga manu
Ferus ſe ipſe adhortatus rapidum incitat animum.

Non ſolum autem manu ſcripti codices, ſed nonnulli etiam formis excuſi primis illis annis, quibus hæc ratio ſcribendi libros inuenta eſt, habent,

Ferus ſeſe adhortatus lis, rapidum incitat animum.

quæ uera, ac germana lectio eſt: LIS *autem Græcis leo: quod qui ignorant, parum in lectione Græcorum poëtarum uerſati ſunt, qui ea uoce frequenter utuntur. Theocritus certè in idillio, quem appellauit Hylam, inter ipſa uſus eſt. Libenter autem uſurpare poëtas peregrina uerba, & ea etiam ratione ſolere fabulas ſuas ornare, quis neſcit? Hanc quondam, cum Romæ eſſem, caſtigationem expoſui Franciſco Mario Molſæ, maximi ingenij, ac eruditionis uiro, ut eius iudicio potiſſimum uterer in eo poëta expurgando, quem ille plurimum amat, ac politiſſimis ſuis uerſibus diuinitus exprimit.*

Ibidem.

De crabra quid agatur. *In oratione contra Rullum: Ego Tuſculanis pro aqua crabra uectigal pendam, quia à municipio fundum accepi: Si à Sylla mihi datus eſſet Rulli lege non penderem. Quamuis in impreſſis mendosè* CREBRA. *Frontinus quoque ſæpe huius aquæ mētionem facit.*

Libro 16. Epiſtola 22.

m villico loquentem. *Quod in priſcis alijs mo=numentis adnotaui, in Mediceo hic obſeruatum eſt,* VILICO *ſcribi conſuetudinem fuiſſe per unum l, tantum, quod quamuis omnino non magni momenti ſit, tamen quia admi=rabile eſt, cum à uilla deducatur, præterire nolui. libri M. Varronis de Re ruſtica pleni ſunt huius nominis, nuſquam autem non ſic ſcriptum in perantiquo illo, qui eſt in Diui Marci bibliotheca, inueni. In Pandectis Florentinis quo=ties hoc nomen eſt, toties ita ſcriptum eſt. Romæ etiam ue=tere in lapide ita ſcriptum eſt* DOCIMO VILICO. *Rei paruæ doctiſſimum, & optimum uirum teſtem dabi=mus, Ludouicum Fabrum Faenſem, qui cùm hoc adnotaui præſens aderat: utebar enim iudicio illius ſummè officioſi hominis, in huiuſcemodi rebus, quarum ille peritiſſimus eſt, perſcrutandis. Sed aiunt etiam Capuæ in ſacello Diui Bene=dicti hanc inſcriptionem inueniri:*

EVTYCHVS VILICVS
A. PLVMBO EVAGOGVS. A. FLAM.
FECERVNT SIBI ET SVIS.

Libro 16. Epiſtola 25.

De publicis omnia mihi certa. *Antiqui codices cum recepta lectione conſentiunt: cogitandum tamen an legi de=beat* INCERTA: *rogat enim Tironem, ut ſcribat, quæ ſtatim exponit, ut qui nihil certi de illis rebus haberet.*

Ibidem.

Ego vix teneor, quin accurram: ſed ſi. *Hæc eſt Medicei codicis lectio, non ſine aliqua macula, ut exiſtima=re facilè poſſemus. non diſplicet Pauli coniectura; nam & peruerſio parua eſt, ſi ita legi debet, & idoneum ſenſum ha=bet; iubet enim Tironem tacere; quod antè dixerat, ſe uix*

tene

teneri, quin accurrat. Eodem modo locutus eſt in epiſtolis ad Att. nec tamen notam ibi poſuit, aut illo hoc ſignificauit, ſed uerbo expreſſit quid cum facere uellet lib. 11. *non libet fugere: aueo pugnare: magna ſunt hominum ſtudia: ſed nihil affirmo, tu hoc ſilebis.*

Ibidem.

Puto vnunque ad aquas, ſed quod egerint. *In noſtrum impreſſum codicem Medicæi lectionem tranſtulimus: quæ tamen culpa impreſſorum aliquantulum perturbata eſt: ſeiungere enim debebant hæc uerba ab inferioribus ut diſtincta eſſent, quemadmodum res ipſæ diſtinctæ ſunt:* Quod *ſi hoc ſeruaſſent, nihil ut arbitror deſideraretur, intelligi ſanè debet uerbum, quo illa regerentur, non tamen poni. uel,* nondum ſcio, *uel,* ad me ſcribe: *aut aliquid, quod ſententiam illam expleat, ut in epiſtola ante hanc in illo loco,* Antonius de lege egerit. Ad aquas *autem cum dicebant, quamuis nihil adderent, aquas tamen calidas, Baiáſque intelligebant.*

Libro 16. Epiſtola 68.

Mirificam mihi. *Hæc Q. Ciceronis epiſtola acerba, & aſpera eſt, ſic autem illum ſolitum ſcribere Marcus oſtendit, cum ei præciperet, quomodo ſe in Aſia* Procos. *gerere deberet, in primíſque hortaretur, ut ſe in ſcribendo maledictis abſtineret. Inuehitur in Conſules deſignatos, eóſque magna uerborum contumelia perſtringit. Arbitror autem intelligere eum Hirtium, ac Panſam: multis hoc coniecturis ductus credo. ſe autem conſcium eſſe dicit multis illorum ſceleribus ac libidinibus, quibus ita dediti erant, ut in maximis periculis uix ſibi à luxuria temperare poſſent: ipſe enim unà cum illis in Gallia Imp. Cæſare militauerat.*

Ibidem

Ibidem.

Quos ille latro. *Antonium intelligit, contra quem illi bellum geſturi erant: exiſtimat enim Quintus Antonium niſi copijs ſuis, uiribúſque confiſus fuerit, alia uia illos agreſſurum eſſe: & omnia facturum, ut illos ſibi placet, & in ſententiam ſuam traducat, putat eum id facilè conſecuturum ſimilitudine uitæ & ſocietate uitiorum.*

Ibidem.

Quib. alteri Cæſenam, alteri Coſſutianarum tabernarum. *Omnibus iniquus erat Quintus, & nemini parcebat, dummodo iræ ſuæ, ac furori obtemperaret.* De *ambobus illis* COSS. DESS. *peßimè ſentiebat: ueruntamen quantum ſuſpicari poſſumus, alterum illorum ignauiorem, inertiorémque altero exiſtimabat: nam quem aliquid conſilij habere putabat, uix dignum eſſe dicebat, cui Cæſena committeretur.* Alterum, *qui nullius conſilij eſſet, ſed penitus infirmi ingenij, ac intemperantißimæ naturæ, uix rectè poſſe iudicabat curare fundamenta Coſſutianarum tabernarum.* Alij *hunc locum procul dubio corruptum eſſe dixerunt, quibus non accedo: inuenio enim uulgatam hanc lectionem nulla mendi ſuſpicione in optimis, & antiquißimis libris.* Quæ *mens eum impulerit, ut poneret Cæſenam pro ignobili, & obſcuro oppido, non facilè enuntiarim: neque æquum eſſe puto de huiuſcemodi rebus quid ſentias reſpondere cogi.* Furore *animi, & magna aſperitate uerborum illum in epiſtolis ſemper uſum, prodente* M. Fratre, *liquidò poſſumus affirmare.*

LVGDVNI,
Excudebat Symphorianus
Barbierus.